IX. B

Digitized by Google

43
4 F
16

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO
TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DECIMUSSEXTUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 768. USQUE AD AN. 811.



ROMÆ MDCCLXXXVII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

Digitized by Google

43 4 F 15

Digitized by Google

APPROBATIONES.

VOlumen XVI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, per annos digeſtæ, variiſque obſervationibus illuſtratæ a V. Cl. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Rom. Presbytero, nullibi, quantum equidem adſequi legendo potui, Catholicæ fidei, boniſque moribus adverſatur, quare typis editum vulgari poterit.

Romæ Calend. Septemb. 1787.

Joſeph Canonic. Reggi Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

Ita cenſeo & Ego

Joſep Theoli Sacræ Theologiæ Doctor.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Fr. Xav. Paſſari Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI ANNUS 768. STEPHANI 3. PAPÆ 1.
CONSTANTINI COPRONYMI IMP. AN. 49. ET 28.
LEONIS IMP. AN. 18.
DESIDERII LONGOB. REGIS AN. 13.

JESU CHR. AN. 768.
Conſtantinus Patriarcha CP. ſolemniter exauctoratur.

A Geſtis in Oriente, ſextumdecimum hiſtoriæ noſtræ volumen initium ducat, quo Conſtantinus CP. Epiſcopus ab exilio revocatus, ſcelerum ſuorum, pœnas dedit. Is quidem ſi capta opportunitate catholicam fidem confeſſus fuiſſet, ex ſupplicio gloriam apud Deum & apud homines promeruiſſet, at ſpe veniæ illectus Imperatoris edictum contra imaginum venerationem, ſanctorumque cultum confirmavit, ac in Iconoclaſticæ hæreſis defenſione obiit, unde ſupplicium ſuſtinens, æternam in futuro ſæculo pœnam, ignominiamque apud homines promeruit, cum martyres, teſte Auguſtino, non pœna, ſed cauſa faciat. Rem geſtam his verbis narrat Theophanes. *Hoc anno menſis Octobris die ſexta Conſtantinus falſi nominis Patriarcha ex inſula Principo in urbem accitus, tot verbera a tyranno Conſtantino tulit, ut pedibus ſuis progredi non valeret. Eum itaque lectica efferri, & a ſe digreſſum in eccleſia magnæ ſolea conſidere juſſit. Aderat porro unus a ſecretis*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 768. *præferens libellum, quo omnia accuſationum capita deſcripta erant. Univerſo autem urbis populo Imperatoris juſſu congregato & ſpectante, in omnium auditu libellus ille publice recitabatur, & ad ſingula capita faciem ejus a ſecretis percutiebat: Patriarcha Niceta in Throni conſeſſu ſedente, ac omnia proſpiciente. Eo deinde in ambonem evecto, & recto in pedes conſtituto, libellum accipit Nicetas: mox Epiſcopo ad eum miſſo, & anathemate in eum pronunciato, pallium ſuſtulerunt, Scotiopſimque ſæpius vocitatum retrogrado paſſu ab eccleſia juſſerunt excedere. Sequenti vero luce ludis in Circo celebratis, univerſam ejus faciem depilantes, barbam, ſupercilia, atque capillitium abraſere, & ſerica brevi, & ſine manicis veſtimento indutum in aſinum clitellis inſtructum, facie retro verſa, adeo ut manibus caudam teneret, impoſuere, atque per Diippiam in Circum produxere, plebe univerſa ipſiſque factionibus eum convitiis atque ſputis proſequentibus. Conſtantinus vero ejus nepos præciſis naribus deformis aſinum trahebat. Cum autem ad factionum locum devenit, tum omnes ſputis eum denuo reſpergere, & pulverem in eum projicere. Ad locum deinde quo conſiſtunt equi adductum, aſino præcipitem deturbaverunt, ejuſque demum collo pedibus conculcato, e factionum regione conſidentem ſales, jocos, ludibria in ſe deblaterata, donec abſolverentur ludi, coegerunt audire.*

Conſtantinus CP. Epiſcopus ultimo ſupplicio damnatur. 2. Tanta autem cum ignominia exauctoratus Conſtantinus, inſanæque plebis ludibrio expoſitus, Copronymi Imp. nihilominus crudelitas exſatiari non potuit: Hinc ſequitur Theophanes. *Menſis Auguſti die 15., miſſis ad eum Patriciis interrogat. Quid de fide noſtra, & ea quam habuimus ſynodo ſentis.* Is vero ad aſſentationem os aperiens. *Optime reſpondet credis, & ſynodum recte celebraſti: nimirum hoc pacto Imperatorem rurſus placare ſperans. Illi dato reſponſo citius ſubinferunt. Hoc unum erat, quod ex impuro ore tuo audire volebamus. Nunc itaque in tenebras, & in malam horam perge. Itaque ſententia in eum lata in Cynegio capite truncatus eſt. Ejus porro caput auribus devinctum in Milio per continuos tres dies populo ſpectandum ſuſpendere; corpus autem rudente ad pedem alligata tractum cum morte violenta ſublatorum cadaveribus projecere, ac pariter caput poſt idem dierum trium ſpatium ſuſpendio ſolutum illuc eodem deportavere.* Hactenus geſta in Conſtantinum Patriarcham CP. hæreti-

Digitized by Google

reticum, quæ ſui immanitate commiſerationem etiam a catholicis elicuit, nam ut ibidem ſubdit Theophanes, revereri quidem poterat ferinus homo in Conſtantino Epiſcopo, quod ipſe, & homo, & Epiſcopus erat, qui filios ſuos ex tertia conjuge ſuſceptos, e ſacro fonte, in ulnas ſuas exceperat.

Alia crudelitatis Copronymi Imp. exempla. Petri Stilitæ, aliorumque martyrium.

3. At nullum in Copronymo Imp. aut religionis, aut humanitatis veſtigium remanſerat, nam ut idem adnotat auctor. *Ex hoc tempore majori vœſania in ſanctas Dei eccleſias ferebatur, miſſo enim, qui Petrum venerabilem columnicolam,* ſeu Stylitam, *a petra exturbaret, eumque dogmatibus ſuis repugnantem, vivum pedibus vinctum, ac per medias urbis vias pertractum, inter Pelagii cadavera projici juſſit, alios vero ſaccis incluſos, lapidibuſque degravatos in pelagi profundum demergi. Oculorum orbitates, conciſiones narium, flagrorum lacerationes, & omne ſuppliciorum genus adverſus religioſos molitus eſt, & hæc quidem in urbe ab Imperatore agebantur, & a ceteris, qui cum eo ſentiebant, per Antonium dico patricium, & Scholarum domeſticum, & Petrum quoque magiſtrum & ordinum milites, qui ipſius impietatem animo penitus imbiberant. In exteris vero provinciis per duces ſupranominatos, eadem nefanda facinora perpetravit*; ait Theophanes de geſtis in Oriente hoc anno verba faciens. Monaſteria vero virorum, aut mulierum vel e fundamentis evertiſſe, aut in prophanos uſus convertiſſe addit, itaut Dalmatarum monaſterium, quotquot Byzantii erant, celeberrimum, in militum diverſorium converterit, cum interea ipſe conviviis, ſaltationibus vacaret, effuſaque omnis generis libidine fœdaretur, ut in adoleſcentulos quoque inſaniret. Unde cum Strategius quidam, ab ea ſe libidine retraxiſſet, ac Exomologeſi apud Macarium Auxentii incluſum, facta, remedia, quæ ad ſalutem ducerent ſuam, ab eo accepiſſet, tanto in eos furore Imperator exarſit, ut utrumque tamquam majeſtatis reos, morti addixerit, ut ibidem pluribus auctor narrat.

Chriſtopharus, & Sergius adverſus Conſtantinum Deſiderii Regis auxilium exquirunt.

4. His alteram tragœdiam hoc eodem anno Romæ actam addimus, dum dejecto Conſtantino Pſeudo Pontifice, ac ſubmoto Philippo præter jus, faſque in ejus locum electo, tandem Cleri, populique Romani conſenſu, & electione Stephanus tertius, ab aliis quartus dictus, Romanus Pontifex electus eſt. Rem geſtam fuſiori quidem ſtylo ſed fideliori nar-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 768.

narrat Anaſtaſius his verbis. *Hoc vero cernens Chriſtopharus Primicerius, & conſiliarius*, cujus curæ adminiſtratio Romanæ eccleſiæ, dum ſedes vacaret, ſpectabat. *Zelo fidei una cum filio ſuo Sergio tunc Sacellario exiſtente, maluerunt magis mori, quam talem impiam novitatem, & impiam præſumptionem in Sedem Apoſtolicam perpetratam conſpicari. Et quotidie in fletu & lachrimis perdurantes ſimulavere ſe monachos fieri velle, ſeſeque abſolvi ob eodem Conſtantino petiere & in monaſterium Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiſci, aſſerentes illic monachichum fore ſuſcepturos habitum. Suſcepto ab eodem Chriſtophoro Primicerio ſacramento, Conſtantinus illis credens, eos abſolvit*, dimiſit ſcilicet. *Quibus properantibus, & uſque ad fines Longobardorum conjungentibus, hoc eſt*, pervenientibus, *velletque Abbas jam fati monaſterii eos in idem monaſterium deducere, declinavere ab itinere idem Chriſtophorus Primicerius & ejus filius Sergius, dudum quidem ſacellarius poſtmodum Secundicerius adjurantes firmiter Theodicium Ducem Spoletinum, ut eos trans Padum ad Deſiderium ſuum deduceret Regem Longobardorum, nitentes ob hoc redemptionem Sanctæ Dei Eccleſiæ perficere. Eoſque idem Spoletinus Dux ad ſuum deportavit Regem. Et dum ejus obtutibus præſentati fuiſſent, obnixe eumdem Regem deprecati ſunt ejus auxilium tribui, ut talis novitatis error ab Eccleſia Dei amputaretur. Dum vero prænominatus Chriſtophorus & Sergius ejus filius apud præfatum demorarentur Regem, fecit prædictus Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis invaſor ordinationem Presbyterorum, & Diaconorum, Præsbyteros octo, Diaconos quatuor ordinans, ſed & Epiſcopos in ipſius anni circulo & unius menſis fecit per diverſa loca numero octo*: Et infra: *Dum hæc agerentur, conjuxerunt antefatus Chriſtophorus & Sergius in civitatem Reatinam, abſoluti a Longobardorum Rege. Et precedentes Sergius & Vualdipertus præsbyter cum Reatinis & Furconinis, atque aliis Longobardis ducatus Spoletini, conjunxerunt ſubito ac repente in hanc Romanam Urbem, vigeſimaoctava die Julii menſis, Indictione ſexta, veſpere in ipſo crepuſculo noctis, vigilia beatorum Martyrum Abdon, & Sennen, occupantes pontem Salarium. Alia vero die tranſeuntes per pontem Milvium venerunt ad portam B. Petri, & inde pergentes, appropinquavere ad portam S. Pancratii. Quidam vero propinqui jam fati*

Digitized by Google

fati Chriſtophori & Sergii ipſam portam obſervantes ac cuſtodientes, ipſum Sergium ad eamdem portam appropinquaſſe annuere ei, & protinus ipſam aperuerunt portam, ſicque jam dictus Sergius & VValdipertus cum Longobardis in Romanam Urbem ingreſſi ſunt. Et per muros civitatis cum flammula aſcendebant, metuentes Romanum populum, & nequaquam de Genuculo, ſeu Janiculo, ipſi auſi ſunt deſcendere, ſed cum nimio tremore ibidem aſſiſtebant. Hoc vero audiens Toto & Paſſivus germani fratres, ignorantes ingenium & dolum, quod ei proditores inierant, occurrere cum aliquantis ad prædictam portam, cum quibus & Demetrius Secundicerius, & Gratioſus tunc Chartularius, poſtmodum Dux, properaverunt, qui & ipſi in conſilio erant cum præfatis proditoribus. Et appropinquantes ad eoſdem Longobardos, obviavit Totoni Duci ex iiſdem Longobardis, qui bellator præ omnibus apparebat Racipertus nomine; & impetum fecit ſuper eumdem Totonem, ſuper quem idem Toto irruens, atque fortiter percutiens eum, interfecit: Quod aſpicientes Longobardi, in fugam converſi, nitebantur evadere. Sed Demetrius Secundicerius & Gratioſus Chartularius poſt tergum ſupradicti Totonis adſiſtentes, eum in dorſum lanceis percutientes, ſic adverſus eum prævalvere, atque interfecerunt. Paſſivus vero in Lateranenſe fugit Patriarchium, annuntians ſuo germano Conſtantino quæ geſta fuerant. Hoc vero audito, fugit idem Conſtautinus cum ſupra ſcripto Paſſivo & Theodoro Epiſcopo & Vicedomino ſuo in Eccleſiam ſancti Venantii, & ali quantulum ibi reſedere, Et conſiderantes ſi melius ſe poſſent ſalvare, in Veſtiarium aſcendere. Illic intus Oratorium ſancti Cæſarii ingredientes clauſiſque ſuper ſe januis, ibidem reſidebant. Et convenientes poſt aliquantas horas hujus Romanæ militiæ Urbis judices, eos ex ipſo Oratorio ejicientes, ſub cautela muniere.

JESU CHR. AN. 768.

Philippus Rom. Pontifex electus, dejicitur.

5. *Alio vero die Dominico congregans VValdipertus Præsbyter, ignorante autem prædicto Sergio, aliquantos Romanos, pergentesque in monaſterium S. Viti, abſtulere exinde Philippum presbyterum, quem eligentes & cum gaudio vocibus acclamantes Philippum Papam, ſanctus Petrus elegit eum, in baſilicam Salvatoris more ſolito deduxerunt, illic oratione ab Epiſcopo data, juxta antiquitatis morem, tribuentemque pacem omnibus, in Lateranenſe deduxere Patriarchium, & ibidem ſimiliter in Sede Pontificali ſedens, omnibus tribuens (ut mos eſt)*

Jesu Chr. an. 768.

eſt) pacem, aſcendit ſurſum, & menſam (ut aſſolent Pontifices) tenuit ſedentes cum eo aliquanti primates Eccleſiæ, & Optimates militiæ. Poſt paululum vero conveniens eodem die ſæpe fatus Chriſtophorus Primicerius, cognitaque cauſa electionis ipſius Philippi, illico cum magna aſcendens ira, jurejurando coram omnibus Romanis aſſirmabat, dicens, ſe Roma minime egreſſurum, quouſque Philippus presbyter de Lateranenſi non fuiſſet expulſus Patriarchio. Tunc properans antedictus Gratioſus cum aliquantis Romanis, expulerunt jam dictum Philippum presbyterum de eodem Patriarchio, qui & per ſcalam, quæ ducit ad balneum deſcendens, cum magna reverentia ad ſuum reverſus eſt monaſterium. Sicque præfatus Chriſtophorus alia die aggregans in tribus Fatis ſacerdotes & primates cleri, & Optimates militiæ, atque univerſum exercitum, cives honeſtos, omniſque populi Romani cœtum, a magno uſque ad parvum, pertractantes pariter, concordavere omnes una mente, unoque conſenſu in perſonam præfati beatiſſimi Stephani. Pergenteſque in titulum beatæ Ceciliæ, in quo idem Stephanus presbyter exiſtens ſpiritualem agebat vitam, eum Pontificem elegerunt, quem cum vocibus acclamationibus & laudibus in Lateranenſe deportaverunt Patriarchium, & rite omnibus in ejus electione peractis, Deo auctore, Pontificatus aſſumpſit culmen: quiſnam iſte fuerit Stephanus, idem Anaſtaſius hæc ſuperius. *Stephanus tertius dictus, natione Siculus fuit, ex Patre Olivo, vir ſtrenuus & divinis ſcripturis eruditus, atque eccleſiaſticis traditionibus imbutus, & in earum obſervationibus conſtantiſſimus perſeverator. Hic dum a Sicilienſi inſula in hanc urbem veniſſet Romanam: contradidit eum dominus Gregorius ſanctæ recordationis Papa tertius monaſterio S. Chryſogoni, quod tunc noviter fundabat, illicque monachus atque clericus eſt effectus, quem poſtea beatiſſimus Zacharias Papa ex ipſo auferens monaſterio, in Lateranenſis Patriarchii cubiculo ſuo præfecit. Eum poſtmodum in presbyterum tituli ſanctæ Ceciliæ conſecravit, quem tamen præ ejus caſtitatis modeſtia in ſuo officio in Lateranis detinuit, ſed & reliqui, ſcilicet dominus Stephanus, & Paulus beatiſſimi Pontifices, eumdem ſanctiſſimum Stephanum pro ejus piis converſationibus in ſuo ſervitio ſimiliter detinuerunt.* Hæc de Stephano Anaſtaſius.

Stephanus tertius, seu quartus Rom Pontifex eligitur.

6. De turbis poſt Stephani ordinationem in urbe excitatis, deque ſupplicio eorum, qui Apoſtolicam ſedem

Conſtantinus Pseudo Pontifex excœcatus obiit.

ſedem invaſerant, hæc ſubdit. *Dum vero adhuc electus extitiſſet idem ſanctiſſimus vir, congregati aliquando perverſi quidam, præ oculis Deum non habentes, nec metuentes terribile futurum judicium, ſubmiſſi a quibuſdam peſtiferis malorum auctoribus, quibus digna factis retribuit Dominus, comprehendentes Theodorum Epiſcopum & Vicedominum Conſtantini (quod dici impium eſt) eruere oculos, & linguam ei crudeliter amputarunt, ſed & Paſſivi ſimiliter oculos eruere niſi ſunt, & tantam impietatem in eos monſtravere, ut nec in proprias domos eos deportari permiſerint, ut illis cura a ſuis hominibus exhiberi deberet: ſed ablatis omnibus eorum rebus atque familiis, atque poſſeſſionibus, unum ex eis, Theodorum ſcilicet Epiſcopum, in monaſterium Clivi Scauri retrudi fecerunt, ubi fame & ſiti cremans, clamanſque aquam, ita exhalavit ſpiritum. Paſſivum vero in monaſterium ſancti Sylveſtri deduxerunt. Nam & Conſtantinus invaſor Apoſtolicæ Sedis, dum deductus in medium eſſet, magna pondera in ejus adhibentes pedibus, in ſella muliebri ſedere ſuper equum fecerunt, & in monaſterium, Cellas novas coram omnibus deportatus eſt. Sabbato vero die diluculo ante unam diem ordinationis præfati beatiſſimi Papæ Stephani, aggregati aliquanti Epiſcoporum & Presbyterorum & cleri in baſilica Salvatoris, iterum præfatus Conſtantinus ad medium allatus eſt, lectiſque ſanctiſſimis canonibus, ita depoſitus eſt. Accedens enim Maurianus ſubdiaconus, orarium de ejus collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ejus abſcidit, ſicque alio die Dominico antedictus beatiſſimus Stephanus conſecrationem ſuſcepit Pontificatus. Factaque ab univerſo populo Romano pœnitentiæ & confeſſionis deprecatione apud divinam clementiam, per quam ſe omnes peccaſſe in prædicti Conſtantini invaſoris Apoſtolicæ Sedis impia ordinatione, confitentes, pro eo quod ei non reſtiterunt; Deinde congregati univerſi exercitus Romanæ civitatis, & Tuſciæ, & Campaniæ, pergentes Alatrum partis Campaniæ, ubi erat Gracilis Tribunus conſentaneus jam dicti Conſtantini, Apoſtolicæ Sedis invaſoris, per quem plurima mala in Campaniæ parte perpetrata fuerant, in urbem deduxerunt, & ex cuſtodia auferentes, & quaſi eum in monaſterium deportantes, dum ad Coloſſeum adveniſſent, illic ejus oculos eruere, & linguam abſtulere, nec multo poſt Conſtantinum quoque Apoſtolicæ ſedis invaſorem oculis orbatum cæcum*

in

Jesu Chr. an. 768.

in platea jacentem reliquerunt. Ita quidem factum, permittente & ulciſcente Deo nefarium ſcelus, ut poſteris eſſet exemplo, ne unquam ſacroſanctam Apoſtolicam Sedem invaderet laicus homo, vel quivis alius manu militari ſe in eam intruderet, ait Baronius: His autem addit Anaſtaſius. *Inſurrexere quidam dicentes, quod antedictus VValdipertus Presbyter, Longobardorum genere ortus, conſilium cum Theodorico Duce Spoletino & aliquantis Romanis iniiſſet ad interficiendum præfatum Chriſtophorum Primicerium, & alios Romanos primates, & civitatem Romanam Longobardorum genti tradendam. Unde directus eſt quidam Chriſtophorus Vicedominus cum multitudine populi ad eum comprehendendum; ipſe vero hoc agnito, fugit in Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ vocatur ad Martyres. Quem exinde idem Vicedominus abſtraxit, portantem eumdem Vvaldipertum imaginem ipſius Dei Genitricis, eúmque in teterrimam fecerunt retrudi cuſtodiam, quæ vocatur Ferrata, in Cellario majore. Et poſt modicos dies ipſum de eadem cuſtodia ejicientes Vvaldipertum Presbyterum, eumque projicientes in terram, juxta tranſcendam campi Lateranenſis, ejus effoderunt oculos, & linguam ipſius crudeliter ac impie abſciderunt, dirigenteſque illum in Xenodochium Valerii, ibidem poſtmodum ex eadem oculorum effoſſione vitam finivit.*

Stephani Papæ legatio ad Pippinum Regem.

7. Sedatis interea Reipublicæ tumultibus, pœnæque affectis eorum auctoribus, ut hactenus diximus. Stephanus Papa paucis ab ordinatione ſua elapſis diebus, ut vulnera Romanæ eccleſiæ ex illicitis ordinationibus inflicta, & ut Orientalium auſibus, hæreſique Iconoclaſticæ, quæ in orbem chriſtianum diffuſa, occidentales quoque provincias, ac præcipue Galliarum inficere conabatur, ut inquam his ingruentibus malis mederetur, Pontificatus apicem adeptus. *Direxit in Franciæ partes ad eximios viros Pippinum, Carolum, & Carolomannum Reges Francorum & Patricios Romanos, Sergium antedictum ſecundicerium, & Nomenclatorem illo tempore exiſtentem, deprecans atque hortans eorum excellentiam per ſuas Apoſtolicas litteras, ut aliquantos Epiſcopos gnaros, & in omnibus divinis ſcripturis, atque ſanctorum canonum inſtitutionibus eruditos ac peritiſſimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana Urbe Concilium per eadem impia novi erroris, ac temeritatis præſumptione, quam antefatus Con-*

Digitized by Google

Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis pervaſor auſus eſt perpetrare. Et properante antedicto Sergio in Francorum regiones: tunc invenit de hac luce migraſſe chriſtianiſſimum Pippinum Regem, & cæptum gradiens iter, pervenit ad ejus filios antedictos Carolum, & Carolomannum germanos fratres Reges Francorum & Patricios Romanorum, quibus Apoſtolicas litteras tribuens, benigne ab eis ſuſceptus eſt, & dignam illi impendentes humanitatem, cuncta nihilominus, pro quibus miſſus eſt, ab eorum excellentia impetravit, dirigentes ipſi chriſtianiſſimi Reges duodecim Epiſcopos ex eiſdem Francorum regionibus nimis in divinis ſcripturis, & ſanctorum canonum cæremoniis doctos, ac probatiſſimos viros. Quorum adventus in urbem non hoc anno, ſed ſequenti contigit veris initio, quo Romæ concilium celebratum fuit, ut ibidem dicturi ſumus.

Pippinus Aquitanicum bellum abſolvit, legatos Abderamnis Seracenorum Regis recipit.

5. Ex hactenus autem dictis conſtat Pippinum Regem hoc eodem anno ultimum clauſiſſe diem, quem defunctum Stephani Papæ legati invenerunt, ob eamque cauſam Carolum Magnnm, & Carlomannum ejus filios adierunt, inter quos vivens Pippinus Imperium ſuum diviſerat, Auſtraſiam ſcilicet cum Neuſtria, Thuringia, Bojoaria Carolo; Burgundiæ autem Regnum cum finitimis provinciis Carolomanno tribuens, quorum ſolemnis inauguratio hoc eodem anno ſeptimo Kal. Octobris, quæ Dominica dies fuit, peracta eſt, Noviomi ſcilicet Caroli, Sveſſione autem Carolomanni. Ante obitum Aquitanicum bellum, anno 760. incœptum, ut ibidem diximus, quodque per annos novem geſſit, feliciter Pippinus confecerat, occiſo Remiſgno, ſeu Remiſtagno Vaſtſarii Aquitaniæ Ducis patruo, nec multo poſt Vaſtſarius ipſe in ſilvis latitans a ſuis occiſus eſt, atque omnes Aquitaniæ populi cum Guaſconibus, Pippino, filiiſque ejus ſeſe data fide tradiderunt, ut pluribus Francorum Annaliſtæ tradunt, & præcipue auctor Appendicis ad Fredegarium, qui addit, quod cum Pippinus triennio ante legatos ſuos ad Abderamnem Seracenorum in Hiſpania Regem miſiſſet, qui etiam Amirmon, & Amormum Arabica lingua dictus eſt, dum ad caſtrum Sellus moraretur, nunciatum eſt ei, legatis Amormuni perveniſſe. *Quod cum compertum Regi fuiſſet, miſſos ſuos ad eam*, ideſt Marſiliam, *direxit qui eos venerabiliter reciperent, & uſque ad Mettis civitatem ad hyemandum perducerent*. Interea poſt Paſcha Seracenorum le-

Jesu Chr. an. 768.

gatos *ad Sellus caſtrum ad ſe venire præcepit, & ipſi Saraceni munera, quæ Amormuni tranſmiſerat, ibidem præſentant, iterum Rex ipſis Seracenis, qui ad ipsum missi fuerant munera dedit, & uſque Maſſiliam cum multo honore adduci præcepit. Seraceni vero navali evectione ad propria redeunt*, ait idem auctor, qui poſt Vaifarii Aquitaniæ Ducis interitum addit. *Præfatus Rex Pippinus jam tota Aquitania aquiſita, omnes ad eum venientes ditioni ſuæ, ſicut antiquitus fuerat, ſe faciunt*, ideſt ſe dederunt. *Cum magno triumpho & victoria Sanctonis, ubi Bertrada Regina reſidebat, venit.*

Pippini Regis obitus.

6. Ex triumpho autem ad tumulum paulo poſt tranſiit, nam ut idem proſequitur auctor. *Dum Santonis præfatus Rex veniſſet, & cauſas pro ſalute patriæ, & utilitate Francorum tractaret, quadam febre ægrotare cœpit.* Quare per Pictavos uſque ad Turonis urbem tranſivit, ibique ſe eleemoſynis, precibuſque B. Martino commendavit, ut apud Deum miſericordiam promereretur. Inde progreſſus Pariſios pervenit, ac cernens quod jam jam moriturus eſſet, coram Epiſcopis, Regnique Proceribns inter filios ſuos Regnum diviſit. *His geſtis*, ſequitur idem auctor, *Rex Pippinus poſt paucos dies, ut dolor eſt ad dicendum, ultimum diem, & vitam ſimul clauſit, ſepelieruntque eum prædicti Reges Carolomannus filii ipſius Regis in monaſterio S. Dionyſii martyris cum magno honore, regnavitque annis vigintiquinque.* Sexdecim poſtquam Rex inunctus eſt, cum decem antea tamquam Majordomus Francis imperaſſet. *Octavo Kal. Octobris diem obiit Pippinus anno ætatis* 54., ait Annaliſta Fuldenſis, cui alii plurimi ſuffragantur.

Pippini elogium.

7. Fortis autem in bello Pippinus, ac felix ubique fuit, & ſæpe hoſtes ſuperavit, rebelles compreſſit, Seracenos in Galliam irrumpentes proſtravit, & ne ultra ſua ætate id pertentarent, obtinuit, ob inſitam autem ejuſdem menti religionem, Conſtantino Copronymo imaginum cultui infenſiſſimo hoſti reſtitit, ac ut toto Occidente debita iis exhiberetur veneratio, effecit, qua etiam Romanos Pontifices a Longobardorum, & Græcorum inſidiis, & vexationibus tutatus eſt, Romanamque eccleſiam ampliſſimis patrimoniis & provinciis locupletavit, ac novus Moyſes, præfulgidus David a Stephano Papa dictus eſt, multiſque præconiis tum ab eodem.

dem, cum ab ejus ſucceſſore Paulo exornatus fuit. De iis autem, quæ Romanæ eccleſiæ contulit, præter ea, quæ ſuis locis ex veterum ſcriptorum teſtimoniis diximus, Ravennæ extabat antiqua tabula, cujus hæc tantum ſervavit temporum injuria. *Pippinus pius primus amplificandæ eccleſiæ viam aperuit, Exarchatum Ravennæ cum ampliſſimis*. Cum cetera deſint, intelligi poteſt, cum ampliſſimis patrimoniis, vel provinciis Romanæ eccleſiæ donavit. JESU CHR. AN. 769.

JESU CHRISTI AN. 769. STEPHANI 3. PAPÆ AN. 2.
CONSTANTINI COPRONYMI IMP. 50. ET 29.
LEONIS IMP. 19. DESIDERII LONGOB. REGIS 14.

Concilium Rom. a Stephano Papa celebratum.

1. Pontificatus ſui initio, ſeu *in exordio ordinationis ſuæ*, ut ait Anaſtaſius, in Franciam miſerat anno elapſo Stephanus Papa Sergium Secundicerium, & Nomenclatorem ad Pippinum, ejuſque filios, eoſdem litteris ſuis rogans, ut Epiſcopos eruditione præſtantes ad faciendum in urbe Romana concilium mitteret. Cum Pippinum defunctum inveniſſet Sergjus, Filios ejus adiit, qui poſt patris obitum ad Regnum quiſque ſuum ſe contulerant, & voti compos factus, hoc anno cum duodecim Galliarum Epiſcopis menſe Aprili, indictionis ſeptimæ Sergius rediit, quo redeunte, antedictus Papa Stephanus, *aggregans diverſos Epiſcopos Thuſciæ, atque Campaniæ, & aliquantos iſtius provinciæ Italiæ* concilium in Lateranenſi Baſilica celebravit, Stephani quidem litteræ anno proximo hac de cauſa datæ perierunt, ſicuti & Lateranenſis concilii acta, geſta nihilominus in eo Anaſtaſius refert, quin nomine Epiſcoporum duodecim Gallorum, & quadraginta Italorum, qui huic ſynodo interfuerunt, ex Veronenſi Codice, qui hujus concilii fragmenta continet, habemus, a Cennio Romæ edita anno 1735., & iterum in ſupplemento ab Manſio ad concilia Labbei Lucæ edito tomo primo, quædam etiam ejuſdem concilii fragmenta apud Labbeum extant, ab Holſtenio edita. Itaque die duodecima Aprilis. *Prædeceſſor noſter*, ajebat Hadrianus Papa, *Stephanus Papa ſimiliter cum Epiſcopis partium Franciæ, atque Italiæ præſidens &c.*, ſeu ut ait Anaſtaſius, hujuſce concilii geſta referens. *Præſidente eodem beatiſſimo Stephano Papa, conſidentibus etiam pariter cum eo iiſdem omnibus Epiſcopis dedu-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 769.

deductus eſt Conſtantinus Apoſtolicæ ſedis invaſor, jam excæcatus oculis. Et ſubtiliter exquiſitus eſt, cur præſumpſiſſet Apoſtolicam Sedem laicus exiſtens invadere, & talem iniquæ novitatis errorem perpetrare? Ita coram omnibus profeſſus eſt, vim ſe in populo pertuliſſe, atque per brachium populi fuiſſe electum, atque coactum in Lateranenſe Patriarchium deductum propter gravamina & præjudicia illa, quæ Romano populo ingeſſiſſet domnus Paulus Papa, & corruens in terram manibus extenſis in pavimento, ſe reum ac ſuper numerum arenæ maris peccaſſe deflebat, petens miſericordiæ veniam ab eodem ſacerdotali conſequi Concilio. Quem e terra elevare facientes. ipſo die nullam de eo protulere ſententiam. Alia vero die denuo afferentes eum, atque interrogantes de eadem impia novitate, reſpondit, nihil novi ſe feciſſe, dicens, quia & Sergius Archiepiſcopus Ravennatium laicus exiſtens effectus eſt. Et Stephanus Neapolitanæ civitatis & ipſe laicus repente Epiſcopus conſecratus eſt. Dum vero talia ipſe Conſtantinus proſequeretur, illico irati zelo Eccleſiaſticæ traditionis univerſi ſacerdotes alapis ejus cervicem cædere facientes, eum extra eamdem Eccleſiam ejecerunt. Ita plane tanta ſeveritas adhibenda fuit, ait Baronius, ne ad tantum patrandum ſcelus quis audax rurſus auderet irrumpere. Sed quæ præter hæc in ſancta Synodo in eadem geſta ſint cauſa, ab eodem auctore ſic accipe: *Tunc combuſtis omnibus ejus actionum geſtis, ſimul & Concilium illud quod in ſcriptis de ejus quaſi confirmatione editum fuerat combuſſere in medio presbyterii ipſius Eccleſiæ.*

Publica omnium confesſio, & pœnitentia.

2. His geſtis, ſequitur Anaſtaſius. *Projiciens ſe in terram ſanctiſſimus Stephanus Papa cum univerſis ſacerdotibus, & populo Romano, clamanteſque Kyrie eleiſon, cum ingenti fletu peccaſſe ſe omnes confeſſi ſunt, pro eo quod de manibus ipſius Conſtantini communionem ſuſcepiſſent, ſicque ex hoc omnibus indicta eſt pœnitentia. Tunc allatis ſacratiſſimis canonibus, eiſque liquido perſcrutatis, prolata eſt ſententia ab eodem ſacerdotali Concilio ſub anathematis interdicto, ne ullus unquam præſumat laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, vel presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatus honorem poſſit promoveri.* Sic igitur eo ſtatuto canone, omnis invaſoribus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis occluſus eſt aditus, veluti alto interjecto pariete, quo profanum

Digitized by Google

ſanum eſſet a ſacro diviſum. Quæ vero his addiderunt Patres de rebus ab eodem Conſtantino PſeudoPontifice geſtis, ſic accipe ex eodem Anaſtaſio auctore. *Sed & alia plura* (inquit) *quæ de eo canonica indigebant correctione, in eodem Concilio ſtatuerunt emendanda. De Epiſcopis vero atque Presbyteris & Diaconibus, quos ipſe Conſtantinus conſecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum eſt: ut qui Epiſcopi ex presbyteris ſive diaconibus ab eo ordinati fuerant, in priſtinum honoris ſui gradum reverterentur, & ſi placabile fuiſſet omni populo civitatis ſuæ, denuo facto decreto electionis more ſolito, cum clero, & plebe ad Apoſtolicam veniſſent Sedem, ab eodem ſanctiſſimo Stephano Papa benedictionis ſuſciperent conſecrationem. Presbyteri vero illi & diaconi ab eodem Conſtantino conſecrati ſimili modo, in illum in quo exiſtebant, habitum reverterentur. Et poſtmodum ſi qui eorum placabiles extitiſſent, antefatus beatiſſimus Pontifex presbyteros eos, aut diaconos conſecraret, statuentes ut hi qui ex eis conſecrandi eſſent, nequaquam ad potiorem honorem aſcenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Eccleſia pullularet. Ipſe vero antefatus beatiſſimus Stephanus Papa coram omni ſacerdotali collegio clara voce clamavit, dicens, nullo modo ſe mittere aut penitus declinare in eorumdem presbyterorum & diaconorum conſecrationem. De laicis vero, qui ab eodem Conſtantino presbyteri & diaconi conſecrati ſunt, ita promulgatum eſt, ut in religioſo habitu cunctis diebus eorum vitæ, ſive in propriis domibus, vel ubi fuiſſent, permanere deberent. Hujuſmodi vero promulgatis ſententiis, illico Epiſcopi illi, qui ab eodem Conſtantino ordinati ſunt, revertentes juxta ejuſdem Pontificis ſententiam in priſtino honoris gradu, electi denuo a clero & plebe cum ſolito decreto ad Sedem Apoſtolicam properantes, ab eodem ſanctiſſimo Papa conſecrati ſunt. Nam presbyteri & diaconi illi uſque ad mortem ipſius Pontificis ſic remanentes numquam ſunt ab eo conſecrati. Ita enim in eodem Concilio ſtatutum eſt, ut omnia quæ idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis ſacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuiſſent, præter ſacrum baptiſma, ac ſanctum chriſma*. Ideſt, ut præter baptiſmum, ordinationes omnes a PſeudoPontifice factas, iterarentur, ut adnotat in hunc locum Cenniùs.

JESU CHR. AN. 769.

3. Conſtantini ſedis Apoſtolicæ invaſoris cauſa finita, irri-

Cultus sanctarum ima-

JESU CHR. AN. 769.

ginum a synodo confirmatur.

irritatiſque ejuſdem geſtis, & ordinationibus, ſanctis imaginibus cultum venerationemque exhibendam eſſe, ſynodus juſſit, ac Orientalium concilium CP. Copronymi Iconoclaſtæ Imp. juſſu celebratum, Stephanus Papa, Gallis, Italiſque Epiſcopis conſentientibus condemnavit; unde iterum Anaſtaſius. *Poſt hæc vero omnia promulgata, continuo & diverſa ſanctorum Patrum teſtimonia de ſacris imaginibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque & glorioſæ ejus Genitricis ſemper Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & beatorum Apoſtolorum, omniumque ſanctorum Prophetarum, Martyrum ſeu Confeſſorum in idem ſunt allata Concilium, & ſubtilius multum perindagantes, ſtatuere; magno honoris affectu ab omnibus Chriſtianis ipſas eſſe venerandas imagines, ſicuti ab omnibus prædeceſſoribus hujus Apoſtolicæ Sedis, & cunctis venerabilibus Patribus uſque hactenus de earum honoris obſervantia effectum, & cunctis ad memoriam compunctionis eſt traditum, condemnantes & anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Greciæ partibus nuper facta eſt pro diſperdendis ipſis ſacris imaginibus.* Tandem: *Expletis omnibus, quæ in eodem concilio promulganda erant, tunc idem beatiſſimus Pontifex aggregans univerſos ſacerdotes, atque clerum, & cunctum populum, profecti ſunt ad beatum Petrum principem Apoſtolorum cum hymnis & canticis ſpiritualibus, nudis pedibus incedentes. Illicque in ambonem aſcendens Leontius Scriniarius, cuncta, quæ in eodem peracta ſunt Concilio, extenſa voce legit populo, ſed & tres Epiſcopi, ideſt, Gregorius ſilvæ candidæ, Euſtraſius Albani, & Theodoſius Tiburtinus, in eumdem præfatæ Eccleſiæ ambonem aſcendentes, anathematis obligationem protulere, ſi quiſquam præſumat quoquo tempore tranſgredi quippiam de omnibus, quæ in eodem Concilio ſtatuta ſunt.* Hæc ſunt, quæ ad dictum concilium Romæ hoc anno a Stephano Papa celebratum ſpectant, ex cujus decreto de retinendis venerandiſque ſacris imaginibus edito, quænam hoc de argumento fuerit Gallicanæ ſynodi anno elapſo celebratæ ſententia, facile demonſtratur, ideſt non alia, quam Romanæ hujus ſynodi, cui præcipui Galliarum Epiſcopi numero duodecim, omnes fere Metropolitani ſubſcripſere. Synodo abſoluta, officio ſuo non defuit Stephanus Papa, ac litteris ſuis Copronymo Imperotori, ea quæ de ſacrarum imaginum cultu, una cum Italis, Gallicaniſque Epiſeopis ſtatuta fuerant,

rant, indicavit, at ſurdo hæc cecinit, quin ut divina ſcriptura teſtatur. Impius cum in profundum venerit, ſpernit. Copronymo autem hæc tranſmiſſa fuiſſe a Stephano Papâ narrat Hadrianus ejus ſucceſſor in epiſtola ad Carolum Magnum, ſeu tractatu de ſacris imaginibus, quo non ſemel hujus ſynodi, meminit, ac auctoritates quamplurimas, in eadem ſynodo, ad confirmandum imaginum cultum, relata, commemorat, inter cetera exemplum Abgari Edeſſenorum Regis, cui, ut fama ferebatur, Jeſus Chriſtus imaginem vultus ſui in linteo expreſſam miſerat, quo etiam exemplo in ejuſdem rei confirmationem, uſi fuerant Theodorus Hieroſolymorum Patriarcha cum Coſma Alexandrino, & altero Theodoro Antiocheno Patriarcha in epiſtola ſynodica, ad Paulum Pontificem miſſa, quam tamen Conſtantinus ſuſceperat, ut ſupra diximus, de qua epiſtola hæc etiam Hadrianus Papa adnotat. *Iſte Theodorus Patriarcha Hieroſolymorum cum ceteris præcipuis Patriarchis, videlicet Coſma Alex. & Theodoro alio Antiochiæ dudum prædeceſſori noſtro ſanctæ recordationis quondam Paulo papæ miſerunt propriam eorum rectæ fidei Synodicam, in qua & de ſacratiſſimis imaginibus ſubtili narratione, qualiter una cum noſtra fide Catholica & Apoſtolica univerſali Romana Eccleſia, ipſi vel cæteri Orientales Orthodoxiæ Epiſcopi, & Chriſtianus populus ſentiunt, & in earumdem ſanctarum imaginum veneratione ſincero mentis affectu ferventes in Fide exiſtunt, ſtuduerunt intimandum. Quam Synodicam in Latino interpretatam eloquio, prædeceſſor noſter ſanctiſſimus Domnus Stephanus Papa in Concilio, quod ipſe pro ſacris imaginibus, & una cum diverſis Epiſcopis ex partibus Franciæ ſeu Italiæ fecit, ſuſcipientes ac relegentes ſtatuerunt, tam de diverſis Francorum Patrum teſtimoniis, quam de Symbolo Fidei ubi fati ſunt, dicentes: Qui alium terminum Fidei, ſive ſymbolum, aut doctrinam habet, præter quod traditum eſt a ſanctis magnis & univerſalibus ſex Synodis, & confirmatum eſt ab his ſanctis Patribus, qui in eis convenerunt, & non adorant imaginem, ſive figuram Domini noſtri Jeſu Chriſti, neque humanitatem ejus confitentur, ſic ut qui deſcendit, & incarnatus eſt propter genus humanum, talem impium anathematizamus, & alienum extraneumque deputamus Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ.* Hactenus de ſynodo hoc anno Romæ a Stephano Papa celebrata.

4. Sy-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 769. Stephani Papæ epiſt. ad Bertradam, ejusque filios Carolum M., & Carlomannum.

4. Synodo abſoluta, rebusque eccleſiæ compoſitis, pax nihilhominus urbi nequaquam reſtituta eſt, quin eouſque, ob adventum Deſiderii Regis in urbem cum ſuis Longobardis, turbæ ibidem excrevere, ut ipſe Stephans Papa in apertum vitæ diſcrimen fuerit, niſi eum Deſiderius ipſe armata manu eripuiſſet: hæc omnia in epiſtola ad Bertradam Pippini viduam, & ad filios ejus Carolum Magnum & Carlomannum his verbis narrat Stephanus Papa. *Domnæ religioſæ filiæ Bertradæ Deo conſacratæ, ſeu Domno excellentiſſimo filio Carolo Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa. Cum magno dolore, & gemitu cordis, tribulationis, atquc mortis periculum, quod nobis per ſequaces diaboli, jam eveniebat, ccce ſubtilius per has noſtras Apoſtolicas ſyllabas a Deo conſecratæ religioſitatis veſtræ, atque præcellentiſſimæ Chriſtianitatis tuæ auribus intimare ſtudemus; eo quod nefandiſſimus Chriſtophorus, & Sergius nequiſſimus ejus filius, conſilium ineuntes cum Dodone, Miſſo germani tui Carlomanni Regis, nos interficere inſidiabantur. Unde cum eodem Dodone, & ejus Francis, cum aliquibus eorum nequiſſimis conſentaneis aggregantes exercitum ſuper nos, in Lateranenſium ſanctum Patriarchatum cum armis ingreſſi ſunt, confringentes & januas, atque omnes cortinas ipſius venerandi Patriarchii lanceis perforantes, atque intus in Baſilicam Domni Theodori Papæ ubi nullus auſus eſt aliquando, vel etiam cum cultro ingredi, tum loricis, & lanceis, ubi ſedebamus, introierunt, ſicque ipſi maligni viri inſidiabantur nos interficere, ſed omnipotens Deus cernens rectitudinem cordis noſtri, quod nulli unquam malum cogitavimus, de eorum nos eripuit manibus, & vix per multum ingenium, dum hic apud nos Excellentiſſimus filius noſter Deſiderius Longobardorum Rex, pro faciendis nobis diverſis juſtitiis B. Petri exiſteret, per eamdem occaſionem valuimus, cum noſtro clero, refugium facere ad protectorem veſtrum, & continuo direximus noſtros ſacerdotes ad eoſdem malignos Chriſtophorum atque Sergium, ut ab eadem iniquitate, quam pertractaverant nobis ingerere, reſipiſcerent, & ad nos ad B. Petrum properarent. Illi mox, ut audierunt de præſenti, cum Dodone, & ejus Francis, turmas facientes, & portas civitatis claudentes, fortiter reſiſtebant, nobis comminabantur, atque in civitatem nos ingredi minime permitte-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 769.

tebant, & dum in eadem perfidia permanerent, & cognoviſſet univerſus noſter populus eorum iniquum conſilium, de præſenti eos dereliquerunt, quin etiam & plures per murum deſcendentes ad nos, properaverunt. Alii vero portam civitatis aperientes, ad noſtri progreſſi ſunt præſentiam, & ita ipſi maligni viri coacti, atque nolentes, ad nos in Eccleſia S. Petri ſunt deducti, quos interficere univerſus populus nitebantur, & vix de eorum manibus eos valuimus eripere, & dum infra civitatem, nocturno ſilentio, ipſos ſalvos introducere diſponeremus, ne quis eos conſpiciens interficeret, ſubito hi, qui eis ſemper inſidiabantur, ſuper eos irruentes, eorum eruerunt oculos, Deo teſte dicimus, ſine noſtra voluntate atque conſilio &c.. Atque de Dodone Carlomanni Regis miſſo conqueritur, *Ut qui debuerat in ſervitio B. Petri, & noſtro fideliter permanere, ipſe e contrario animæ noſtræ inſidiabatur, non agens id, quod a ſuo Rege illi præceptum eſt.*

Stephani Papæ epiſt. altera ad Carolum, & Carolomannum.

5. Epiſtola altera hoc eodem anno Berthradæ, filiiſque ejus Carolo, & Carolomano data pro acceptis beneficiis gratias plurimas reddit Stephanus Papa, eo quod Itherio Abbate & religioſo viro Romam adveniente cum ſociis, *Illico in partes Beneventani profectus eſt Ducatus pro recolligendo illis in partibus ſito patrimonio ejuſdem protectoris veſtri Apoſtolorum Principis &c.*. Quod munus cum ſolertiſſime perfeciſſet, pro recepto patrimonio gratias Regibus reddit Stephanus, eiſque Itherium quammaxime commendat. *Ideo obnixe tanquam præſentialiter benignitatem veſtram petimus, ut ampliſſimam favoris veſtri gratiam, atque largitatis munificentiam, & dignam conſolationem eidem religioſo viro, pro ejus laborioſo certamine, quod in veſtro, atque noſtro, ut dictum eſt Apoſtolico ſervitio exhibuit, impertire jubeatis &c*. Hæc & alia Stephanus Papa ad Berthradam Reginam Pippini viduam, & ad filios ejus Carolum Magnum & Carlomannum Reges, de geſtis hoc anno. His addit Anaſtaſius.

Chriſtophorus, & Sergius Deſiderii Regis juſſu excæcantur.

6. Chriſtophorum, & Sergium Deſiderii Regis juſſu excæcatos fuiſſe, unde triduo poſt Chriſtophorus vitam finivit. Luctuoſam tragœdiam Anaſtaſii verbis exponere juvabit. *Sedulo*, quippe *idem beatiſſimus Pontifex ſuos miſſos atque litteras commonitorias dirigere ſtudebat antedicto excellentiſſimo Carolo Francorum Regi, & ejus germano Carolo-*

JESU CHR. AN. 769. *manno itidem Regi. Imminentibus namque & decertantibus in hoc ſæpius nominatis Chriſtophoro Primicerio, & Sergio Secundicerio pro exigendis a Deſiderio Rege Longobardorum juſtitiis* (juribus ſcilicet) *S. Petri, quæ obdurato corde reddere ſanctæ Dei Eccleſiæ nolebat, inde nimia furoris indignatione contra prænominatos Chriſtophorum, & Sergium exardeſcens Deſiderius, nitebatur eos extinguere atque delere. Pro quo ſuo ingenio maligno ſimulavit ſe quaſi orationis cauſa ad B. Petrum huc Romam properaturum, ut eos capere potuiſſet. Dirigens ergo munera Paulo Cubiculario cognomento Aſiarta, & aliis ejus impiis ſequacibus, ſuaſit eis, ut in Apoſtolicam indignationem eos deberet inducere. Eique idem Paulus conſentiens, de eorum proditione abſconſe decernebat. Dumque hoc cognoviſſent præfati Chriſtophorus, & Sergius, & eumdem protervum Deſiderium Regem Romam properaturum agnoviſſent, illico aggregantes multitudinem populi Tuſciæ & Campaniæ ſeu Ducatus Peruſini, viriliter cum eadem populi congregatione eidem Deſiderio Regi paravere ſe ad reſiſtendum. Quin etiam portas hujus Romanæ Urbis claudentes, & alias ex eis fabricaverunt, & ita armati omnes exiſtebant ad defenſionem propriæ civitatis. Et dum hæc agerentur, ſubito conjunxit* (pervenit ſcilicet) *ad B. Petrum antedictus Deſiderius Rex cum ſuo Longobardorum exercitu* (erat nempe extra Urbis muros ipſa baſilica Vaticana principis Apoſtolorum) *& continuo direxit Miſſos ſuos præfato Pontifici, deprecans ut ad eum regredi deberet; quod & factum eſt.*

Chriſtophorus excæcatus obiit.

7. Interea cum ſemel & iterum Stephanus Papa in baſilica Principis Apoſtolorum Deſiderium Regem adiiſſet, ac inſidias undique adverſus Sergium, & Chriſtophorum ab eo parari cognoviſſet, miſſis ad eos Andrea Preneſtino, & Joanne Signienſi Epiſcopis, ut ſibi caverent, & aut in monaſterium, aut ad Baſilicam Principis Apoſtolorum ad ſe confugerent, hortatus eſt. At ii Romanorum turba ſtipati inde egredi minime auſi ſunt; *Aſſerentes ſe* prius in manibus Romanorum ſuorum fratrum, & concivium eſſe tradendos, quam exteræ genti. At paulopoſt a ſuis derelicti Criſtophorus, & Sergius *conſpicientes ſe in magno deceptu eſſe poſitos: prius quidem Sergius eadem nocte, qua campana inſonuit, deſcendit per murum, & properavit ad B. Petrum. Quem ad gradus Eccleſiæ B. Petri comprehendentes cuſtodes Lon-*

Longobardorum, ad ſuum duxere Regem, eumque ſubſequutus eſt Chriſtophorus, qui pariter ejuſdem prænominati Pontificis obtutibus ſunt præſentati. Quos Almus conſervare cupiens, monachos fieri præcepit. Poſt hæc faciens miſſionem prænominato Regi, ingreſſus eſt idem beatiſſimus Pontifex Romam, relictis præfatis Chriſtophoro, & Sergio in Eccleſia B. Petri Apoſtoli, cupiens eos noctis ſilentio propter inſidias inimicorum ſalvos introduci Romam. At paulo poſt. *Dum ſol ad occaſum declinare videretur, continuo congregantes prænominatus Paulus Cubicularius, & alii ejus nefandiſſimi conſentanei multitudinem populi, & properantes ad Deſiderium Longobardorum Regem, inienteſque cum eo impium conſilium, abſtulere eoſdem Chriſtophorum, & Sergium ab Eccleſia B. Petri, & properantes cum pluribus Longobardis uſque ad Portam civitatis, ibidem eorum oculos eruere. Sicque prædictus Chriſtophorus in monaſterium S. Agathæ deductus, ibidem poſt triduum ob dolorem ex oculorum effoſſione vitam finivit. Sergius vero in monaſterium Clivi Scauri deportatus, poſtmodum in Cellarium Lateranenſe deductus, illic uſque ad tranſitum prænominati Pontificis extitit. Hæc vero omnia mala per iniquas miſſiones Longobardorum Deſiderii Regis provenere:* Quando (ut dictum eſt) crebræ legationes ad Carolum, & Carolomannum Francorum Reges miſſæ ſunt adverſus eoſdem Longobardos. Sed qualiter Deſiderius excuſaverit illatam vindictam in Chriſtophorum, atque Sergium, cum eam in ipſum Deſiderium Pontifex exprobravit, audi quæ in Hadriano idem Bibliothecarius habeat, ex verbis ejuſdem Pontificis, in Deſiderium juſte expoſtulantis: *Sed hoc*, inquit, *meus prædeceſſor Stephanus, pro dilectione, quam erga me ſuum puſillum habuit, mihi retulit: quia dum ad eum poſtmodum Stephanus ſuos Miſſos direxiſſet, videlicet Anaſtaſium primum Defenſorem, & Gemmulum ſubdiaconum, adhortans eum, ut ea quæ præſentialiter B. Petro pollicitus eſt, adimpleret: taliter per eoſdem Miſſos direxit in reſponſis. Sufficere Apoſtolico Stephano, quia tuli Chriſtophorum, & Sergium de medio, qui illi dominabantur, ut non ſint illi neceſſe juſtitias requirendas. Nam certe ſi ego ipſum Apoſtolicam non adjuvero, magna perditio ſuper eum eveniet, quoniam Carolomannus Rex Francorum, amicus exiſtens prædictorum Chriſtophori, & Sergii, paratus eſt cum ſuis exercitibus ad vindicandam eorum mor-*

Jesu Chr. an. 769.

mortem, Romam properare ad ipſum capiendum Pontificem. Hæc ad Stephanum Papam per legatos miſſos Deſiderius Rex, ſe quidem Chriſtophorum, & Sergium excœcaſſe, & occidiſſe teſtatus, ut Stephano Pontifici rem gratam faceret, nullo alio obnoxii crimine, niſi quod, *illi dominabantur*, ſeu Pontifici, apud quem inſtabant, ut Deſiderium Regem ad reſtituenda ablata patrimonia cogeret. *Imminentibus, & decertantibus in hoc ſæpius nominatis Chriſtophoro Primicerio, & Sergio Secundicerio pro exigendis a Deſiderio Rege Longobardorum juſtitiis S. Petri &c.*. Eaque de cauſa in eos cummotus Longobardorum Rex, corrupto Paulo Aſtarta, & Pontificis cubiculario curavit, ut Romano Pontifici, ac populo inviſi redderentur, in eorumque indignationem incurrerent, . eorumque opera utroſque excœcavit, quorum primus poſt triduum vitam finivit. Sergius vero in monaſterium Clivi Scauri deportatus, deinde in cellarium Lateranenſe, uſque ad Stephani Papæ obitum manſit, quo tempore eadem factione ſtrangulatus, vivere deſiit, ut in Hadriani Papæ vita narrat Anaſtaſius.

Qua ratione Stephanus Papa cum Anaſtaſio conciliari poſſit.

8. Ex dictis hactenus de geſtis Romæ adverſus Chriſtophorum, & Sergium, inextricabilis pene nodus exoritur, qua ſcilicet ratione, quæ de eorumdem obcœcatione & obitu narrat Stephanus Papa in epiſtola ad Carolum Magnum & Carlomannum conciliari poſſint cum iis, quæ narrat Anaſtaſius. Stephanus quippe in ea epiſtola narrat, nefandiſſimum Chriſtophorum, & nequiſſimum Sergium ejus filium, cum Dodone Carlomanni miſſo adverſum ſe conſpiraſſe, ab eorumque manibus, imminentique periculo, ſalvum vix, Deſiderii Longobardorum Regis opera, evaſiſſe, quos ſe inſcio *& ſine noſtra voluntate, & conſilio*, a populo obcœcatos fuiſſe ſcribit. Anaſtaſius e contra, uti ſupra diximus, eoſdem Deſiderii Regis inſidiis excœcatos & enecatos fuiſſe narrat, eo quod idem apud Francorum Reges Carolum, & Carlomannum, inſtantius agerent, ut Deſiderium ad implenda promiſſa, juraque Romanæ eccleſiæ reſtituenda cogeret. Quis eorum verum dixerit, ignoratur, cumque alterutrum falſitatis arguere difficile ſit, nam Anaſtaſius, ſeu quiſquis alius vitæ Stephani Papæ auctor coevus fere, maximam ſibi auctoritatem conciliat, Stephanus quoque Papa de rebus ſuis Carolo Magno, & Carolomanno ſcribens, quorum etiam lega-

ti

ti Romæ degentes, totius tragœdiæ teſtes fuerant, falſum ſcripſiſſe nemo ſibi facile perſuadebit. Hinc vix eos conciliandi via patet, niſi cum Cointio dicamus Stephanum Papam, ea præſente Deſiderio, ab eoque coactum, id ſcripſiſſe, ne promiſſa implere cogeretur, ideſt juſtitias B. Petri reſtituere, & ut ſimultatem inter Carolum Magnum, & Carlomannum foveret, quaſi alius, ideſt Carolus Stephano Papæ patrocinaretur, alter vero ideſt Carlomannus Dodonis legati ſui opera, Deſiderio Regi, impenſe faveret. Eamdemque conciliandi rationem, non ſolum Pagius, ſed Cennius etiam amplectitur, in eamdemque rem, poſt plurima ſubdit. *Quamobrem recte Cointius, aliique eruditi, Stephanum putant Pauli Pontificis exemplo ex Deſiderii voto eam epiſtolam ſcripſiſſe, non enim facile quis mendacia hujuſmodi apud Anaſtaſium comperiet, ubi de rebus, quæ Romæ evenerunt, ſermo eſt.*

Jesu Chr. an. 769. *Coint. Annal. Franc. an. 769.*

9. De geſtis autem in Oriente hoc anno, narrat Theophanes, ab Conſtantino Copronymo Eudoxiam tertiam conjugem Auguſtam dictam fuiſſe, ac corona exornatam. *Aprilis menſis die primo indictione ſeptima die ſabbato*. Sequenti vero die, Aprilis ſecunda: *Die Dominica Sancti Paſchatis liberos duos ex ea ſuſceptos, Criſtophorum & Nicephorum in eodem tribunalio, Patriarcha ſacras preces obeunte, Cæſares declaravit, & ſubinde Clamydes, & Ceſarum ſtemmata capitibus impoſuit. Nicete pariter poſtremo eorum fratri in Nobiliſſimum promoto clamydem auro textam & coronam contulit*. Atque ita ex Templo prodeuntes Imperatores miſſilia varii generis populo ſparſerunt. Quo etiam anno Leo Imperator, Copronymi filius natu maximus cum Irene Athenis orta nuptias celebravit, ut in breviario narrat Nicephorus. *Indictione demum octava* Conſtantinus Leoni filio conjugem e Græcia Irenem arceſſit. Qua auguſto ineunte Imperatrix conſalutata, ejuſdem mox *& filii nuptias celebravit*. Atque cum his nuptiis, breviarium ſuum, quod a Mauritii Imp. obitu incœperat, abſolvit. Poſt Baronii mortem eadem hiſtoria in lucem prodiit, eaque non ſemel ad annales locupletandos uſi fuimus, ait Pagius nota 3. labentis anni.

Eudoxia Imperatrix coronatur, filii ejus Cæſares dicti.

Leonis Imp. cum Irene nuptiæ.

Jesu Chr. an. 770.

JESU CHRISTI an. 770. Stephani Papæ an. 3.
Constantini Copronymi Imp. 51. et 30.
Leonis Imp. 20. Desiderii Longob. Regis 15.

Caroli, & Carolomanni diſſidia Berthrada mater componit.

1. Paternum Regnum vix inierant Carolus, & Carlomannus, cum inter ſe diſſidere cœperunt, ut adagium confirmarent. *Rara concordia fratrum*, reſque ad civile bellum fortaſſe prodiiſſet, niſi Berthrada eorum mater, ſequeſter pacis, ſuſcepto ad utrumque itinere, obſtitiſſet. Diſſidio cauſa Aquitanicum bellum a Carolo ſuſceptum, dediſſe vero proximum eſt, cui opem ferre Carolomannus recuſavit. Cum etenim Hunaldus Vaifarii Aquitaniæ ducis nuper occiſi pater, qui ſeculo jam antea renunciaverat, ac monaſticum ſuſceperat habitum, poſt filii obitum monaſtico habitu abjecto Regnum affectans, *Provincialium animos ad nova molienda contitaret*, bellum adverſus eum ſuſcepit Carolus: *Sed cum fratris auxilium habere non poſſet, qui Procerum ſuorum pravo conſilio, ne id faceret, impediebatur, colloquio tantummodo cum eo habito in loco, qui Duaſdives vocatur, fratre in Regnum ſuum remeante* ideſt Carlomanno, *Ipſe*, ideſt Carolus, *in Engoliſmam civitatem Aquitaniæ proficiſcitur, & inde contractis undique copiis fugientem undique perſequitur, paulumque abfuit, quin caperet*. At viarum peritia adjutus, in Vaſconiam tranſiit, apud Lupum ejus regionis Ducem, ad quem cum Carolus legatos miſiſſet, bellum minitans, niſi perfugam traderet, Lupus Caroli minis perterritus. *Hunaldum & uxorem ejus ſine cunctatione reddidit*, ſicque eo bello feliciter confecto, in Regnum ſuum Carolus rediit. *Celebravitque natale in villa Duria, & Paſcha apud ſanctum Lambertum in vico Leodico*, ait Annaliſta Metenſis, cui conſentit Eginhardus in vita Caroli. Pacis vero ſervandæ Bertham, ſeu Berthradam Caroli, & Carolimanni matrem ſequeſtrem fuiſſe, Francorum annales referunt, quam filios adiiſſe narrant, ac inde ex Bojaria in Italiam, ac Romam uſque profectam addunt, ut paulo poſt dicturi ſumus.

Stephanus Papa de reintegrata concordia gratulatur.

2. Dum Carolum cum fratre Carolomanno diſſidere accepiſſet Stephanus Papa, ſummo animi mœrore affectus fuerat. At cum ii, legatos ſuos Gugibertum ſcilicet Epiſcopum, Fugbertum religioſum, Anfredum, & Gelymarium nobiliſſimos

mos viros ad eum miſiſſent, ut de reintegrata inter eos concordia certiorem redderent, gratulatorias ad eos litteras dedit, quibus & conceptum pro diſſidio mœrorem exponit, & de reintegrata pace lœtitiam; Hinc ajebat. *Redemptor noſter preces clamantium ad ſe exaudiens, mœrentium tribulationes ad gaudium convertit, quod certe nunc in nobis, atque univerſo peculiari populo ſanctæ Dei eccleſiæ ejus, divinæ pietatis clementiam & miſericordiæ benignitatem cernimus eſſe diffuſam in eo, quod noſtræ orationis vota exaudiens, & mœroris noſtri lamentationem, quam uſque hactenus habuimus ex ipſa diviſione diſcordiæ, quam antiquus hoſtis inimicus pacis, intra veſtram fraternitatem immiſerat, nunc Deo propitio, eodem peſtifero æmulo confuſo, in communem dilectionem & concordiam, ut vere uterinos & germanos fratres vos connexos eſſe diſcentes, in magnam lætitiam convertere dignatus eſt*, ac eorum acceptis litteris, *per quas innotuiſtis*, ſubdit Pontifex, *contentionis rixas, ac litigia inter vos verſata fuiſſe, ſed annuente Domino, nunc ad veram dilectionem & unitatis concordiam, & fraternum amorèm converſi extitiſſe videmini., quo audito magno gaudio, atque lætitia cum univerſo populo noſtro iſtius provinciæ a vobis redemptæ repleti ſumus, & gemina feſtivitati gaudia peregimus, immenſas Deo noſtro referentes gratiarum actiones. &c.* Quod vero epiſtola eadem Stephano promiſiſſent, ſe totis viribus curaturos, ut jura Romanæ eccleſiæ, ſeu juſtitiæ, ut paſſim dicebatur, redderentur, iterum gratias agit, ac rogat, ut *ſub nimia velocitate ſecundum capitulare, quod vobis per præſentes veſtros fideliſſimos miſſos direximus, exigere, & B. Petro reddere jubeatis, ſicut & veſtra continet promiſſio*, & ſub interminatione divini judicii eoſdem admonet, & adjurat, *ut ſub nimia velocitate, ipſas juſtitias ejuſdem Principis Apoſtolorum exigere a Longobardis jubeatis, fortiter eos cum Dei virtute diſtringentes, ut ſua propria idem Princeps Apoſtolorum, & Romana eccleſia recipiat &c.*, ac addit. *Si quis autem vobis dixerit, quod juſtitias B. Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis. &c.* Quare eadem, quæ ipſe anno proximo coactus a Deſiderio Rege ſcripſerat, retractat. Hactenus Stephani Papæ epiſtola ad Carolum, & Carolomannum.

JESU CHR. AN. 770.

3. Huic alteram ad Carolomannum propriam addidit, qua rogat, ut ſibi filium ex ejus uxore natum, e ſacro fonte ſuſci-

Stephanus Papa Carolomanni fi-

Jesu Chr. an. 770.

lium e sacro fonte suscipere cupit.

ſuſcipere, vel per chriſmatis unctionem compatrem eſſe liceret. *Ut eadem, Deo proſperante, compaternitatis gratia in medio noſtrum corroborata, magna lætitia, ex hoc tam nos, quamque univerſus populus noſter pariter relevati, exultare valeamus in Domino*. Quid præterea per legatos ſuos ad Stephanum miſſos Carolomannus petierit, aut eidem Pontifex reſponſum dederit non conſtat, cum verbis præcipua res tranſacta fuerit, unde ajebat Stephanus. *Interea conjungentes ad nos Beraldus relegioſus Abbas, & Audbertus vir inluſter, detulerunt nobis honorandas, nimiſque deſiderabiles ſyllabas a Deo protectæ Excellentiæ veſtræ, quas cum magno honoris affectu ſuſcipientes atque relegentes, quæ in eis ferebantur omnino agnovimus. Sed & ipſi fideliſſimi veſtri miſſi, quæ a veſtra a Deo protecta excellentia injuncta habuerunt, nobis ſubtilius retulerunt. De quibus, ſicut veſtris fidelibus ad ſingula eis reſponſum reddimus, veſtro a Deo inſpirato culmini liquido enarrandum. &c.* Ac ſalutem plurimam eidem, uxori ejus, & filiis, ſoſpitatemque precatur.

Bertradæ iter in Italiam ut a Deſiderio filiam uxorem Carolo peteret

4. Bertham ſeu Bertradam, Pippini viduam, Caroli, & Carolomanni matrem iter ad utrumque ſuſcepiſſe, ac pacem inter eos conciliaſſe diximus, ac Carolomannum *ad Saloſſa*, ſeu Saluſſe conveniſſe narrat Annaliſta Loiſelianus, *& in eodem anno*, ſequitur idem auctor, *perrexit Domina Berta Regina per Bojariam*, ubi tunc Carolus cum exercitu erat, uti ſupra diximus, *partibus Italiæ*. Italicum autem iter Berta ſuſceperat, ut nuptias cum filia Deſiderii Longobardorum Regis & filio ſuo Carolo conciliaret. *Hoc anno* ait Annaliſta Petavianus, *Berta fuit in Italia propter filiam Deſiderii Regis*. Deſiderius quippe Longobardorum Rex e re ſua eſſe ſciebat, cum Francorum Regibus amicitiam & ſocietatem fovere, quam ut facilius obtineret, ſicque a tuendis Romanæ eccleſiæ juribus, Romanoque protegendo Pontifice revocaret, Giſilam eorumdem Regum ſororem filio ſuo Adalgiſo uxorem poſtulaverat, utque firmius etiam mutui amoris vincula necterentur, filiam ſuam alterutro Francorum Regi uxorem obtulit, ac cum Berta in Galliam miſit, cum tamen uterque uxorem haberent, nec Carolomanno, ut propria repudiata, hanc alteram duceret, perſuadere potuiſſet Berta ejus mater, eam Carolo dedit. Unde in ejus vita Eginhardus. *Cum matris hortatu filiam Deſiderii Regis Longobardorum duxiſſet uxo-*

Digitized by Google

uxorem, incertum qua de cauſa poſt annum repudiavit. Repudii cauſam ab Eginhardo ignoratam, conſcientiæ ſtimulos, ac Stephani Papæ exhortationes, ac excommunicationis minas fuiſſe credibile eſt, ſicque quod contra jus faſque tentatum fuerat, in irritum paulopoſt ceſſit, nec etiam Adalgiſus Deſiderii filius, Giſilam Caroli, & Carolimanni ſororem obtinere potuit, quam a primæva ætate, anno ſcilicet 14. vix ingreſſa, monaſticam vitam amplexa eſt, ut his verbis narrat Eginhardus in vita Caroli. *Erat ei unica ſoror, nempe Giſla a puellaribus annis, religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter, ut matrem magna coluit pietate, quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo, quo converſata eſt monaſterio deceſſit*. Quatuor nihilominus filias Pippinum habuiſſe tradit Martene in præfatione ad collectionem anecdotorum pag. 4. numero nono. De Giſila, aut Giſla plura dabit Mabillonius in annalibus benedictinis, quam Galenſem Abatiſſam fuiſſe, & uſque ad annum 810. vitam tenuiſſe, adnotat.

Jesu Chr. an. 770.

5. Quanto in ineundo cum Francorum Regibus fœdere, mutuis nuptiis confirmando ſollicitior erat Deſiderius Longobardorum Rex, ut ſecurius Italicum teneret Regnum, filioque ſuo tranſmitteret, ac juſtitias, ſeu jura Romanæ eccleſiæ retineret, ideſt provincias, & loca a Pippino Romanæ Eccleſiæ donata, ipſumque Romanum Ducatum excurſionibus vexaret, tanto ea de cauſa, ne id contingeret, ſollicitior fuit Stephanus Papa, quare cum ad ejus aures Deſiderii conatus, ac ſuſcepti ab Bertha ſeu Bertrada itineris ſcopus pervenit, exhortatorias, quin & comminatorias ad Carolum, & Carolomannum litteras dedit, ut eos ab iis conjugiis ineundis deterreret.

Stephani Papa epiſt. ad Carolum & Carolomannum.

6. Ac primo, adnotat variis tentationibus obnoxiam eſſe hominum naturam, electos nihilominus humani generis terrores & blandimenta ſuperaſſe, dum alii falſis perſuaſionibus decepti, recto relicto tramite, in abrupta prolapſi ſunt. Deinde ſubdit. *Itaque noſtræ perlatum eſt notioni (quod certe cum magno cordis dolore dicimus), quod Deſiderius Longobardorum Rex veſtræ perſuadere dignoſcitur excellentiæ, ſuam filiam uni ex veſtra fraternitate in conjugio copulare. Quod certe ſi ita eſt, hæc proprie diabolica eſt immiſſio, & non tam matrimonii conjunctio, ſed conſortium* nequiſ-

Carolum, & Carolomannum ab ineundo conjugio deterrere ſatagit.

nequiſſimæ adinventionis eſſe videtur, quamplures comperimus; ſicut divinæ Scripturæ hiſtoria iſtruimur, per alienæ nationis injuſtam copulam a mandatis Dei deviare, & in magna devolutos facinora. Quæ eſt enim, præcellentiſſimi filii magni Regis, talis deſipientia, ut penitus vel dici liceat, quod veſtra præclara Francorum gens, quæ ſuper omnes gentes eminet, & tam ſplendiflua ac nobiliſſima regalis veſtræ potentiæ proles, perfida (quod abſit) ac fœtentiſſima Longobardorum gente polluatur, quæ in numero Gentium nequaquam computatur, de cujus natione & leproſorum genus oriri certum eſt. Nullus enim, qui mentem ſanam habet, hoc, ſuſpicari poteſt, ut tales nominatiſſimi Reges, tanto deteſtabili atque abominabili contagio implicentur, quæ enim ſocietas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli? Etenim mitiſſimi, & a Deo inſtituti benigniſſimi Reges, jam Dei voluntate & conſilio, conjugio legitimo & ex præceptione genitoris veſtri copulati eſtis, accipientes ſicut præclari, & nobiliſſimi Reges de eadem veſtra patria, ſcilicet ex ipſa nobiliſſima Francorum gente, pulcherrimas conjuges, & earum vos opertet amori eſſe annexos, & certe vobis non licet, eis dimiſſis, alias ducere uxores, vel extraneæ nationis conſanguinitati immiſceri. Etenim nullus ex veſtris parentibus, ſcilicet neque avus veſter, neque proavus, ſed nec genitor veſter ex alio Regno, vel extranea natione conjugem accepit. Vides igitur, ex eo diſſuaderi connubium cum Longobardis, quod aliis fuiſſent ante conjugibus copulati, quod & inferius æque teſtatur. Subdit vero: *Et quis de veſtro nobiliſſimo genere ſe contaminare, aut commiſcere cum horrida Longobardorum gente dignatus eſt, ut nunc vos ſuademini (quod avertat Deus) eadem orribili gente pollui? Itaque nullus, exteræ gentis aſſumpta conjuge, innoxius perſeveravit. Advertite quæſo, quanti, qualeſque potentes per alienigena conjugia a præceptis Dei declinantes, & ſuarum ſequentes uxorum alienæ gentis voluntatem, validis irrepti exceſſibus, immenſa pertulere diſcrimina. Impium enim eſt, ut vel penitus veſtris aſcendat cordibus, alias accipere uxores ſuper eas, quas primitus certum eſt vos accepiſſe. Non convenit vobis tale peragere nefas, qui legem Dei tenetis, & alios, ne talia agant, corripitis. Hæc quippe paganæ gentes faciunt: Nam abſit hoc a vobis, qui perfecti eſtis Chriſtiani, atque gens ſancta, & regale*

Digitized by Google

gale eſtis ſacerdotium. In memoriam etiam iis revocat, per manus Vicarii B. Petri in Reges inunctos fuiſſe, & quod cum præceſſor ſuus Stephanus Papa, ne uxorem ſuam dimitteret, Pippino patri eorum prohibuiſſet, *Ipſe ſicut revera chriſtianiſſimus Rex ejus ſalutiferis obtemperavit monitis*. Inſuper in memoriam revocat B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus promiſiſſe, ſe in Romanæ eccleſiæ amicitia, & protectione permanſuros. *Quomodo nunc*, addit, *contra animas veſtras agere contenditis, & cum noſtris inimicis conjunctionem facere vultis. Dum ipſa perjura Longobardorum gens, ſemper eccleſiam Dei expugnantes, & hanc noſtram Romanorum provinciam invadentes noſtri eſſe comprobantur inimici*. Meminit præterea, quod cum Conſtantinus Copronymus a patre eorum Giſilam ſororem, pro filio ſuo uxorem poſtulaſſet, a ſede Apoſtolica admonitus, Copronymi votis nequaquam ceſſit. Hinc poſt plurima, ſuo, Romanæque eccleſiæ, Romanique Senatus nomine, per Deum obteſtatur, *Ut nullo quiſquam de veſtra fraternitate præſumat filiam jam dicti Deſiderii Longobardorum Regis in conjugium accipere. Nec iterum veſtra nobiliſſima germana Deo amabilis Giſila tribuatur filio ſæpefati Deſiderii, nec veſtras quoquomodo conjuges audeatis dimittere &c.*.

Jesu Chr. an. 770.

7. *Præſentem itaque exhortationem noſtram, atque adjurationem in confeſſione B. Petri ponentes, & ſacrificium ſuper eam, atque hoſtias Deo noſtro offerentes, vobis cum lacrymis ex eadem ſacra confeſſione direximus. Et ſi quis (quod non optamus) contra hujuſmodi noſtræ adjurationis, atque exhortationis ſeriem agere præſumpſerit, ſciat ſe auctoritate Domini mei B. Petri Principis Apoſtolorum anathematis vinculo eſſe innodatum, & a Regno Dei alienum, atque cum Diabolo, atque ejus atrociſſimis pompis, & ceteris impiis, & æternis incendiis concremandum deputatum. At vero qui obſervator & cuſtos iſtius noſtræ exhortationis extiterit, cæleſtibus benedictionibus a Domino Deo noſtro illuſtratus, æternis præmiorum gaudiis cum omnibus ſanctis & electis Dei particeps eſſe mereatur. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat*. Hactenus Stephani epiſtola ea de re ſcripta, quam nonnulli aut interpolatam, aut ſuppoſititiam eſſe dubitarunt, ob ingeminatas in ea epiſtola adverſus Longobardorum gentes injurias, Romanæ majeſtatis, Romanique

Stephanus Papa in Reges Francorum excommunicationem minatur.

Pontificis indignas, cum eam dicat fœtentiſſimam, horridam; *quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cujus natione & leproſorum genus oriri certum eſt*. At cum eadem epiſtola cum ceteris in Codice Carolino locum invenerit, inter Apochryphas, aut interpolatas, receenſeri non poteſt. Si quædam Stephano Papæ in ea exciderunt, ad rem minus apta, vel etiam injurioſa, rudi illi ætati tribuenda ſunt, ait Cennius, aut Pontificis dolori adſcribenda, dum eam Deſiderii Regis, cum Regibus Francorum conſpirationem, in Romanæ eccleſiæ, Romanique Ducatus detrimentum, & oppreſſionem vergere cernebat.

Caroli nuptiæ cum filia Deſiderii Regis.

8. Ab his fortaſſe nuptiis, Stephani etiam Papæ litteris exterritus ſe abſtinuiſſet Carolus, niſi ejus mater, quæ ſecum in Gallias Deſiderii filiam duxerat, obſtitiſſet, eam itaque, repudiata uxore ſua Himelrade, duxit Carolus, quorum nuptiæ, utpote contra evangelii legem & Stephani Papæ admonitionem, infelicem ſortitæ ſunt exitum. Nam anno proximo, eadem facilitate, qua eam acceperat, repudiavit, atque ad patrem remiſit, ut ſuo loco dicturi ſumus. Franci quidem ſcriptores, a polygamiæ crimine Carolum Magnum liberare conati ſunt. Eginhardi præcipue auctoris vitæ Caroli auctoritate innixi, qui uxores Caroli recenſens, Deſiderii filiam primam numerat, deinde Hildegardim *de gente Suevorum præcipue nobilitatis fœminam*. At nimis aperta ſunt Stephani verba, quibus eum uxorem tunc habuiſſe narrat, cujus ſane in hac re fides in dubium revocari vix poteſt. Hinc factum, ut moderatioris ingenii ſcriptores Galli, Carolum priore dimiſſa uxore, Deſiderii filiam ſuperinduxiſſe ſcribere non dubitaverint. Hoc unum addimus, quod Bertrada Auguſta honorificentiſſime excepta fuit ab Stephano Papa, cui ut gratificaretur ab Deſiderio Rege obtinuit, ut is loca nonnulla Romanæ eccleſiæ redderet. Unde in fragmento quodam ad Fredegarii appendicem addito, ac a Ducheſnio vulgato hæc leguntur. *Anno 770. fuit Bertha Regina in Longobardia ad placitum contra Deſiderium Regem, & redditæ ſunt civitates plurimæ ad partem S. Petri*. Seu potius, ut credibile eſt, ſe redditurum eſſe promiſit Deſiderius. At eum nil ultra, poſt initam cum Francorum Regibus ſocietatem, ſibi timeret, vix promiſſa implevit, ac contra Romanam eccleſiam acrius ſœviit, cum præcipue priſtinam Re-

Regum Francorum cum Stephano Papa amicitiam interruptam fuiſſe ſciret, unde etſi Stephanus uſque ad annum 772. ſupravixerit, nulla ulterius inter eos legatio interceſſit, aut epiſtola vel data, vel accepta fuit. Tanta quippe indignatio Romæ ob Caroli matrimonium cum filia Deſiderii concepta fuerat, ut litterarum quoque curſus ſuſpenſus fuerit.

Deſiderius Longob. Rex diſſidia inter Romanos excitat.

9. Deſiderius interea Rex, cum Francorum Regum benevolentiam ſibi conciliaſſet, diſſidia in Romana urbe, & provinciis Romano Pontifici ſubditis ſerere non deſinebat. Quid Pauli Aſtartæ, & Pontificis cubicularii opera adverſus Chriſtophorum Romanæ eccleſiæ primicerium, ejuſque filium Sergium tentaverit, anno ſuperiore diximus, his deteriora hoc anno præſumpſit, dum mortuo Sergio Ravennatenſi Archiepiſcopo, in ejuſque locum electo Leone ejuſdem eccleſiæ Archidiacono, Michelius quidam vir laicus, eam ſedem, adnitentibus ſibi Arimenſi duce, & Deſiderio Longobardorum Rege invaſit, eamque aliquanto tempore retinuit, ut narrat Anaſtaſius in vita Stephani Papæ his verbis. *His peractis Synodalibus geſtis*, de quibus anno proximo egimus, *contigit poſt aliquantum temporis de hac vita migraſſe Sergium Archiepiſcopum civitatis Ravennatium: & continuo ſurgens Michael Scrinarius ipſius Eccleſiæ, qui nullo ſacerdotali fungebatur honore, profectus eſt Ariminum ad Mauritium Ducem Ariminenſem, & congregans inde nefandiſſimus Mauritius exercitum una cum conſilio Deſiderii Longobardorum Regis properavit, & ingreſſus eſt Ravennam, & brachio forti elegit ipſum Michaelem, & in Epiſcopium Ravennatis Eccleſiæ introduxit; & Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Archiepiſcopatus ordinem, Ariminum deportantes, ibidem arcta cuſtodia mancipatum idem Mauritius detineri fecit. Tunc direxit quantocyus prædictus Michael una cum Mauritio & judicibus Ravennatium ad præfatum beatiſſimum Stephanum Pontificem, promittentes ei copioſa munera, ut ipſum Michaelem Archiepiſcopum conſecrare deberet. Ipſe vero beatiſſimus Præſul per nullius donationis promiſſionem inclinatus eſt eumdem Michaelem conſecrare, afferens nulla ratione hoc fieri poſſe, dum in ſacerdotii honore minime ipſe prædictus exiſteret Michael. Cui idem Stephanus Pontifex pluribus vicibus obteſtationis & prædicationis litteras, atque Miſſos direxit, ut idem Michael ab injuſto propoſito rece-*

Jesu Chr. an. 770.

recederet, ſed nullo modo, Apoſtolicis admonitionibus acquieſcere voluit, danſque plurima munera Deſiderio Longobardorum Regi, & cymelia, & ornatus ipſius Eccleſiæ cum aliis ſpeciebus, brachio forti per unius anni curriculum, & eo amplius ipſius Eccleſiæ Epiſcopium invaſum detinuit, denudans, atque in magnam paupertatem eum redigens.

Michael ejicitur, & Leo Ravenn. Epiſc. ordinatur.

10. Diu tamen ac *per anni circulum & amplius* Michael uſurpatam ſedem retinuit, nam miſſis illuc Stephani legatis una cum miſſis Caroli Regis Francorum, *Omnes Ravennianos admonendo, ſtatim inſurrexere ſuper ipſum Michaelem, & eum cum opprobrio de ipſo Epiſcopio projecerunt, quem vinctum huc Romam dirigentes, elegere ſæpe fatum Leonem Archidiaconum ipſius eccleſiæ Ravennatis in Archiepiſcopatus honorem, & ab eodem ſanctiſſimo Papa Stephano ordinatus & conſecratus eſt.* Hactenus de Ravennatium turbis, quæ hoc anno cœptæ in ſequentes etiam propagatæ ſunt, rem ipſam confirmat Hadrianus Papa in epiſtola ad Carolum. *Quando prædictus Sergius Archiepiſcopus obiit, per ſuam arrogantiam Michelius preſumptor invadere auſus fuit eccleſiam Ravennatem, & per auxilium Deſiderii ſæviſſimi Regis ipſam enormiter invadens eccleſiam diu detinebat, & a ſuo proprio rectore deſtituta, atque viduata manebat. Tunc ad deceſſorem noſtrum domnum Stephanum Papam prædictus Huchaldus a veſtra directus regali excellentia pro ceteris cauſis, ab eodem præfato domno Stephano Papa, per veſtrum a Deo roboratum regale adminiculum, Ravennam miſſus eſt, eumdem præfatum Michelem invaſorem ex ipſa Ravennate eccleſia expellendum, & hic Roma tamquam tranſgreſſorem ſacrorum canonum tranſferendum &c.* Neque Ravennam ſolum, quæ caput Exarchatus erat, ab Romani Pontificis ſubiectione & obedientia, per ſchiſmaticos, alienare conatus eſt Rex Longobardorum, ſed etiam ceteras Pentapolis urbes Exarchatui ſubditas, hinc ut diximus, Mauritius qui Ariminum præcipuam Exarchatus urbem tenebat, cum Deſiderio Rege Michaelis ſchiſma confirmare conatus eſt.

Joannis Nepeſini Epiſc. obitus.

11. Hoc etiam anno Romæ obiit Joannes Nepeſinus Epiſcopus, quem in Romana ſynodo ſub Paulo Pontifice ſubſcripſiſſe ſcimus, cujus memoria adhuc ſupereſt in eccleſia S. Sabæ Romæ, ubi hæc inſcriptio legitur his verſibus, & notis inciſa, ait Baronius.

Hac

Hoc humata jacent Johannis membra ſepulchro
Qui Nepe fuerat Præſul in urbe quidem
Ne Nepa ſæva ſibi noceat, ſuccurre Redemptor
Et quæ contraxit crimina . . . .
Nempe loco ſancto voluit ſepelirier iſto
Quo per hos ſanctos inveniat requiem
Extenſum per ⊖. P. Q. E. ▽. *connexa*
Chriſti annum monſtrant, quo tranſiit iſte Sacerdos
Obiit in pace II. Kal. Nov.
E. ⊥. O. I.

Si colligantur numeri quinque harum litterarum partim latinarum, partim Græcarum, fiunt anni 770., ait Baronius, qui etiam tabulam ad eorumdem numerorum, aliarumque ejus generis ſiglarum explicationem exhibet.

12. Hoc anno Carolum Leodii Paſchatis feſtum, & Nativitatem Moguntiæ celebraſſe, Generalem vero populi conventum Wormatiæ habuiſſe Annales Francorum narrant. Quid vero in Vvormatienſi conventu geſtum ſit ignoratur. Capitula quidem nonnulla ex hoc Vvormatienſi conventu refert Baronius, ex libro 6. & 7. capitularium Caroli Magni deſumpta, quibus Francorum gens a Carolo expetierat, ne impoſterum Epiſcopos, & Presbyteros ad bella ire cogeret, ex quibus duos tantum, aut tres doctrina, & pietate præſtantes eligeret, qui caſtra ſequentes, benedictionem militibus darent, aut reconciliationem, ceteros vero domi relinqueret, ut unuſquiſque in ſua eccleſia muneri ſuo ſatisfaceret, & pro militantibus, Moiſis exemplo, preces funderent, nam eorum multitudine gravari magis, quam fulciri exercitus adnotant, dum plurimi eorum cuſtodiæ, & tuitioni deſtinati, ad ferenda contra hoſtes arma impedirentur. Hi porro populi conventus, quibus cum Epiſcopis, Regni Proceres conveniebant, ſingulis fere annis ea ætate indicebantur, quibus quæ gerenda erant, tum ad eccleſiæ diſciplinam in clero & populo ſervandam, cum quæ ad Regni tutelam ſpectabant, decernebantur. Ad hujuſmodi conventus, ut ex Adelardo docet Hincmarus conveniebant Epiſcopi, & Abbates cum Comitibus, aliiſque proceribus, invicemque conſulebant de publicis Regni negotiis. Quæ ibidem ſtatuta erant,

Vormatienſis conventus celebratur.

Jesu Chr. an. 771. erant, Epiſcopis & Comitibus Cancellarius tradebat, qui deinde ad aliarum civitatum Epiſcopos, Abbates, & Comites tranſmittebant, ut per ſingulas provincias divulgarentur. De quibus infra paſſim fiet mentio, nunc hæc de eorumdem conventuum ſcopo adnotaſſe ſufficiat.

Aurelius Froilæ in Hiſpaniæ Regno ſuccedit

13. Hiſpaniarum provincias hoc tempore, non ſolum Seracenorum bello, & jugo afflictas fuiſſe ſcimus, ſed civilibus etiam diſcordiis, nam Froilas, qui occiſo fratre Hiſpaniarum Regnum invaſerat, a fratre Aurelio hoc anno occiſus, fratricidæ Regnum reliquit, quo regnante ſervile bellum exortum eſt, ſervis contra dominos ſuos rebellantibus, quod tamen Aurelius cito extinxit, ut narrat Vaſeus in chronico, ſicque chriſtianorum res in Hiſpania, mutuis eorum diſſentionibus in deterius prolapſæ ſunt.

JESU CHRISTI annus 771. Stephani Papæ 4.
Constantini Copronymi Imp. an. 52. et 31.
Leonis Imp. an. 21.
Desiderii Longob. Regis an. 16.

Carolus Rex Deſiderii filiam repudiat.

1. Quam hortante matre, & contra Stephani Papæ præceptum anno proximo Deſiderii Longobardorum Regis filiam uxorem duxerat Carolus, hoc anno dimiſit, ut in ejus vita narrat Eginardus his verbis. *Cum matris hortatu filiam Deſiderii Regis Longobardorum duxiſſet uxorem, incertum qua de cauſa poſt annum repudiavit, & Hildegardem de gente Svevorum præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium accepit.* Hoc nempe exeunte anno, ait Pagius. Divortii cauſam, quam Eginardus ignoravit, aut dicere noluit, utpote Carolo familiaris, expoſuit monachus Sangallienſis lib. 2. cap. 25. de geſtis Caroli, dum ait, Libellum repudii eidem datum *Judicio ſanctiſſimorum Sacerdotum, quia eſſet clinica, & propagandam prolem inhabilis*, eam Deſideratam dictam fuiſſe ſcribit Ratbertus in vita Sancti Adelhardi Caroli conſobrini, qui cum Caroli inceſtas nuptias cum filia Deſiderii Regis, nec ferre, nec impedire potuiſſet, aula relicta in Corbejenſe monaſterium ſe recepit, ubi ſanctitate conſpicuus ad vitæ exitum perſeveravit. *Cum Carolus Deſideratam Deſiderii Regis Italorum filiam repudiaret, quam ſibi dudum etiam quorumdam Francorum juramentis petierat in conjugium,*

gium, ut nullo negotio beatus ſenex perſuaderi poſſet, dum adhuc eſſet tyro Palatii, ut ei, quam vivente illa, Rex acceperat, aliquo communicaret ſervitutis obſequio. Sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quod & nonnulli Francorum ex eo eſſent perjuri, atque Rex illicito uteretur thoro, propria ſine aliquo crimine repulſa uxore. Qui nimio zelo ſuccenſus, elegit plus ſeculum relinquere adhuc puer, quam talibus admiſceri negotiis, cui contraire prohibendo non poſſet, non ſe conſentire, fugiendo monſtraret. Ex quibus ſane verbis apparet, jure meritoque Stephanum Papam, minis, & exhortationibus ab eo conjugio Carolum Regem deterruiſſe, etſi fruſtra id tentaverit. Interea cum ex iis nuptiis, arctiſſimam cum Regibus Francorum ſocietatem iniiſſet Deſiderius, ac diſſidia inter eos Romanumque Pontificem Stephanum diſſeminaſſet, omnimodam non ſolum in Regno ſuo ſecuritatem, ſed in tota Italia libertatem agendi quidquid vellet, ſibi conciliaſſe crediderat. At unde ſecuritatem ſperaverat, inde ejuſdem ruina effluxit, nam Deus, qui reprobat conſilia Principum, ex iis nuptiis, effecit, ut Deſiderius, ejuſque filii Italico Regno penitus dejicerentur, graves quippe, paulo poſt querelæ Carolum inter, & Deſiderium exortæ ſunt, cum Pipinus filiam ad Patrem dato ripudio remiſiſſet, quæ exinde etiam in immenſum excreverunt, cum mortuo hoc eodem deſinente anno Carolomanno, ut mox dicturi ſumus, Carolomanni filia cum filiis ſuis ad Deſiderium tranſiit, quorum tutelam, & in paterni regni reſtitutionem cum ſuſcepiſſet Deſiderius, Caroli arma in ſeipſum excitavit, a quo non ſemel victus, & in captivitatem & exilium ductus, miſerrime ibidem vitam finivit, ut ſequentibus annis dicturi ſumus.

Carolimanni obitus.

2. Carolomannus interea inquieti animi Princeps, qui vix cum fratre Carolo pacem ſervare potuit, hoc anno e vivis exceſſit, cum annos tres, menſes duos, dies aliquot, regnum tenuiſſet. De cujus obitu hæc narrat Annaliſta Metenſis ad hunc annum. *Carolomannus Rex defunctus eſt in villa Sulmontiaco II. Nonis Decemb. ſepultuſque eſt juxta urbem Remorum in baſilica B. Remigii. Geilberga vero uxor Carlomanni cum duobus parvulis, & paucis Principibus de parte viri ſui Italiam petiit, & ad Deſiderium Regem Longobardorum perrexit*, ut ab eo adverſus Carolum auxilium

Jesu Chr, an. 771.

peteret, quo filios ſuos regni paterni participes efficeret, fruſtra tamen hæc mater tentavit, nam Carolus, totius Regni Francorum monarchiam obtinuit, ac in villam ad Carbonacum ſitam veniens, ibidem ut idem Annaliſta Metenſis addit, venerunt ad eum. *Fulcarius, & Fulradus cappellani cum aliis Epiſcopis, & Sacerdotibus, Virinus & Adelbardus Comites cum aliis Primatibus, qui fuerant Carlomanni, & unxerunt Dominum Carolum ſuper ſe in Regem & obtinuit feliciter Monarchiam Regni Francorum*. Qua ratione excluſis filiis fratris, Regnum eorum invaſerit Carolus, ignoratur. Atque ex immoderata regni dilatandi cupiditate, id Carolum pertentaſſe ſcribit Muratorius. Alii vero, ut Carolum, excuſent, adnotant, eam tunc temporis fuiſſe Regni Francorum conſtitutionem, ut ad fratres magis, quam ad filios, regnum devolveretur. Hoc unum certum eſt, Carolum regni fraterni partem invaſiſſe, ac bello adverſus Deſiderium ſuſcepto, qui Carlomanni filios in ſuam receperat tutelam, injuriam ſibi illatam vindicaſſe.

S. Remigii Rothomag. Epiſc. obitus.

3. Hoc etiam anno ſanctus Remigius Archiepiſcopus Rothomagenſis Caroli Martelli filius, & frater Pippini Regis, *Tranſivit de hoc mundo 14. Febr. anno 771. ordinationis vero ſuæ anno 17. & ſepultus eſt in eadem eccleſia B. Dei genitricis Mariæ, ubi multo tempore requievit, deinde tranſlatum eſt ſanctum corpus ad urbem Sveſſionenſem in eccleſia Sancti Medardi*. Ait auctor vitæ ejus a Lombeccio editæ lib. II. bibliothecæ Ceſareæ cap. 8. quam etiam Mabillonius tomo ſecundo Analectorum pubblicavit, ubi plura de eodem Remigio videri poſſunt.

Conſtantinus ex Irene naſcitur.

4. Ex Leone Imperatore & Irene natus eſt Conſtantinus. *Indictione nona menſis Januari, die 14. Leoni, & Irene Imp. natus eſt filius, qui Conſtantino ejus avo inter vivos adhuc agente, etiam Conſtanttnus appellatus eſt*. Ait Theophanes, de quo plura infra dicturi ſumus, cum eum elegerit Deus, ut pacem eccleſiis Orientalibus, & catholicam fidem ab Iconoclaſtis labefactatam, reſtitueret.

Perſecutio in monachos recrudeſcit.

5. Eodemque auctore ſcimus perſecutionem in monachos a Conſtantino Copronymo excitatam, hoc quoque tempore viguiſſe, nam monachos, omnes Thracenſium themati ſubjectos Epheſum advocavit, iiſdemque in planiciem eductis, ait Præſes. *Qui Imperatori, mihique morem gerere ſtudet*

Digitized by Google

det veſte candida induatur, hacque ipſa hora uxorem accipiat. Qui parere detrectaverit, oculis privatus in Cyprum deportatur exul, dicto citius opus ipſum perfectum eſt, & martyrii coronam die illo plurimi retulerunt, ſed & multi ordinis ſui deſertores perierunt, quibus Drago. Præſes ſcilicet, ejus nominis, *uſus eſt.*

Jesu Chr. an. 772.

6. Eodemque anno, vel ſequenti, idem Michael Laconodraco Thracenſium Dux, miſſis filio ſuo Leone, cum ſociis. *Omnia tam hominum, quam fœminarum monaſteria cum ſacris vaſis, libris, gregibus, atque univerſis eorum facultatibus venumdedit, collectamque inde pecuniam Imperatori tranſmiſit. Cuncta vero monachorum, aut ſanctorum Patrum opera ſcripta igne comſumpſit. Ac ſi vel ibi quiſpiam reliquias in philacterium gerere deprehenſus fuit, eas captas flammis eadem ratione tradidit, & eum, qui geſtaſſet, tamquam impietatis reum tormentis examinabat, ac monachorum quidem plurimos verberibus, alios gladio confecit, innumeris oculos effodit, nonnullis barbam unguento ex cera, & oleo confecto illiniebat, injectoque in eam igne, tam faciem, quam ipſum miſerorum caput comburebat alios plurimis tormentis excruciatos in exilium expulit. Denique hominem nequidem unum in tota ſua Præfectura monachi habitu indutum reliquit. Quod cum reſcriviſſet boni & æqui oſor Imperator, per litteras gratias ei egit his verbis. Juxta placitum meum facientem te comperi, qui in omnibus voluntati meæ ſatisfacis. Quare ceteri eum imitati in eadem ſcelera proruperunt.* Ait Theophanes, de monachorum perſecutione agens, quæ uſque ad Copronymi mortem perſeveravit.

Eccleſiæ, & monaſteria diripiuntur.

JESU CHRISTI an. 772. Hadriani Papæ an. 1.
Constantini Copronymi Imp. 53. et 32.
Leonis Imp. 22. Desiderii Longob. Regis 17.

1. Hoc labente Chriſti anno 772: Stephanus Papa tertius, poſtquam ſediſſet *annos tres, menſes quinque*, dies 27. aut 28. defunctus eſt, de cujus geſtis & litteris jam ſupra egimus, unde ex Anaſtaſio hæc tantum addimus. *Fecit ipſe ſanctiſſimus Pontifex ordinationem unam menſe Decembris, creavit Presbyteros quinque, Diaconos quatuor, Epiſcopos per diverſa loca numero....* deeſt numerus, *qui & ſepultus eſt, ad*

Stephani Papæ 3. obitus.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 772.

ad B. Petrum Apoſtolum, & ceſſavit Epiſcopatus ejus dies octo.

Sergius Secundicerius Rom. eccleſiæ occiditur

2. Ante Pontificis obitum turbas a Paulo Aſtarta iterum in urbe excitatas fuiſſe, in vita Hadriani Stephani ſucceſſoris narrat Anaſtaſius, dum idem Paulus convocatis ſuæ factionis hominibus, cum jam ægrotaret Stephanus, miſerum Sergium, quem olim cum patre excœcaverat, e Lateranenſi cellario, ubi detinebatur, eductum, ac fune ad collum ligato ad Merulanum prope baſilicam ſanctæ Dei genitricis ad Præſepe tractum, vulneribus confoſſum. *Ibique juxta eumdem arcum aperientes unam ſepulturam, ſuffocatum ac ſemivivum* ſepelierunt. Immane facinus Hadriano Papæ delatum, quæſtione habita punitum eſt, ut infra dicturi ſumus.

Hadrianus Papa creatur. Quis eſſet.

3. Elapſis itaque ab Stephani Papæ obitu diebus octo, die nona Februarii omnium ordinum conſenſu Hadrianus Romanus, nobili genere, patre Theodoro ortus, ordinatus eſt, de cujus vita, & geſtis uſque ad Pontificatum adnotat Anaſtaſius. Cum a primæva ætate, dum adhuc laicus eſſet ſpiritualibus ſtudiis intentus, *In Eccleſia ſancti Marci, quæ propinqua domus ſuæ eſſe videretur, illic crebras Domino noſtro referebat diu noctuque laudes, indutuſque cilicio, jejuniis corpus ſuum macerabat, & eleemoſynas enucleanter egenis & inopibus juxta poſſibilitatis ſuæ vires libenter tribuebat, ejuſque bonæ actionis merita in omnium Romanorum aures frequenter reſonabant; ita ut ex hoc nobilitatis, ac pudicitiæ ejus fama longe lateque divulgaretur. Cujus piæ converſationis vitam & ſpiritualem operationem ac præcipuos mores conſpiciens ſanctæ recordationis dominus Paulus Papa, eum clericari juſſit, quem Notarium Regionarium in Eccleſia conſtituens, poſtmodum eum ſubdiaconum fecit. Dum vero poſt deceſſum domini Pauli Papæ ad Pontificatus culmen provectus fuiſſet dominus Stephanus ſecundus junior Papa, & ipſe cernens ejuſdem beatiſſimi Hadriani ſpiritualium converſationum merita, in diaconii ordinem eum provexit, & ex tunc multipliciter ſpiritualibus pollens ſtudiis, maximam tam ad evangelizandum populo ſolerter & clare divina atque Evangelica verba, quam ad exercendum Eccleſiaſticam traditionem geſſit curam; & ita Spiritus ſancti gratia in ejus corde refulſit, ut in omnibus efficax & idoneus comprobaretur. Sicque factum eſt, ut dum de hac vita migraret antefatus dominus Stephanus*

nus Papa; *Illico* (*dum ferventiſſimo affectu a populo Romano diligeretur*) *idem præcipuus ac ſanctiſſimus vir & Dei cultor Hadrianus, ad ſacrum Pontificatus evectus eſt culmen*. Hæc Anaſtaſius, qui ſuperius de eodem hæc ait. *Hadrianus natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione via lata, ſedit annos* 23. *menſes decem*, *dies* 17. *vir valde præclarus, & nobiliſſimi generis proſapia ortus, atque potentiſſimis Romanis parentibus editus, elegans, & nimis perſona decorabilis, conſtans etiam atque fortiſſimus orthodoxæ fidei, ac patriæ ſuæ, & plebi ſibi commiſſæ defenſor &c.*, ut ex dicendis conſtabit.

4. Et ſane Pontificalem ſedem vix adeptus, *Confeſtim eadem hora, qua electus eſt, reverti fecit judices illos hujus Rom: urbis tam de clero, quam de militia, qui in exilium ad tranſitum domni Stephani Papæ miſſi fuerant a Paulo cubiculario cognomento Aſiarta, & aliis conſentaneis impiis ſatellitibus, ſed & reliquos, qui in arcta cuſtodia mancipati & retruſi erant abſolvi fecit, & ita omnibus cum eo exultantibus, Pontificalem, Deo auſpice, ſuſcepit conſecrationem*. Paulum vero Aſiartam tot ſceleribus obnoxium, qui etiam cum Deſiderio Longobardorum Rege ſociatus, tot in urbe ipſa turbas patraverat, cœdeſque peregerat, quique in Romanum Pontificem rebellis, eouſque inſolentiæ & proterviæ devenerat, ut Deſiderio promiſiſſet, ſe Hadrianum quoque Pontificem ad ejus pedes præſentaturum. *Prænominatus ſiquidem Paulus ſuper iſta, adhuc apud eumdem Deſiderium exiſtens, firmiter ei promittebat*. ait Anaſtaſius, *ſe ipſum beatiſſimum Papam ad eum deducere, dicens, quod ſi etiam in ejus pedibus funem me adhibere convenerit, eum qualiter potuero, ad tuam deducam præſentiam*. Quare tanta hujus viri nequitia detecta, *Metuens idem ſanctiſſimus Præſul, ne ſi hujuſmodi nuncium ad aures ipſius perſonuiſſet Pauli*, necis ſcilicet Sergii illatæ, *ut aut ad eumdem Regem Deſiderium, reverteretur, atque etiam in fines Longobardorum ex ipſo itinere declinaret, & aliquam malitiam amplius cum eodem Deſiderio in fines Romanorum, atque Exarchatum perpetraret* (*nam nimis dilectus illi atque fidelis exiſtebat*) *ob hoc direxit antefatus ſanctiſſimus Papa clam, nimiſque ſecrete Leoni Archiepiſcopo Ravennatium civitatis per Julianum Tribunum, ut dum reverteretur ipſe Paulus a Deſiderio, eum, ſive in Ravenna, ſive*

Paulus Aſiarta & cubicularius in cuſtodiam conjicitur.

JESU CHR. AN. 772.

ſive in Arimino detineret. Quod & factum eſt, atque in cuſtodia eſt detentus. &c.

Geſta in cauſa occiſionis Sergii.

5. His geſtis, de Sergii occiſione Pauli Aſtartæ juſſu peracta diligentem inquiſitionem fieri S. Pontifex juſſit, qua peracta, compertum eſt, Paulum Aſtartam homicidam fuiſſe, ac per Campanos quoſdam Sergium occidiſſe, ac rogatus Hadrianus, ne impunitum ſcelus relinqueret, mitius cum iis agens, CPolim in exilium Sergii interfectores miſit, Paulus vero Aſtarta Ravennæ detentus, ibique examinatus, ac homicidii auctor inventus, & confeſſus, ut eadem exilii pœna afficeretur Pontifex juſſerat. At Leo Ravennatis Archiepiſcopus contra Hadriani Papæ juſſionem, eumdem extremo affecit ſupplicio, ob quam cauſam Pontificis indignationem Leo Ravennatium Archiepiſcopus, promeruit, ut pluribus ibidem narrat Anaſtaſius; hinc mutua charitatis officia inter Hadrianum Papam, & Leonem Ravennatenſem interrupta ad tempus fuerunt.

Legatio Deſiderii Regis ad Hadrianum.

6. Interea ut Deſiderius Longobardorum Rex audivit in locum Stephani, Hadrianum Pontificem ordinatum fuiſſe, perhonorificam legationem ad eum miſit, ideſt *Theodoricum Ducem Spoletinum, Tunnonem Ducem Eburæ Regiæ*, in ſubalpinis (Jurea dicta) *& Prandulum veſtiarium ſuum, ſuaſionis per eos mittens verba, ſeſe quaſi cum eo in vinculo charitatis velle colligari. Quibus ita ipſe beatiſſimus Pontifex reſpondit dicens. Ego quidem cum omnibus chriſtianis pacem cupio habere, etiam & cum Deſiderio Rege veſtro, & in ea fœderis pace, quæ inter Romanos, Francos, & Longobardos confirmata eſt, ſtudeo permanere. Sed quomodo poſſum credere eidem Regi veſtro, in quem ſubtilius mihi ſanctæ recordationis prædeceſſor meus dominus Stephanus Papa de fraudulenta ejus fide retulit, inquiens, quod omnia ille mentitus fuiſſet, quæ ei in corpus beati Petri jurejurando promiſit, pro juſtitiis ſanctæ Dei Eccleſiæ faciendis?* Hæc & alia, quæ anno, quo ſunt facta, ſuperius habentur relata: poſtque hæc adhuc iſta ad illos: *Ecce qualis eſt fides Deſiderii Regis veſtri; & cum qua fiducia illi confœderari poſſumus? Hæc vero eodem beatiſſimo Hadriano Præſule proſequente iiſdem Miſſis Deſiderii Regis, illi magis confirmabant vinculo ſacramenti, quod eorum Rex & omnes juſtitias, quas antefato domno Stephano Papæ non fecerat, eidem præcipuo Pontifici & ſummo Paſtori per-*

perficeret, & in vinculo charitatis inſolubili connexione cum eo fore permanſurum. Quorum juramentis credens ejus beatitudo, direxit ad eumdem Deſiderium Regem Miſſos ſuos pro his omnibus perficiendis, ſcilicet Stephanum Notarium Regionarium & Sacellarium, atque Paulum Cubicularium, & cætera ſuper iſta. Quibus egredientibus ab hac Romana Urbe & Peruſiam conjungentibus, conjunxit mandatum, nuntium ſcilicet, *quod jam fatus Deſiderius Rex abſtuliſſet civitatem Faventiam, & ducatum Ferrariæ, & Comachium de Exarchatu Ravennate, quem ſanctæ memoriæ Pippinus Rex, & ejus filii Carolus & Carolomannus excellentiſſimi Reges Francorum & patricii Romanorum Beato Petro concedentes obtulere. Nec duo menſes præteriere, ex quo ipſe ſanctiſſimus Pontificatus culmen adeptus eſt, cum idem atrociſſimus Deſiderius eaſdem abſtulit civitates, conſtringens ex omni parte cives Ravennates, & Caſales, & hæc omnia præſidia Ravennatium occupans, cunctaque victualia, familias etiam ſeu peculia ipſorum, vel quæ in ipſis præſidiis habere videbantur, abſtulit. Et dum nulla remanſiſſet ſpes vivendi neque Leoni Archiepiſcopo, neque præfatis Ravennatibus, in magna anguſtia & fame & inopia poſitis, direxere hi Romam Miſſos ſuos, ſcilicet Julianum, Petrum, & Vitalianum Tribunum, deprecantes cum magno fletu eumdem ſanctiſſimum Pontificem, ut qualiter potuiſſet, ſubveniret ipſis, atque decertaret ad recolligendas civitates, aſſerentes quia ſi ipſæ civitates non fuerint reſtitutæ, vivere nullo modo poſſent. Tunc ipſe almiſicus Pontifex, dum adhuc prænominati Miſſi eſſent Romæ, per Stephanum Sacellarium & Paulum Cubicularium ſuper iſta, ut ad prænominatum pergerent Regem, direxit & ſuas deprecatorias litteras, ut eaſdem redderet civitates, increpans eum fortiter per ſua ſcripta, cur de promiſſione illa, quam per ſuos Miſſos pollicendo direxerat, mutatus fuiſſet, & etiam quia juſtitias beati Petri, juxta ut promiſerat, non reddidit, inſuper & civitates illas quas ante ſucceſſoris ejus beatiſſimi Pontificis domni Stephani Paulus, & idem Stephanus detinuerant, abſtuliſſet. Dum vero talia eidem protervo Deſiderio antefatus ſanctiſſimus Pontifex deprecando, monendo, & conjurando dixiſſet, ita ille remiſit in reſponſis: Quod niſi prius ſe cum eo ipſe almiſicus Præſul conjungeret pariter ad loquendum, minime eaſdem redderet civitates. In ipſis vero diebus contigit uxorem & filios quon-*

JESU CHR. AN. 772.

Jesu Chr. an. 772. *quondam Carolomanni Regis Francorum ad eumdem Regem Longobardorum fugam arripuiſſe cum Authcario &* . . . . *Nitebatur ipſe Deſiderius, atque inhianter decertabat, quatenus ipſi filii ejuſdem Carolomanni Regnum Francorum aſſumerent, & ob hoc ipſum ſanctiſſimum Præſulem ad ſe properandum ſeducere conabatur, ut ipſos antefati Carolomanni filios Reges ungeret, cupiens diviſionem in Regnum Francorum immittere, ipſumque beatiſſimum Pontificem a caritate & dilectione excellentiſſimi Caroli Regis Francorum & Patricii Romanorum ſeparare, & Romanam Urbem, cunctamque Italiam ſub Regni Longobardorum poteſtate ſubjugare. Sed favente Deo, hoc nullo modo potuit impetrare: quoniam ſicut lapis adamas, ita firmus extitit Hadrianus Pontifex*. Nil quippe rei ſuæ magis convenire ſciebat Deſiderius, quam ſi Carolum Regem adverſus Pontificem exaſperaret, ſuaque protectione dejiceret, quod ſane contigiſſet, ſi Hadrianus Papa Carolomanni filios, e Galliis profugos, & paterno Regno excluſos, quos ſub ſua tutela, una cum eorum matre Deſiderius ſuſceperat, idem Pontifex in Regnum paternum reſtituere conatus eſſet, eoſque ſua manu inauguraſſet, & inunxiſſet, e quibus ſane prudenti conſilio ſeſe Hadrianus abſtinuit.

Deſiderius Romam uſque excurſiones agit, ac provincias occupat.

7. Deſiderius vero in ſententia ſua perſeverans, cum legatione miſſa, nil profeciſſe accepit, ut vel invitum Hadrianum ad ſua vota perduceret, Romanæ eccleſiæ provincias, & patrimonia infeſtis armis invaſit, ac ad urbem uſque cuncta excurſionibus vaſtavit, alteramque poſtea legationem ad Hadrianum miſit, eadem petens, ut ſcilicet Pontifex ad ſe tranſiret. Hadriauus vero Papa in eadem ſententia perſeverans, ſe in ejus conſpectum nequaquam venturum ajebat, niſi Deſiderius Exarchatum cum Pentapoli, ceteraſque civitates, & loca Romanæ eccleſiæ reſtitueret. Unde iterum Anaſtaſius. *Deſiderius Longobardorum Rex ſuperbia elatus atque jactantia, qua hora præfatum exercitum Ravennatium civitatis abſtulit, confeſtim direxit multitudinem exercitus, & occupare fecit fines civitatum, id eſt, Senogallienſis, Montis Ferretri, Urbini, Eugubii, ceterarumque civitatum Romanorum, plura homicida & deprædationes, atque incendia in ipſis finibus perpetrantes. Nam in civitatem Belranam dirigens generalem exercitum partium Tuſciæ, dum ipſi Blerani in fiducia pacis ad colligendas proprias*

prias ſegetes generaliter cum mulieribus & filiis, atque famulis egrederentur, irruere ſuper eos repente Longobardi, & cunctos Primates, qui intro in eadem civitate erant, interfecerunt, & prædam multam tam de hominibus, quam de pecudibus abſtulere, ferro, & igne cuncta in circuitu devaſtantes. Sed & in finibus Romanæ Urbis, et cæterarum civitatum multa mala, ac deprædationes idem Deſiderius perpetrare juſſit, etiam & caſtrum Utriculum occupare fecit. Quare repetitis legationibus, eumdem Deſiderium Regem ſemel, & iterum rogavit, ut ab inferendis injuriis abſtineret, Hadrianus Papa. *Sed Deſiderius*, ut ſubdit poſt plurima Anaſtaſius, *permanens in ſua iniquitate multa civitatibus, ac finibus Romanorum inferri faciebat ex omni parte mala: Sed & magnas comminationes dirigens eidem Hadriano Pontifici, ſe cum univerſis Longobardorum exercitibus properaturum ad Romanam civitatem perſtringendam.* Et ſane cum Utriculum uſque infeſta arma detuliſſet, paucis ab urbe milliaribus diſtabat.

Hadriani Papæ legatio ad Carolum.

7. Quare Hadrianus Pontifex in his anguſtiis poſitus, ac neceſſitate compulſus, *direxit ſuos miſſos maritimo itinere*, eo quod terreſtre Longobardorum inſidiis periculoſum eſſet, *Cum Apoſtolicis litteris ad excellentiſſimum Carolum a domino protectum Regem Francorum & Patricium Romanorum, deprecans ejus excellentiam, ut ſicut ſuus pater bonæ memoriæ Pippinus, & ipſe ſuccurreret, atque ſubveniret ſanctæ Dei eccleſiæ, & afflictæ Romanorum, ſeu Exarchatus Ravennatium provinciæ, atque plenarias B. Petri juſtitias, & ablatas civitates ab eodem Deſiderio Rege exigeret &c.*. Sed de geſtis a Deſiderio Rege hoc anno adverſus Hadrianum Pontificem, & Romanam eccleſiam hactenus, hoc unum adnotare contenti, in ſui ipſius perniciem hæc tentaſſe, nam non ſolum Deſiderius ipſe Regno excidit, ſed penitus Longobardorum in Italia Regnum corruit, ut ex dicendis infra conſtabit.

Carolus bellum Saxonicum ſuscipit.

8. Dum ad bellum in Italia Deſiderio Regi inferendum ſeſe pararet Carolus, alterum idque graviſſimum, quod per plures annos prorogatum eſt, hoc anno exorditur, Saxonicum ſcilicet, cujus gerendi plures cauſas habuiſſe Francorum annales referunt, præcipue Eginardus in Caroli vita, ubi Longobardico bello narrato, ad Saxonicum rediens, adnotat. *Poſt ejus finem*, ideſt Longobardici belli, *Saxoni-*

Jesu Chr. an. 772. *cum, quod quaſi intermiſſum videbatur, repetitum eſt, quo nullum neque atrocius, Francorumque populo laborioſius ſuſceptum eſt, quia Saxones ſicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui Dæmonum dediti, noſtræque religionis contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere, vel tranſgredi inhoneſtum arbitrantur; ſuberant & cauſæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet Francorum, & illorum pene ubique in pleno contigui, præter pauca loca, in quibus vel ſilvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite diſterminant, in quibus cædes, & rapinæ, & incendia viciſſim facere non ceſſabant*. Ut itaque eorum ferociam frangeret, fineſque ſuos ſecuros redderet Carolus, & ut Dei cultum, chriſtianamque religionem propagaret, bellum iis indixit, *& congregato*, ut in ejus vita narrat Eginardus, *apud Vvormatiam generali conventu, Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eamque ſine mora ingreſſus, ferro, & igne cuncta depopulatus, Ereſburgum caſtrum cæpit, idolumque quod Irminſul a Saxonibus vocabatur, evertit*: ad Iſerum deinde profectus, *ibi a Saxonibus duodecim obſides accepit, inde in Franciam reverſus &c.*, hæc & alia ibidem de geſtis hoc anno Saxonici belli primo.

De synodo, ſive conventu Vormatienſi.

9. Quid in eo Vvormatienſi conventu, cujus, meminit Eginadrus, ſtatutum fuerit, in obſcuro eſt, de quo etiam Annaliſta Bertinianus refert. *Carolus Rex mitiſſimus ſynodum tenuit ad Vormatiam, & inde perrexit partibus Saxoniæ*. At inſtans Saxonicum, & Italicum bellum eidem cauſam dediſſe vero proximum eſt. Nam iis in conventibus, in quibus cum Epiſcopis Regni Magnates conveniebant, de eccleſiaſticis æque, ac de ſecularibus negotiis agebatur; Baronius in eo conventu, de purgatione Sacerdotum ſtatutum fuiſſe credit, ut Epiſcopi, vel Sacerdotes crimine aliquo accuſati, cum eorum certis probationibus crimen non conſtaret, jurejurando ſe innoxios probare, ac canonem in ea re editum refert, quod in capitularibus Francorum lib. 7. pag. 205. legitur. Verum cum in eo decreto mentio ſit Riculphi Epiſcopi Moguntini, qui ſancto Lullo anno tantum 787. in Epiſcopatu Mogontinenſi ſuccedit, decretum illud ab alia aliqua Vvormatienſi ſynodo editum fuiſſe conſtat.

Concilium Dilgovingenſe in Bojaria.

10. Hoc quoque anno, Taſſilone Bojariæ duce hortante,

tante, aut permittente concilium Dilgovingenſe in Bojaria celebratum eſt, cui Epiſcopi ſex, & Abbates tredecim adfuerunt, unaque cum iis Bojariæ quoque Proceres, quo de rebus eccleſiæ, & Reipublicæ in commune actum eſt. Ut ejuſdem decreta numero 14. teſtantur, quibus de eccleſiaſtica diſciplina inſtauranda primum agitur, ac cautum eſt, ut Dominica dies in honore eſſet, ut donationes eccleſiis faciendæ, ſcripto preſentibus tribus teſtibus impoſterum fierent, ut virgines, quæ in Dei ſervitio ſunt, matrimonium non contraherent, ut unuſquiſque res ſuas libere poſſideret, ac nullus hæreditate privaretur, niſi aut homicidium fecerit, aut Principi injuriam, aut calumniam, & poſt nonnulla minoris momenti, nomina Epiſcoporum, & Abbatum leguntur, qui etiam conventione inter ſe habita invicem promiſerunt, ut cum eorum aliquis obiiſſet, a ſupraviventibus certus miſſarum numerus, & pſalterii recitaretur, triginta ſcilicet ſpeciales miſſas, totidemque pſalteria.

11. His ſtatutis, nonnulla etiam quæ circa ſeculares res pertinent eodem in conventu addita ſunt, cum hac temporis nota, quæ labentem annum deſignant. *De concilio quod dux Taſſilo apud Dingolvingam celebravit, Regnante inperpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto, in anno vero 22. Regni religioſiſſimi Ducis Taſſilonis gentis Bojariarorum ſub die Calliſti quod erat II. idus Octobris, atque anno ab Incarnatione Dominica 772. indict. X.* his vero vulgatis, nonnulla adhuc ad extirpanda in populo vitia addita ſunt, ac pro criminibus vindicandis apta, homicidiis præſertim, & furtis, quorum pœna ut plurimum, pro gentium illius, & ſeculi more, pecuniaria erat. Eadem ratione privatæ pugnæ, quæ duellum nunc dicimus, permittuntur, hac tamen adhibita cautione, ut pugnaturi antea exorciſmis ſubderentur. Unde. *De pugna duorum, quod Venbadine vocatur, ut prius inſortientur, quam parati ſunt, ne forte carminibus, vel magicis artibus inſidientur.* Aptiora ſunt, quæ capite ultimo leguntur, his verbis. *Ut nullus poſt tonſuram capillos uſu populari nutrire præſumat, nec velata, relicto velo ſecularem habitum ſumat, ut ſi quis, vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur, aut excommunicentur.* Hæc aliaque ibidem, ſtilo quidem non ſolum barbaro, ſed etiam in multis corrupto, quæ integra apud Baronium, vel Labbeum videri poſſunt.

Altera pars synodi de legibus popularibus.

 12. Hoc

Jesu Chr. an. 772. Villebaldus evangelium in Friſia prædicat.

12. Hoc etiam tempore S. Villebaldus, qui poſtea primus Bremenſis Epiſcopus fuit, ex Anglia prædicandi evangelii cauſa in Friſiam transfretavit, ut ex ejus vita ab Anſchario Bremenſi Epiſcopo digeſta, & a Mabillonio ſeculo tertio parte 2. recitata, conſtat; in ea enim capite primo dicitur quod cum Villebaldus accepiſſet, *quod Freſones atque Saxones populi hactenus increduli, atque pagani, relicta idolorum cultura, fidei catholicæ quodammodo jam cœpiſſent ambire miniſteria*, tunc Alcheredum Northumbrorum Regem adiit, eumque rogavit, ut ad prædicandum ad eas gentes evangelium poteſtatem ſibi faceret. Quare cum Alcheredus anno 795. regnare cœperit, atque anno 774. Regno pulſus fuerit, Villibaldi in Frigiam adventus circa hæc tempora contigit, quo etiam ad Saxones in Chriſtiana fide imbuendos, Sancti Lebuinus, & Sturmio tranſierunt, ut a Pagio, & Mabillonio adnotatum eſt.

De legatione Venetorum ad Hadrianum Papam.

13. Cum hoc tempote Longobardorum Duces Iſtriæ populos ſub Græcorum adhuc poteſtate poſitos vexarent, ac eccleſiæ jura violarent, ita ut Iſtriæ etiam Epiſcopos Gradenſi Patriarchæ ſubditos, in poteſtatem Aquilejenſis P. triarchæ traherent, ab eoque ordinari ſatagerent, de illata ſibi vi, injuriiſque acceptis Stephanum Rom. Pontificem Joannes tunc temporis Gradenſis Patriarcha, datis litteris, certiorem reddidit, quem pro viribus tueri, Stephanus pro infelici temporum conditione conatus eſt, ad Epiſcopos quippe Iſtriæ ſcribens, ut Gradenſi Patriarchæ ſubeſſent, hortatus fuerat, ac ut patienter ferret, Joannem admonuit, cujus epiſtolam Dandulus in chronico ſuo recitat. Cumque Stephani Papæ admonitio in irritum, ob immoderatam Longobardorum petulantiam, ceſſiſſet, Venetiarum etiam Dux, ut Gradenſem Epiſcopum tueretur, legatos ad eumdem Stepbanum miſerat, Magnum Presbyterum Gradenſis eccleſiæ, & Conſtantinum Tribunum. At cum eo tempore Stephanus obierit, nullum ea legatio exitum habuit, nec Aquilejenſis Patriarchæ uſurpatio comprimi potuit, niſi repreſſa, ac pene extincta, paulopoſt Longobardorum potentia, ut ex dicendis infra conſtabit.

JE-

JESU CHRISTI AN. 773. HADRIANI PAPÆ AN. 2.
CONSTANTINI COPRONYMI IMP. 54. ET 33.
LEONIS IMP. 23. DESIDERII LONGOB. REGIS 8.

Res geſtæ inter Carolum, & Deſiderium Regem

1. Cum Longobardorum armis, & Deſiderii Regis minis vexaretur Hadrianus Papa, maritimo itinere legatos ſuos ad Carolum Francorum Regem miſiſſe anno proximo diximus. Quem vero hæc exitum habuerint, in vita Caroli narrat Eginardus his verbis. *Ex Areſtallio perrexit ad hiemandum in Theodonis villa*, ſub finem anni proximi, *ibi venit ad eum miſſus Domni Apoſtolici Hadriani Petrus per mare Arelatum, & inde per terram. Et invitavit glorioſum Regem, & Francos ejus pro divino ſervitio & juſtitia S. Petri, contra Deſiderium Regem & Longobardos. Et ideo maritime venit, quod Romanis clauſæ fuerant viæ a Longobardis. Et præcellentiſſimus Rex ſumpto conſilio una cum Francis quid ageret, promiſit ſe auxilium Romanis præbiturum. Tenuit cum Francis generaliter Synodum in Geneva civitate: ibique exercitum dividens, perrexit ipſe per montem Ciniſium, miſitque Bernardum avunculum ſuum per montem Jovem cum aliis ejus fidelibus, & tunc ambo exercitus ad Clauſas ſe conjunxerunt. At Deſiderius Rex obviam venit domino Carolo Regi. Dominus vero Carolus una cum Francis caſtrametatus eſt ad eaſdem Clauſas, miſitque ſacras ſuas per montana. Hoc ſentiens Deſiderius Clauſas reliquit, & dominus Rex Carolus una cum Francis, auxiliante Domino, & intercedente B. Petro ſine læſione vel aliqua conturbatione, Clauſis apertis, Italiam intravit, & Papiam uſque pervenit.* Et inferius: *Dominus vero Carolus Rex obſeſſa Papia, Deſiderium Regem ibi incluſit, & ibi Natale Domini celebravit, & Paſcha Romæ*, anno ſequenti. Hæc ſummatim de expeditione Caroli in Italiam, deque geſtis ab eo hoc anno auctor vitæ ejus. At Anaſtaſius, rei geſtæ ſeriem per ſingula exponens, poſtquam adnotavit ab Hadriano Pontifice legatos in Gallias ad Carolum miſſos fuiſſe, ut ab eo auxilium in tanto diſcrimine poſceret, addit Deſiderium quoque eodem tempore, alteros ad eum legatos deſtinaſſe, ac ut eum ab Italica expeditione detineret, ſignificabat, ſe cuncta, quæ ad Apoſtolicam ſedem pertinebant, jam reſtituiſſe.

2. *In-*

JESU CHR. AN. 773. Desiderii conatus adverſus Hadrianum Papam.

2. *Interea*, ait Anaſtaſius, *dum per nullam occaſionis verſutiam potuiſſet idem malignus Deſiderius perſuadere antefatum ſanctiſſimum Pontificem ad ſe deducendum, ut antefati Carolomanni Regis filios ungeret, & ipſum almificum Pontificem a caritate & dilectione ſæpefati Caroli Magni Regis ſeparare voluiſſet: tunc cum pertinacia & audacia egreſſus a ſuo palatio cum Aldegiſo proprio filio, & exercitu Longobardorum, deferens ſecum & uxorem, & filios ſæpe dicti quondam Carolomanni, necnon & Autcharium, qui ad eum (ut dictum eſt) fugam arripuerant, huc Romam properare nitebatur ſine conſcientia antedicti Pontificis, dirigens ſuos Miſſos ſcilicet prænominatum Andream Referendarium & alios duos cum ſuis Judicibus, ejus adventum denuntiantes. Quibus Romam pervenientibus, præſentatiſque Apoſtolicis obtutibus, tale eis reddidit reſponſum: Quod niſi (ut jam ille promiſit) reddiderit B. Petro civitates illas, quas ſub meo tempore abſtulit, & plenariam parti noſtræ fecerit juſtitiam, nullo modo ſit illi neceſſe fatigationem ſumere, quia minime fieri poteſt, me prius cum illo præſentari. Suſcipiens vero idem Deſiderius hoc reſponſum, nequaquam exinde repedavit, ſed verſus Romam carpebat iter. Cujus jam adventum appropinquantem recognoſcens ſanctiſſimus ipſe præcipuus Paſtor, aggregans univerſum populum Tuſciæ, & Campaniæ, & Ducatus Peruſini, & aliquantos de civitatibus Pentapoleos, munivit hanc civitatem Romanam, omneſque parati erant, ut ſi ipſe Rex adveniret, fortiter cum Dei auxilio, & B. Petri, fulti orationibus prædicti ſanctiſſimi Præſulis illi reſiſtere. Tunc eccleſias beatorum Petri & Pauli fecit exornare*, hoc eſt ornamentis nudare *ejus ſanctitas, & cuncta earum cymilia & ornatus in hanc civitatem Romanam introduci, claudi faciens omnes januas Eccleſiæ B. Petri, & deintus ferris ſupponi, ac muniri juſſit, ut ſi ipſe protervus Rex ſine licentia & permiſſu Pontificis adveniſſet, minime ad dictam Eccleſiam facultatem introeundi haberet, niſi brachio, ad ſuæ animæ interitum, ipſas confringeret januas. Dumque hæc omnia diſpoſuiſſet, extemplo facto in ſcriptis anathemati verbo, direxit eidem Deſiderio Regi tres Epiſcopos, id eſt, Euſtratium Albanenſem, Andream Præneſtinum, & Theodoſium Tiburtinæ civitatis, proteſtans eum in eodem obligationis & execrationis verbo, & adjurans per omnia divina myſteria, ut nullo modo fines Romanorum ſine*

Digitized by Google

ſine ejus abſolutione ingredi, atque conculcare præſumeret, neque ipſe, neque quiſpiam Longobardorum, ſed nec Autcharius Francus. Suſcepto itaque eodem obligationis verbo per antefatos Epiſcopos, ipſe Longobardorum Rex illico cum magna reverentia a civitate Viterbienſe confuſus ad propria reverſus eſt. Vidiſti, Lector, grande miraculum, ut potuerint excommunicationis minæ continere furentem Regem, ſuorumque impetum coercere, torrentemque exundantem, obice oppoſito, retrorſum convertere?

3. Dum hæc agerentur, ſequitur Anaſtaſius. *Conjunxerunt,* ideſt pervenerunt *ad Sedem Apoſtolicam Miſſi ſepe dicti Caroli excellentiſſimi Regis Francorum & Patricii Romanornm, ideſt, Gregorius ſanctiſſimus Epiſcopus, Gulfardus religioſus Abbas & Conſiliarius, ſeu Albinus delicioſus ipſius Regis, inquirentes ſi præfatus Longobardorum Rex ſublatas civitates, & omnes juſtitias B. Petri reddidiſſet, ſicut falſe in Franciam dirigens aſſerebat, ſe omnia reddidiſſe, & ſatisfacti ſunt præſentialiter, nihil ab eo redditum fuiſſe. &c.* Quibus acceptis Caroli legati cum miſſis Adriani Papæ Deſiderium iterum convenientes, ut ablata reſtitueret, hortati ſunt; at fruſtra, cum in ſua obſtinatione Deſiderius perſeveraret, ad quem alteram legationem eadem poſtulans miſit Carolus, cui etiam quatuordecim millia auri ſolidorum & argenti obtulit. *Sed neque præcationibus, neque muneribus*, ait Anaſtaſius, *ejus ferociſſimum cor flectere valuit, Nihil enim obtinentes ipſi Miſſi Francorum, ád præfatum ſuum Chriſtianiſſimum regreſſi ſunt Regem. Tunc aggregans is ipſe a Deo protectus Carolus Magnus Rex univerſorum Regni ſui Francorum exercituum multitudinem, atque ad occupandas Clauſas aliquos ex ſuo exercitu dirigens; ipſe quoque cum plurimis fortiſſimis bellatoribus Francis per montem Ciniſium ad eaſdem appropinquavit Clauſas, & remotus in finibus Francorum cum ſuis exercitibus reſedit. Iam vero dictus Deſiderius & univerſa exercituum Longobardorum multitudo ad reſiſtendum in ipſis Clauſis aſſiſtebant, quas, fabricis & diverſis materiis munire niſi ſunt.* Quis ſperaret umquam ejuſmodi Clauſas inſtar Thermopilarum, vel Caſpiarum portarum adeo munitas, irrumpi potuiſſe per Francos, obice præſertim tanto Longobardorum exercitu? At nihil impoſſibile vel difficile illi, quem Deus exercituum antecedit. Carolo enim Chriſtianiſſimo Francorum Regi, tamquam Cyro, Deus ad res ar-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 773.

arduas, magnaſque viam ſemper aperuit. Cumque ad Clauſas Italiæ jam Carolus eſſet, iterum Deſiderium miſſa legatione rogavit, ut, pro reſtitutione patrimonii Rom. eccleſiæ, obſides tres ſibi daret, quibus acceptis ſe in Gallias cum exercitu rediturum promiſerat. *Sed neque ſic valuit ejus malignam mentem flectere. Quare omnipotens Deus conſpiciens ipſius maligni Deſiderii iniquam perfidiam, & intolerabilem proterviam, dum vellent Franci alio die ad propria reverti; miſit terrorem & validam trepidationem in cor ejus, atque filii ipſius, Aldegiſi ſcilicet, & univerſorum Longobardorum, & eadem nocte dimiſſis propriis tentoriis, atque omni ſupellectile, fugam omnes generaliter, nemine eos perſequente, arripuerunt. Quod cernentes exercitus Francorum, perſecuti ſunt eos, & plures ex eis interfecerunt: ipſe vero Deſiderius quantocyus cum ſuis Judicibus, & multitudine Longobardorum ſe intra civitatem Ticinum recludi ſtuduit. Et muniens muros ipſius civitatis ad reſiſtendum Francorum exercitibus, & propriam defendendam civitatem, cum ſuis Longobardis ſe præparavit. Aldegiſus vero ejus filius aſſumens ſecum Autcharium Francum, & uxorem atque filios ſæpe dicti Carolomanni, in civitatem, quæ Verona nuncupatur, pro eo quod fortiſſima præ omnibus civitatibus Longobardorum eſſe videretur, ingreſſus eſt. Porro Longobardi reliqui diſperſi in proprias reverſi ſunt civitates. Nam Spoletini & Reatini, & aliquanti eorum utiles perſonæ, antequam Deſiderius, & Longobardorum ejus exercitus ad Clauſas pergerent, illi ad B. Petrum confugium facientes prædicto ſanctiſſimo Hadriano Papæ ſeſe tradidere, & in fide ipſius Principis Apoſtolorum, atque prædicti ſanctiſſimi Pontificis jurantes, more Romanorum, tonſurati ſunt.*

Carolus urbes Italiæ occupat.

4. Interea Carolus Francorum Rex, cum Papiam, ubi Deſiderius Rex ſeſe receperat obſediſſet, indeque tranſiens, Veronam quoque, ubi Aldegiſius Deſiderii filius ſe incluſerat, vallo cinxiſſet, quaſi jam de futura utriuſque præda & captivitate ſecurus, conjugem ſuam Hildegardem, & filios illuc adduci juſſit, quo cum eſſet, Carolomanni filii, qui poſt patris obitum, ad Deſiderii Regis tutelam cum matre eorum ſeſe commiſerant, Carolo Regi ſe tradidere, quos in ſuam fidem, & clientelam Carolus ſuſcepit, quo etiam tempore, *dirigens cuneos exercituum bellatorum, comprehendit diverſas civitates Longobardorum extra Padum conſtitutas*

ſuæ-

ſuæque redegit poteſtati. Sicque Italicum bellum feliciter hoc anno ſuſceptum, feliciori exitu anno proximo, abſque prelio, & integro exercitu complevit.

Jesu Chr. an. 774.

5. Hoc autem eodem tempore, dum Carolus in Italica expeditione intentus eſſet, Saxones, in quos arma ſua idem Rex converterat, ut anno proximo diximus, ea occaſione utentes. *Cum magno exercitu exierunt ſuper confinia Francorum, perveniuntque ad Caſtrum, quod dicitur Barimburg, cuncta ubique cremantes*. Ac inde cum ad quamdam baſilicam in loco *Freddiſſar* dicto ab Bonifacio martyre ædificatam perveniſſent, eamdem, ſicuti ſanctus prædixerat, incendere nequaquam potuerunt, quin, *nutu divinæ majeſtatis pavore perterriti in fugam converſi ſunt nemine perſequente*, ait Eginhardus in vita Caroli.

Saxonum irruptiones in Gallias.

JESU CHRISTI annus 774. Hadriani Papæ 3.
Constantini Copronymi Imp. an. 55. et 34.
Leonis Imp. an. 24.
Caroli Magni Italiæ Regis an. 1.

1. Inſequens Chriſti annus 774. Romanæ eccleſiæ, ac univerſæ Italiæ feliciſſimus fuit, eo quod Longobardorum in Italia Regnum, quod per duo integra ſecula tenuerant extinctum penitus, & contritum eſt, ac in Caroli poteſtatem tranſiit. Unde ab hoc anno Regni Italici, ſeu Longobardici Caroli Magni epocha initium ſumpſit ab ineunte Majo, quæ cum anno ſexto Regni Francorum concurrebat. Quam fauſtus vero ejuſdem Caroli Romam adventus Hadriano Pontifici ac urbi fuerit, quantave felicitate, ac facilitate Longobardorum Regnum, ducto in Gallis captivo Deſiderio Rege, cum uxore & filiis, extinxerit, ex Anaſtaſio in vita Hadriani Papæ accipe. *Dum per ſex menſium ſpatium Carolus Magnus apud Papiam demoraretur in obſidione ipſius civitatis, magnum deſiderium habens ad Limina Apoſtolorum properandi, conſiderans, quod, & ſacratiſſimum Paſcha appropinquaſſet, tum tollens ſecum diverſos Epiſcopos, Abbates etiam & Judices, Duces, & Graphiones cum plurimis exercitibus huc Romam per partes Tuſciæ properavit, ita feſtinans & adveniens, ut in ipſo Sabbato ſancto ſe Liminibus præſentaret Apoſtolicis. Cujus adventum audiens an-*

Carolus M. Romam pergit.

JESU CHR. AN. 774. *tedictus beatiſſimus Hadrianus Papa, quod ſic repente ipſe Francorum advenerit Rex, in magnum ſtuporem & extaſim deductus, direxit in ejus occurſum univerſos Judices ad fere triginta milliaria ab hac Romana Urbe in locum qui vocatur, Novas, ubi eum cum bandoris*, ſive bandis, hodie Vexilla dicta, militari ſigno, *ſuſceperunt. Et dum appropinquaret uno fere milliario a Romana Urbe, direxit univerſas ſcolas militiæ una cum patronis, ſimulque & pueris, qui ad diſcendas litteras pergebant, portantes omnes ramos olivarum, laudeſque omnes canentes, cum acclamationum eorumdem laudum vocibus ipſum Francorum ſuſceperunt Regem, obviam illi ejus ſanctitas dirigens venerandas Cruces, ideſt, ſigna (ſicut mos eſt) Exarchorum, aut Patriciorum Romanorum. Qua hora eaſdem ſanctiſſimas Cruces ac ſigna ſibi obviam adveniſſe conſpexit, deſcendens de equo, in quo ſedebat, ita cum ſuis Judicibus ad beatum Petrum pedeſtris properare ſtuduit. Quum quidem antedictus almificus Pontifex diluculo ſurgens in eodem Sabbato ſancto cum univerſo clero, & populo Romano, ad beatum Petrum properavit ad ſuſcipiendum eumdem Francorum Regem, in gradibus ipſius Apoſtolicæ aulæ eum cum clero ſuo præſtolatus eſt. Conjungente vero eodem excellentiſſimo, ac benigniſſimo Carolo Rege, omnes gradus ſigillatim ejuſdem ſanctiſſimæ beati Petri Eccleſiæ deoſculatus eſt, & ita ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio ſuper gradus juxta fores Eccleſiæ adſiſtebat, eoque ſuſcepto, mutuoque ſe amplectentibus, tenuit idem Chriſtianiſſimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis, & ita in eamdem venerabilem aulam beati Petri Principis Apoſtolorum ingreſſi ſunt, laudem Deo, & ejus excellentiæ decantantes univerſus clerus, & cuncti religioſi Dei famuli extenſa voce acclamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini. &c. Sicque cum eodem Pontifice ipſe Francorum Rex, ſimulque omnes Epiſcopi, Abbates & Judices, & univerſi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confeſſionem Beati Petri appropinquantes, ſeſeque proni ibidem proſternentes, Domino noſtro omnipotenti, & eidem Apoſtolorum Principi propria reddidere vota, glorificantes divinam potentiam in eo, quod talem eis per interventionum ſuffragia ejuſdem Principis Apoſtolorum concedere juſſit victoriam. Expleta vero eadem oratione obnixe deprecatus eſt idem Francorum Rex antedictum almificum*

Digitized by Google

ſcum Pontificem, ſibi licentiam tribui Romam ingrediendi ad ſua orationum vota per diverſas Dei Eccleſias perſolvenda. Et deſcendentes pariter ad corpus beati Petri tam ipſe ſanctiſſimus Papa, quamque antefatus excellentiſſimus Francorum Rex cum Judicibus Romanorum, & Francorum, ſeſeque mutuo per ſacramentum munientibus, ingreſſus eſt Romam continuo cum eodem Pontifice ipſe Francorum Rex cum ſuis Judicibus & populo. In eodem Sabbato ſancto in baſilicam Salvatoris juxta Lateranas pariter ſunt ingreſſi. Ibidem ipſe excellentiſſimus Rex manſit cum omnibus ſuis quouſque ſancti baptiſmatis ſacramentum antedictus ter beatiſſimus Pontifex celebravit, & ita poſtmodum ad beatum Petrum ipſe excellentiſſimus repedavit Rex.

Jesu Chr. an. 774.

2. *Altera vero die, in ipſa ſanctiſſima Paſchatis feſtivitate direxit diluculo ipſe ſanctiſſimus Præſul cunctos Judices & univerſa obſequia militiæ ad eumdem Regem, qui cum magno honore eum ſuſcipientes, ad Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis ad præſepe properarunt cum omnibus qui cum eo advenerant Francis, ibique Miſſarum ſolemnibus celebratis, perrexit idem Rex cum prænominato Pontifice in Lateranenſe Patriarchium illicque ad menſam Apoſtolicam pariter epulati ſunt. Alia vero die ſecunda feria ſimili modo in Eccleſia beati Petri more ſolito ipſe conſpicuus Pater & egregius Pontifex Miſſarum ſolemnia celebrans, Deo omnipotenti & præfato Carolo excellentiſſimo Regi Francorum, & Patricio Romanorum laudes reddere fecit. Tertia vero die (juxta ut mos eſt) in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli Miſſam eidem Regi fecit. At vero quarta feria prenominatus Pontifex cum ſuis Judicibus tam cleri, quam militiæ in Eccleſia beati Petri Apoſtoli pariter cum eodem Rege ad colloquendum ſe conjungens, conſtanter eum deprecatus eſt, atque admonuit, & paterno affectu adhortari ſtuduit, ut promiſſionem illam, quam ejus ſanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex & ipſe præcellentiſſimus Carolus cum ſuo germano Carolomanno una cum omnibus Judicibus Francorum fecerat beato Petro, & ejus Vicario ſanctæ memoriæ domino Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diverſis civitatibus, ac territoriis iſtius Italiæ provinciæ, & contradendis B. Petro, ei, & omnibus Vicariis in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipſam promiſſionem, quæ in Francia in loco, qui vo-*

Inſignia pietatis indicia a Carolo Romæ exhibita.

JESU CHR. AN. 774. *catur Cariſiacus facta eſt, idem excellentiſſimus Rex Carolus ſibi legi feciſſet, complacuit illi & ejus Judicibus omnia quæ ibi erant adnexa confirmare. Et propria voluntate, bono, ac libenti animo aliam donationis promiſſionem ad inſtar anterioris ipſe antedictus excellentiſſimus & revera Chriſtianiſſimus Carolus Francorum Rex conſcribi juſſit per Etherium religioſum, ac prudentiſſimum Capellanum & notarium ſuum, ubi conceſſit eaſdem civitates & territoria beato Petro, atque ſpopondit per deſignationem confinium, ideſt, a Lunis cum inſula Corſica, deinde in Suriano deinde in monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & deinde in Mantua, & ponte Silicis, ſimulque univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum & Iſtriæ, nec non cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum; factaque eadem donatione, eam propria ſua manu ipſe Chriſtianiſſimus Francorum Rex corroborans, univerſos Epiſcopos, Abbates, Judices, etiam & Graphiones in ea ſubſcribere fecit. Quam prius ſuper altare beati Petri, & poſtmodum intus in ſancta ejus Confeſſione ponentes, tam ipſe Francorum Rex, quam ejus Judices beato Petro, & ejus Vicario ſanctiſſimo Hadriano Papæ ſub terribili ſacramento ſe omnia conſervaturos, quæ in eadem donatione continerentur, promittentes, tradidere; apparem ipſius donationis per eumdem Etherium deſcribi faciens, ipſe Chriſtianiſſimus Rex Francorum, intus ſuper corpus beati Petri ſubtus Evangelia, quæ ibidem ſunt, eſt oſculatus, pro firmiſſima cautela, & æternа nominis ſui ac regni Francorum memoria, propriis ſuis manibus poſuit: aliaque ejuſdem donationis exempla, per Scriniarium hujus ſanctæ noſtræ memoratæ eccleſiæ deſcripta ejus excellentia ſecum deportavit.* In Gallias ſcilicet. Hactenus de geſtis Romæ inter Hadrianum Pontificem, & Carolum Magnum Anaſtaſius.

Veterem donationem Carolus confirmat.

Quousque Caroli donatio se extenderet.

3. De donatione tamen tot provinciarum, quæ Italiam pene totam complectebatur, Hadriano Pontifici, ac Romanæ eccleſiæ ab Carolo Magno tunc facta, inextricabiles ab eruditis viris quæſtiones agitantur, in quibus inſtituti noſtri ratio, & brevitatis ſtudium immorari diu non patitur, quare hoc unum adnotabimus, eamdem lectionem omnes Anaſtaſii Codices præferre, etſi dubitari etiam non poſſit, Romanæ eccleſiæ in eas omnes provincias domi-

dominium, nec tam cito, aut ſemper ſeſe extendiſſe, cumque certum quoque ſit, quater Carolum Magnum Romam perrexiſſe, ter ſub Hadriano Pontifice, hoc ſcilicet anno 774. 781. & 787. ſemel vero ſub Leone tertio anno 800., non omnes eas provincias ab Anaſtaſio recenſitas, hac prima vice Romanæ eccleſiæ donatas fuiſſe, vero proximum eſt, quin ſingulis vicibus nonnulla addidiſſe. Anaſtaſius vero quæ Carolus variis vicibus, diverſiſque temporibus Romanæ eccleſiæ donavit, uno loco recenſuit. Hoc etiam certum eſt, Ducatus Romani poſſeſſionem, jam ab antiquis temporibus, & medio fere hoc ineunte ſeculo Romanos Pontifices, ex deditione, & conſenſu populi Romani obtinuiſſe, cum a Græcis Imperatoribus Iconoclaſticæ hæreſis cauſa Rom. populus defecit; Romano Ducatui circumvicinas provincias cum Exarchatu Ravennatenſi, & Pentapolis urbibus Pippinus addidit, etſi eorumdem locorum poſſeſſionem, Longobardorum injuria, inire vix umquam potuerint, aut Stephanus tertius, vel Hadrianus Papa, ut eorumdem epiſtolæ teſtantur. Spoletinum quoque Ducatum hoc tempore obtinuiſſe Caroli liberalitate, & populorum volontaria deditione, anno ſuperiori diximus. Thuſciam quoque, quæ a Lunis incipiebat, cum inſula Corſica, ut ait Anaſtaſius, a Carolo Magno donatam fuiſſe, dubitari vix poteſt. Variæ nihilominus de hujuſmodi donatione agitantur quæſtiones, cum nonuulli, atque ex his Muratorius, arctioribus eam finibus concludant, alii vero per totas fere Italiæ provincias extendant, ut vix Italicum Caroli Magni, filiorumque ejus Regnum ſubſiſtere poſſit, de quibus plura Itali, Gallique ſcriptores tradunt.

Carolus M. Ticinum expugnat, & Deſiderium captivum ducit.

4. Roma egreſſus Carolus Ticinum, quam urbem obſeſſam reliquerat, rediit, eoque paulo poſt potitus eſt. *Dum ira Dei*, ut ait Anaſtaſius, *ſuper omnes Longobardos, qui in eadem civitate erant, graſſaretur, atque ſæviret, ut plures ex languoribus, atque mortalitatis clade defeciſſent, ita Dei nutu eamdem civitatem, ſimulque Deſiderium Longobardorum Regem, atque cunctos, qui cum eo erant, ipſe excellentiſſimus Francorum Rex comprehendit, & ſuæ poteſtati cunctum Longobardorum Regnum ſubjugavit, præfatum vero Deſiderium Regem, & ejus conjugem ſecum in Franciam deportavit*. Hactenus de geſtis hoc anno in Italia a Carolo Magno Anaſtaſius, eademque Eginardus in vita Caroli, & Annaliſta Metenſis, ceterique hiſtorici.

4. De

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 774.

Aldagiſus Deſiderii Regis filius CPolim aufugit.

5. De Aldagiſio autem Deſiderii Regis filio, qui Veronæ ſe receperat, antequam illuc, capto Ticino, Carolus accederet, CPolim aufugit, auxilium ab Conſtantino, & Leone Imperatoribus adverſus Carolum expoſtulaturus, ut paternum Regnum recuperaret, quod nuſquam obtinere potuit. Unde Annaliſta Metenſis, de Carolo, *Papiam venit*, ait, *ipſamque civitatem cepit, & Deſiderium Regem cum uxore, & filia, & omnibus theſauris ſuis ſuæ ditioni ſubjecit, ibique venientes undique Longobardi de ſingulis civitatibus Italiæ ſubdiderunt ſe dominio glorioſi Caroli. Adalgiſus vero filius Deſiderii fugiens, navim intravit, & per mare CPolim uſque pervenit. Hactenus autem ſtetit Regnum Longobardorm annis* 214. *ſeu potius* 204.: *Porro Carolus Rex tota Italia ſubacta, & ordinata, cuſtodia Francorum in Papia relicta, truſoque in exilium Deſiderio Rege, & uxore, & Filia cum magno triumpho, auxiliante Domino in Franciam reverſus eſt*, ac adverſus Saxones hoc iterum anno rebellantes, arma convertit.

Deſiderius Leodium, deinde Corbejam relegatur.

6. Deſiderium vero Regem in Franciam ductum Leodium primo in exilium miſit, ac Agilfrido Leodienſi Epiſcopo commendavit, ut in Leodienſi chronico a Labbeo tom. I. biblioth. edito legitur, Corbejam deinde translatum fuiſſe, ibique ultimum clauſiſſe diem narrat Hepidannus SanGallenſis monachus his verbis. *Pœveja civitas conquiſita, & Deſiderius, & Anſa uxor ejus pariter exiliati ſunt ad Corbejam, & ibi Deſiderius in vigiliis & orationibus, & jejuniis, & multis bonis operibus permanſit uſque ad diem obitus ſui*. Et ſane pietatis non obſcura indicia non ſemel, dum adhuc res ejuſdem proſperæ eſſent, dedit, quem tamen dilatandi Regni immoderata cupiditas, Regno eum excidere fecit. Ad fabulas autem merito relegat Muratorius, quæ ab Jacobo Malvetio in Brixienſi hiſtoria narrat, ei ſcilicet nocturno tempore eccleſias adeunti, ultro januas ſe aperuiſſe, quod fortaſſe in chronico Novallicenſi legerat, ubi eadem narrantur.

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum M.

7. Adepto Longobardorum Regno, cum adhuc in Italia Carolus eſſet, Gaufridium quemdam Piſanum civem Romam miſerat, ut de adepta victoria, captoque Ticino cum Deſiderio Rege certiorem redderet Hadrianum Papam, quem ſane ſanctus Pontifex cum maxima excepit exultatione, & datis litteris cum Carolo gratulatus eſt, ac continuas pro eo preces

ces

Digitized by Google

ces ſe fundere addit, eum etiam veritatis teſtem advocans, quod: *Ab illo tempore & die, quo ab hac Romana urbe ad illas partes profecti eſtis, quotidie, momentaneis etiam, atque ſingulis horis omnes noſtri Sacerdotes, ſed etiam religioſi Dei famuli monachi, per univerſa noſtra monaſteria, ſimulque & reliquus populus tam per titulos, quam per Diaconos*, ideſt per titulos Presbyterorum, quam Diaconorum, *tercentos Kyrie Eleiſon extenſis vocibus, pro vobis Deo noſtro ad clamandum non ceſſant, flexiſque genibus*, & divinam miſericordiam pro eo, & victoriam implorabant; deinde narrat Gaufrido ejus miſſo per Allonem Lucenſem Ducem inſidias in itinere inſtructas fuiſſe, quem nihilominus cum Anaſtaſio legato ſuo ad eum ſe remiſiſſe addit, ac tandem Carolum hortatur, ut Epiſcopos Piſarum, Lucæ, & Rhegii, qui eum in ſua expeditione hactenus comitati fuerant, ad ſuas ſedes redire permitteret, ne ſuis eccleſiis diu, non ſine eccleſiaſticæ diſciplinæ jactura, abeſſe cogerentur.

Jasu Chr. an. 774.

Hadriani ep. ad Carolum M. contra Leonem Ravennat. Episc.

8. Cum autem in Galliam, compoſitis in Italia rebus, rediiſſet Carolus Magnus, novas in ea turbas Leo Ravennatenſis Epiſcopus excitavit, dum non ſolum Ravennam cum Exarchatu ſuæ poteſtati ſubijcere conatus eſt, ſed pleraſque etiam in Emilia urbes, eccleſiæ ſuæ eas a Carolo Magno donatas fuiſſe mentiens, ac miſſos ſuos illuc mittens, ut ab Eccleſiæ Romanæ juriſdictione, & B. Petri ſervitio ea loca ſubtraheret. Hæc autem ut Hadriano Pontifici delata ſunt, has alteras continuo ad Carolum Magnum litteras dedit, quibus de Leonis Ravennatium Archiepiſcopi uſurpatione, & temeritate conqueſtus eſt, & ut tantam temeritatem comprimeret, hortatur his verbis. *Domno excellentiſſimo filio Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum. Hadrianus Papa. Pervenit ad nos eo quod protervus, & nimis arrogans Leo Archiepiſcopus Ravennatium civitatis, ſuos ad veſtram excellentiſſimam benignitatem, ad contrarietatem noſtram falſa ſuggerendo direxit Miſſos, etenim præcellentiſſime Magne Rex, poſtquam veſtra Excellentia a civitate Papia in partes Franciæ remeavit, ex tunc tyrannico atque procaciſſimo intuitu rebellis B. Petro, & nobis extitit, & in ſua poteſtate diverſas Civitates Emiliæ detinere videtur, ſcilicet Faventiam, Forum populi, Forum livii, Ceſinas, Bobium, Comiadum, Ducatum Ferrariæ, ſeu Imolas atque*

Jesu Chr. An. 774. *atque Bononias aſſerens, quod a veſtra Excellentia ipſæ civitates, una cum univerſa Pentapoli illi fuiſſent conceſſæ, & continuo direxit Theophylactum miſſum ſuum per univerſam Pentapolim hoc ipſum denuntians, cupiens eoſdem Pentapolenſes a noſtro ſervitio ſeparare, ſed ipſi nullo modo ſe illi humiliare inclinati ſunt, nec a ſervitio B. Petri, & noſtro recedere maluerunt, magis autem firmi in noſtris Apoſtolicis mandatis, quemadmodum extiterunt ſub noſtro prædeceſſore, Domno Stephano Papa, cui ſanctæ recordationis genitor tuus, ſimulque & præclara Excellentia tua ipſum Exarchatum, ſub jure B. Petri permanendum tradidit, in omnibus firmiter permanere noſcuntur. Nam prænominatas civitates, ut dictum eſt Emyliæ, ipſe nefarius Archiepiſcopus in ſua poteſtate detinens, ibidem actores, quos voluit, conſtituit, & noſtros, quos ibidem ordinavimus, projicere niſus eſt. Sed & cunctas actiones infra civitatem Ravennatium ipſe ordinavit, & ecce quod numquam ſperavimus, in magnam humilitatem ſancta ſpiritalis mater tua, Romana Eccleſia veniſſe dignoſcitur, & nos etiam in nimiam deminorationem atque deſpecti eſſe videmur, dum ea, quæ poteſtative temporibus Longobardorum detinentes ordinare ac diſponere videbamur, nunc, temporibus veſtris a noſtra poteſtate impii, atque perverſi, qui veſtri, noſtrique exiſtunt æmuli, auferre conantur, & ecce improperatur nobis a plurimis noſtris inimicis, exprobantes nos & dicentes; Quid vobis profuit, quod Longobardorum gens eſt abolita, & Regno Francorum ſubjugata; Et ecce jam nihil de his, quæ promiſſa ſunt, adimpletum eſt; Inſuper & ea quæ antea B. Petro conceſſa ſunt a ſanctæ recordationis domno Pippino Rege, nunc ablata eſſe noſcuntur, etenim illud, quod antefatus nefandiſſimus Archiepiſcopus aſſerit proponens occaſionem in ea poteſtate ſibi Exarchatum Ravennatium, quam Sergius Archiepiſcopus habuit, tribui, nos, excellentiſſime fili, quemadmodum tempore domni Stephani Papæ, qui illuc in Franciam profectus eſt, ita & noſtris temporibus eum ſub noſtra poteſtate diſponere, atque ordinare volumus, & omnes in hoc cognoſcere poſſunt, qualem poteſtatem ejus beatitudo, in eamdem Ravennatium urbem, & cunctum Exarchatum habuit, qui etiam Archiepiſcopum Sergium exinde abſtulit, dum contra ejus voluntatem agere, ſpiritu ſuperbiæ nitebatur. &c.* Hæc, & alia in eamdem rem Hadrianus Papa, qui addit in Ra-

ven-

vennatium urbe, ad faciendas juſtitias ab Romana eccleſia olim judices miſſos fuiſſe, & duces. Philippum ſcilicet Preſbyterum, & Euſthachium, atque ob hanc cauſam Anaſtaſium cubicularium ſuum ſe miſiſſe narrat, cui alia etiam viva voce exponenda ſe commiſiſſe tradit. *Quem in omnibus vobis commendantes, cuncta illi credere, & ad nos cum proſpero nuncio, & effectu cauſæ abſolvere jubeatis. &c.* Qua ratione hæc tandem diſſidia compoſita ſint, infra dicturi ſumus, cum non ſemel poſthac Carolus in Italiam redierit.

Rom. concilium falſum probatur.

9. Antequam ulterius progrediatur oratio noſtra, cum Baronio pauliſper conſiſtendum eſt, qui de Sigeberto conqueritur, eo quod in chronico ſuo falſum intruſerit Romanum concilium hoc tempore ab Hadriano Papa congregatum, quo Romani Pontificis electionem, Carolo Magno tribuiſſe dicitur, & ut Epiſcopi omnes ab eo inveſtituram ſumerent, hæc quippe in Sigeberti chronico ad annum 773. leguntur. *Poſtea rediens Carolus Papiam cœpit, iterumque Romam rediit, ſynodum conſtituit cum Hadriano Papa, aliiſque centumquinquaginta tribus religioſis Epiſcopis, & Abatibus, in qua Hadrianus Papa cum univerſali ſynodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Principatus*, ſeu Patriciatus Romanorum. *Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas provincias, ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi a Rege laudetur, & inveſtiatur Epiſcopus, a nemine conſecretur, omneſque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent, eorum bona publicari. &c.* Hæc & alia ibidem, quorum falſitas, ut cetera prætereamus, inde vel maxime patet, quod nulla hujuſce ſynodi mentio, aut memoria ante ſeculum undecimum occurrat, etſi occaſio, tum ab Hadriano in frequentioribus epiſtolis ad Carolum præcipue datis, cum ab ejus ſucceſſoribus, hujuſce decreti commemorandi oportuna non ſemel ſe ſe obtulerit, cujus auctorem etſi Sigebertum dixerit Baronius, ut ejuſdem canonis auctoritate Henrico Imperatori de Epiſcoporum electione, & inveſtituris cum Paſchale Romano Pontifice contendenti, adſtipularetur, ac gratificaretur, hujus tamen impoſturæ injuria Sigebertum facile liberat Pagius adnotans, hujus quidem concilii Romani mentionem fieri in Sigeberti chronico, in editione, qua Baronius, aliique uſi ſunt. At in editione Mi-

Jesu Chr. an. 774. rei ex melioris notæ Codicibus eruta, nulla hujus ſynodi apud Sigebertum mentio occurrit. Unde conſtat, ex aliquo impoſtore, viro ſane ſchiſmatico, hæc ad Sigeberti chronicon addita fuiſſe, eademque Gratianus monachus, in ſua decretorum collectione inſeruit, & ne plura in hujus ſynodi falſitate demonſtranda referamus ex Baronio, vel de Marcha, vel ipſæ Hadriani Papæ epiſtolæ concilii hujus, & canonis falſitatem demonſtrant. De Epiſcoporum quippe ordinatione in iis agens, eas ex cleri, & plebis electione fieri docet, quorum electionem, miſſo ab ſe decreto, Romanus Pontifex confirmabat. Quin cum Carolo in votis eſſet, ut Ravennatis Epiſcopi electio, cum miſſorum ſuorum interventu fieret, numquam id in uſu hactenus fuiſſe, his verbis eum admonuit. *Nam nos nullo modo meminimus, neque a prædeceſſoribus noſtris ſanctis Pontificibus, neque a ſanctæ recordationis præcellentiſſimo genitore veſtro domno Pippino magno Rege, neque a veſtra in triumphis regali victoria miſſum ad electionem Ravennæ directum eſſe, tam in electione Joannis Archiepiſcopi, quam in electione Gratioſi. &c.* Sed cleri, plebiſque decretum electionis ad Romanum Pontificem miſſum fuiſſe addit. *Proprium ſibi Antiſtitem conſecrandum, ſicut & nunc canonice factum eſt, petentes*, ac ne iis, qui aliud ſuadebant, aures præberet, hortatur. Si itaque neque Imperialium miſſorum præſentiam in Epiſcoporum electione, admittendam eſſe anno 789. Hadrianus Papa Carolum admonebat, quis ei anno 774. Epiſcoporum electionem conceſſiſſe credat.

Romani Pontificis electio libera absque Regis consensu fiebat.

10. Adnotare autem hoc loco juvabit, Epiſcoporum ordinationes, abſque ullo Regum conſenſu, ex cleri populique electione factas fuiſſe, ac Romani Pontificis ordinatio, quæ olim, ut miſerrima temporis conditio ferebat, non ſine Principis conſenſu fiebat, in priſtinam libertatem hoc tempore revocatam fuiſſe, Gothorum quippe Reges religione Ariani, eam ſibi primum auctoritatem uſurpaverant, ne iis inconſultis Romanus Pontifex conſecraretur. Eamdemque auctoritatem, Gothis victis, retinuerunt Græci Imperatores, ita ut poſt Pontificis electionem Romæ factam, eorum conſenſus ante conſecrationem, eſſet expectandus, ut in S. Gregorio, aliiſque Pontificibus adnotavimus, hunc vero ipſorum conſenſum, quandoque Ravennati Exarcho committebant Imperatores. Hinc ut ex diurno Romanorum Pontificum patet, relatio de ele-

electione CPolim ad Principem mittenda erat, alia ad Exarchum Ravennæ, alia ad Judices ejuſdem civitatis, alia demum ad Apocriſarium, plenæ omnes demiſſarum precum, ut canonica electio confirmaretur, ac confirmatione obtenta Pontifex conſecraretur, hinc per plures menſes Romana ſedes vacabat. At cum Græcorum Imperatorum poteſtas in urbe, & Italia, hoc ineunte ſeculo deficere cœpit, nullus amplius ab iis conſenſus, aut ab alia regali poteſtate exquiſitus eſt, ac in locum demortui, alter intra paucos dies electus, ordinabatur. Hinc poſt Gregorium tertium per dies tantum quatuor Romana ſedes vacavit, cui cum ſucceſſiſſet Zacharias, poſt dies duodecim eidem ſucceſſit Stephanus tertius. Poſt Stephani quidem obitum iterum diebus triginta duobus vacavit ſedes, & ultra annum etiam poſt Pauli obitum, qui Stephano tertio ſucceſſerat, in cujus locum cum Stephanus quartus ordinatus eſſet, in ejus obitu nonniſi dies octo vacavit ſedes, cum Hadrianus primus ordinatus eſt, quæ ſane oſtendunt, nullo petito, vel obtento hoc tempore vel a Pippino, vel a Carolo Magno, conſenſu, Romanorum Pontificum ordinationes factas fuiſſe.

Collectionem canonum, Hadrianus Papa Carolo donat.

11. Dum Carolus in urbe hoc anno eſſet, cum eo non ſolum ſecularia negotia tractavit Hadrianus Papa, ac ut Romanam eccleſiam ampliſſimis provinciis ditaret, effecit, ſed etiam de reſtauranda in Galliis eccleſiaſtica diſciplina, ſollicitus fuit. Ante annos triginta in id incubuerat Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, at temporum infelicitas, bellorumque frequentia effecit, ut vix quidquam tanta ſollicitudo profecerit. Quamobrem Carolo Romæ diſceſſuro, duos Hadrianus Papa dedit Codices, qui ad rem tanti momenti perficiendam adjumento eſſent. Primus continebat notitiam provinciarum ſeptemdecim, ſeu eccleſiarum quæ Metropoles dicebantur, ac Epiſcopales ſedes unicuique ſubjectas recenſebantur, cujus exemplar in lucem edidit Schelſtrates cum hoc titulo. *Iſte Codex eſt ſcriptus de illo authentico, quem domnus Hadrianus Apoſtolicus dedit glorioſiſſimo Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, ac Patricio Romanorum quando fuit Romæ*. Eoque admonebatur, Carolus ut juxta antiquam Gallicanæ eccleſiæ diſciplinam, Metropolitas in ſuis ſedibus ordinare curaret, quorum, vix duo tunc temporis priſtinum honorem aſſequuti

 fue-

Jesu Chr. An. 774. fuerant. In quam rem ſuam quoque Hadrianus Papa auctoritatem interpoſuit, datis litteris ad omnes Galliarum Epiſcopos. *Ut habeat unaquæque Metropolis civitates ſubditas, quas B. Leo, & alii prædeceſſores, & ſucceſſores ipſius, poſt Chalcedonenſem ſynodum ſingulis Metropolitis diſtinxerunt.* Codex alter Carolo donatus, ac ex archivio, ſeu bibliotheca Romanæ eccleſiæ deſumptus, concilia Generalia ſex ante id temporis celebrata, & Græcorum canonum compendium continebat, ut docet titulus Caniſianæ, & Labbeanæ editionis his verbis. *Incipit compendioſa traditio canonum Orientalium, ſive Africanorum, quos B. Hadrianus Papa, in uno volumine cum ſuperioribus conciliis, ad diſpoſitionem Occidentalium eccleſiarum Carolo Romæ poſito dedit Regi Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum.* Continetque Apoſtolorum Canonum 45. ſummam, Ancyranæ ſynodi 24. Neocæſarienſis 15. Gangrenſis 20. Antiochenæ 25. Laodicenæ 58. Sardicenſis concilii 21. Carthaginenſis 33., ac tandem Africanæ eccleſiæ canones numero centumquinque. Quantum vero pro reſtituenda in Galliis, & Germania eccleſiaſtica diſciplina adlaboraverit Carolus Magnus, tot Capitularia, Epiſcoporum concilia, Procerumque conventus, quæ ſingulis fere annis congregavit, teſtes ſunt, ſicuti ac eximiæ ejuſdem pietatis, & religionis monumenta, quæ nulla unquam oblivio, aut ætas delebit.

Paulus Diaconus captivus in Gallias ducitur.

12. Inter captivos, quos cum Deſiderio Longobardorum Rege in Gallias Carolus abduxerat, Paulus Diaconus Longobardicæ hiſtoriæ ſcriptor recenſetur, de cujus vita & ſcriptis uſque ad hæc tempora nonnulla adnotare hoc loco juvabit. Is itaque Longobardus genere patre Varnefrido genitus, Varnefridi cognomen ſortitus eſt, matrem Theodelindam habuit. Leuphim abavum, Lupium proavum, avum Arichim habuiſſe commemorat, quos in Forojulienſi caſtro Veneticæ provinciæ ſedem habuiſſe teſtatur. Aquilejæ etiam ſedem habuiſſe Paulum innuit Hildericus ipſius Pauli diſcipulus & monachus, deinde Abbas Caſinenſis in epitaphio a ſe compoſito, quo præceptorem ſuum laudat. Is utpote nobili genere ortus in aula regia apud Rachim Regem a teneris unguiculis æducatus, litteris humanis, diviniſque vacavit, ut his verſibus narrat Hildericus.

De Pauli Diac. genere & ſtudiis.

Di-

Divino inſtinctu, regalis protinus aula,
Ob decus & lumen patriæ, te ſumſit alendum.
Cum tua poſt Tibridem populis, & Regibus altis.
Tunc placida cunctis, vita, ſtudiumque maneret.
Omnia Sopiæ cæpiſti culmina ſacræ,
Rege monente pio Rachis &c.

Præceptorem in Grammatica habuit Flavianum, quem ipſe laudat, ut & Felicem ejus patruum his verbis. *Eo tempore*, nempe Cuniberti Regis, *floruit in arte grammatica Felix patruus Flaviani præceptoris mei, quem in tantum Rex dilexit, ut ei baculum argento, auroque decoratum inter reliqua largitatis ſuæ munera condonaret*. Rachiſo Rege defuncto in amicitiam familiaritatemque Deſiderii ſucceſſoris ejus tranſiit, quem etiam Deſiderii notarium fuiſſe ajunt Leo Marſicanus aliique. Capta vero Papia, & Deſiderio in Gallias abducto, illuc etiam cum eo Paulus translatus. Et ſane peregrinationis ſuæ in Gallias non ſemel ipſe Paulus meminit, ut adnotat Mabillonius. Capta itaque Papia urbe, Regi Carolo cum pro ſua prudentia carus admodum & familiaris Paulus factus eſſet. *Accuſatus eſt ab invidis apud Regem, quod ex affectu Deſiderii, illi pararet inſidias*. Ait Leo Marſicanus, ſive Oſtienſis, quibus cum aures præbuiſſet Carolus, oculos eidem avelli, aut manus preſcindi juſſerat. At mutata ſententia, ne tantum virum litteris, & hiſtoriæ benemeritum perderet, liberum abire permiſit. At hæc inter fabulas recenſenda eſſe adnotat Mabillonius, quarum plurimas Caſſinenſi chronico inſeruit Leo Oſtienſis. Hoc unum ſcimus Paulum diaconum, aula relicta, poſt Arighis Beneventani Ducis obitum in cujus aulam, & familiaritatem e Gallia redux tranſierat, circa annum 786. ad Caſſinenſes monachos tranſiiſſe, ſumptoque monaſtico habitu, ibidem pietate doctrina, & exemplis claruiſſe, ibique cum eſſet Longobardorum hiſtoriam digeſſit, homilias etiam, ſeu lectiones, quæ per anni feſtivitates legebantur Caroli juſſu edidiſſe, epiſtola ejuſdem Caroli anno 797. ad eum data teſtatur, ac inter Carolum Magnum, & Paulum Diaconum, ſeu monachum, amicitiam familiaritatemque, ad obitum uſque Pauli perſeveraſſe, ſcimus, ita ut Carolus poſt ſubactam Beneventanam provin-

Jesu Chr. An. 774.

vinciam, Grimoaldo Arigiſi filio obſide dato, cum Caſſinum tranſiiſſet, indeque in Galliam rediiſſet, carmen ad eumdem Paulum Caſſini degentem miſit, ut idem Leo Oſtienſis narrat. *Ad hunc præfatus Carolus Rex, qui eum exilio relegaverat, comperto, quod hujus monaſterii monachus effectus eſſet, multum illi gratulatus, affabiles ſatis & jucundas epiſtolas verſibus miſit, ex quibus aliquid inferre placuit. Ait enim poſt aliquos verſus ſuam alloquens chartulam.*

Hinc celer egrediens facili mea charta volatu
Per ſilvas, colles, valles quoque præpete curſu,
Alma Deo cari Benedicti tecta require.
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illuc:
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat.
Letus amor, cultus Chriſti ſimul omnibus horis;
Pax pia, mens humilis, pulchra & concordia fratrum.
Dic Patri, & ſociis cunctis, Salvete, Valete;
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benigne,
Dicito multoties: Salve, Pater optime Salve, &c.

Cui ille ſimiliter verſibus reſcribere, & pro viſitatione & ſalutatione ſua, & fratrum gratias referre maximas ſtuduit. Hæc Leo, qui addit eumdem Paulum illic conſenuiſſe in monaſterio, & longævum ætate in Domino quieviſſe, cujus infra iterum redibit ſermo.

Bulgaricum bellum inſtauratur.

13. De geſtis in Oriente vix aliquid notatu dignum occurrit, nam etſi cum Longobardorum Regno, Grecorum quoque in exarchatu poteſtas excidiſſet, ac quæ in Sicilia & circa Neapolim hactenus retinuerant in periculo eſſent vix tamen de his ſollicitum fuiſſe Conſtantinum Imp. conſtat. Bulgaricum quidem bellum inſtauratum hoc tempore fuiſſe narrat Theophanes, quorum quidem temeritatem non ſemel Conſtantinus compreſſerat, ac pacem petere coegerat, qua vix firmata, cum triumphans Conſtantinus CPolim rediiſſet, Bulgarorum Princeps nomine Tzeribus, ad ſolitas perfidiæ artes rediit, bellumque inſtauravit. Inter cetera ut ſciret, quos in ſuo Principatu proditores haberet, ſcripſit ad Conſtantinum Imp. ſibi in animo fuiſſe ad eum confugere, rogavitque ut ſibi ſignificaret, quos apud ſe amicos haberet, ut cum iis ad illum pergeret, qua fraude circum ven-

Digitized by Google

ventus Imperaror nomina eorum, qui inter Bulgaros ſui ſtudioſi erant, edixit, quos omnes Bulgarorum Princeps male perdidit. *Quo comperto Conſtantinus canos ſuos præ dolore evulſit.* Ait Theophanes.

Jesu Chr. an. 775.

JESU CHRISTI AN. 775. HADRIANI PAPÆ AN. 4. LEONIS IMP. 25. CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 2.

Conſtantini Copronymi Imp. interitus.

1. Bulgaricum bellum inſtauratum fuiſſe anno proximo diximus, cui perſequendo cum urbem hoc anno reliquiſſet Copronymus Imp. *Anthracum morbo in crura ſibi divinitus immiſſo correptus, & febri ſubinde vehementiſſima, & ardore medicis ob incendii vim penitus ignoto afflictus, ſubditorum humeris grabato delatus, Adrianopolim remeavit. Inde Silimbriam profectus, die* 14. *menſis Septemb. Indict.* 14. *nave conſcenſa ad Caſtellum Strongyium devectus, infelicem in navigio mortem obiit, vociferans ac dicens, etiam vivus igni numquam extinguendo addictus ſum. Sanctam poſtmodum virginem, & Dei Genitricem hymnis & laudibus celebrari, qui vixerat hoſtis ejus infenſiſſimus, poſtulavit.* Ait Theophanes, ſic vir impius periit, Antiochi pœnitentiam imitatus, cujus ſcelera vivens, & maxime in ſanctis viris perſequendis feritatem imitatus fuerat, longius quidem vitam, & Imperium tenuerat, cum ultra annos 55. Imperium obtinuerit. Poſt patris obitum annos 34. menſes duos dies 26. imperavit, ejuſdem inſana, ſceleſtaque geſta ſupra narravimus, cujus Epitaphium Theophanes his verbis inſcripſit. *Ita vitam finivit homo chriſtianorum cædibus, dæmonum invocationibus, & ſacrificiis, ſanctarum eccleſiarum, & rectæ inculpatæque fidei perſequutionibus, ad hæc quoque monachorum nece, & monaſteriorum prophanatione inquinatiſſimus, omnibuſque ſceleribus, vel ſupra Diocletianum, ceteroſque tyrannos furore præter opinionem omnem inſaniens.* Eadem fere ceteri Græci hiſtorici, quæ exſcribere ſuperfluum eſt, cum hæc ad oſtendendam ejuſdem inſaniam, memoriamque infamandam aptiſſima ſint.

Copronymi Imp. elogium.

2. Defuncto Copronymo, Leo ejus filius, quem olim Imperio ſociaverat, quique annum Imperii 25. inchoaverat, ſolus poſthac imperavit, qui Imperii ſui initio, divitiis a patre ſibi relictis utens, populos ſibi ſubditos largitionibus pro-

Leo Copronymo patri ſuccedit.

Jesu Chr. an. 775.

promereri curavit, ait Theophanes, ac *ad breve tempus religionem præ ſe tulit, & Deiparæ virginis bene affici viſus eſt, quare primariarorum civitatum ſedibus adminiſtrandis, ex Abbatibus Metropolitas elegit*. At diu occultam mentis labem continere non potuit, & patris exemplo adverſus orthodoxos ſœviit, ut infra dicturi ſumus.

AlmansorSaracenorum Calipha moritur, cui filius ejus Mahadi ſuccedit.

3. Hoc etiam anno, quin eodem menſe, ut ait Theophanes. *Abdalas Arabum Dux extinctus eſt. Iſtæ duæ feræ crudeliſſimæ, cum diu ſimul humanum genus dilaniaſſent, quæ Dei providentia fuit, ambæ ſimul ſublatæ ſunt, in quorum locum, Leo, & Madi*, ſeu Mahadi, *rerum ſummam adminiſtravere*, ait Theophanes. At loco Abdalatis, Alamanſoris nomen in Theophane ponendum eſt. Almanſor quippe, poſt Mahumetem PſeudoProphetam vigeſimus tertius Seracenorum Calipha, ac Abbaſidarum ſtirpis tertius, hoc anno vivere deſiit, cum toto Regni ſui tempore genus humanum, ac chriſtianos præcipue vexaſſet, cui filius ejus Mahadi ſucceſſit, ut Elmacinus, Buſſaragsus, aliique Arabum ſcriptores referunt, ac Pagius, Derbellot, ac auctor Gallicus hiſtoriæ Arabum Dorigni pluribus perſequuntur, quos exſcribere piget.

Carolus Franc. Rex synodum ſive conventum Duriæ celebrat.

4. Carolus Francorum Rex, & Longobardorum, hoc anno non ſolum adverſus Saxones bellum pro more geſſit, ſed etiam de iis triumphum egit, ut Francorum annales narrant, cumque Paſcha apud Cariſiacum celebraſſet, ſynodum poſtea ſive conventum Epiſcoporum, & Regni Procerum in villa, quæ Duria dicebatur, quam in Suliacenſi ducatu nunc eſſe adnotat Pagius, celebravit, obſervatione plane digna res eſt, ait Baronius, quod antequam in hoſtes Carolus proficiſceretur, ad componendum civilem ſtatum, & ad bene diſponendas res eccleſiaſticas, Epiſcopos, Regni Proceres, & Abbates convocare conſueverit, ut his adverſus hoſtes pugnaturus, divinum ſibi Numen conciliaret, quod non ſemel ab eodem factitatum infra dicturi ſumus. Quæ autem in his ſynodis ſeu conventibus ſtatuta ſint, Capitularia ejuſdem Caroli docent, quæ in unum a Baluſio collecta, in lucem ſunt edita, eademque Anſigiſus Abbas Lobienſis in unum collecta, ac in capita centum octoginta diſtributa olim digeſſerat. At quæ ſingulis in conventibus ſtatuta ſunt, diſtingui vix poteſt, cum per materiæ capita, referantur.

5. Dum

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum, qua eum ut promiſſa impleret, hortatur.

5. Dum in rebus eccleſiæ, & Imperii componendis intentus eſſet Carolus, ac epiſtolas ab Hadriano ad eum anno proximo datas accepiſſet, quas ad eum Andreas Epiſcopus, & Anaſtaſius cubicularius detulerant, iis acceptis Romam continuo Pontificis miſſos remiſit, cum epiſtolis ſuis, quibus in promiſſis exequendis operam ſe daturum promittebat. Quibus lectis, *Nimio repleti gaudio*, ait Hadrianus Papa, *illico extenſis palmis ad æthera, omnium Creatori domino Deo noſtro immenſas tulimus grates &c.* Ac ut quantocius promiſſa impleret, his verbis excitat. *Sed bone dulciſſime, atque præcellentiſſime fili domine mi a Deo inſtitute Magne Rex, deprecor, & obnixe peto tamquam præſentialiter, coram tuis adſiſteni obtutibus, cum magna fiducia, ut velociter ea, quæ B. Petro pro magna animæ tuæ mercede, & a Deo protecti Regni veſtri ſtabilitate B. Apoſtolorum Principi Petro Cælorum Regni clavigero per tuam donationem offerenda ſpopondiſti, adimplere jubeas. &c.* Cum hæc, & alia in eamdem rem addidiſſet, ſubdit ſe accepiſſe Leonem Ravennatem Archiepiſcopum, de quo conqueſtus fuerat, eo quod Exarchatum, aliaſque in Pentapoli civitates invadere conatus fuerat, ad eum in Gallias properaſſe, ſe his quidem nequaquam obſtare ait Hadrianus, at addit. *Si præfatus Archiepiſcopus nobis direxiſſet, ad veſtri ſe præſentiam velle proficiſci, gratuito animo noſtrum miſſum cum eo direxiſſemus.* Ut ſic utraque parte audita, Carolus litem inter eos excitatam definire poſſet,

Hadriani ep. ad Carolum, qua de LeoneRavennat. Archiepiſc. queritur.

6. Epiſtola altera hoc eodem anno data, de ſoſpitate tum Caroli, cum uxoris ejus, & filiorum, ſe quammaxime ſollicitum fuiſſe teſtatur Hadrianus, unaque epiſtolam ſibi a Gradenſi Archiepiſcopo Joanne miſſam tranſmittit, qua de Arigiſi Beneventani Ducis Longobardorum conatibus pro reſtituendo Longobardorum in Italia Regno agebatur, uti hæc Hadriani verba indicant. *Itaque innoteſcimus excellentiæ veſtræ ſuſcepiſſe nos epiſtolam directam nobis a Joanne Patriarcha-Gradenſi. 27. enim die Octobris menſis ipſa ad nos pervenit epiſtola, & protinus nec potum, nec cibum ſumpſimus, neque nos, neque hujus ſcriptor noſtræ Apoſtolicæ relationis, ſed eadem horâ, eodemque momento ipſam antefati Patriarchæ epiſtolam cum his noſtris Apoſtolicis ſyllabis vobis tranſmiſimus.* Additque, ſe iis acceptis in mœrore fuiſſe, cum eas a

Jesu Chr. an. 775.

Leone Archiepiſcopo Ravennate, auſu temerario, remotis ſigillis, relectas antea fuiſſe, non alio fine, quam ut adnunciaret *tam Arighiſo Beneventano Duci, quam reliquis noſtris, veſtriſque inimicis, & dubium non eſt, jam præfatis æmulis ab eodem Archiepiſcopo eſſe adnunciata*. His in Embolo de eodem Leone Ravennatenſi Archiepiſcopo conquerens, addit, eum poſt reditum ſuum ex Galliis, in majorem ſuperbiam elatum, non ſolum Apoſtolica mandata ſpernere, ſed etiam prohibere ne quiſquam *ex Ravennatibus, vel Æmilia, pro accipiendis præceptis de diverſis actionibus ad nos venire permiſit, ita eis indignatus comminatus eſt dicens, quod ſi quis ex eis ad nos venire præſumpſiſſet, non potuiſſet venire*, & paulo poſt. *At vero de civitatibus Imulenſi, ſeu Bononienſi ita prophanizat dicens, quod veſtra excellentia ipſas civitates minime B. Petro, & nobis conceſſit. ſed ſibi ipſe Archiepiſcopus a vobis fuiſſe conceſſas ac traditas aſſerit, ſub ſua poteſtate permanendas. Unde nullum hominem ex eiſdem civitatibus ad nos venire permiſit, ſed ipſe ibidem actores, quos voluit, ſine noſtra auctoritate ordinavit, & in ſua eos detinet poteſtate. &c.* Quod ne ultra fieri permitteret, Hadrianus Carolum hortatur.

Hadriani ep. ad Carolum qua ut promiſſa impleret, excitat.

7. Altera epiſtola, deſinente jam anno, data narrat, ſe ab Andrea Epiſcopo ex Galliis hoc eodem anno redeunte, accepiſſe, autumnali tempore Caroli miſſos Romam adventuros. *Qui nobis omnia*, ait, *ſecundum veſtram promiſſionem contradere deberent. & expectantes fuimus uſque hactenus per totum Septembrem, & Octobrem, & præſentem Novembrem menſem*, qui cum non adveniſſent, Papiam ad judices ſuos ſe miſiſſe ait, ut ab iis diſceret, num revera promiſſi legati Romam perventuri eſſent, cumque ii reſpondiſſent, *Nequaquam ad nos veſtros nunc eſſe profecturos miſſos*, ea reſponſione anxium iterum Andream Epiſcopum, & Pardam dilectam filiam cum litteris hiſce ſuis ſe miſiſſe narrat, quibus Carolum vehementer admonet, ut donationem a Pippino patre ſuo Romanæ eccleſiæ factam, ab eoque confirmatam, opere tandem impleret. In Embolo deinde adverſus Leonem Ravennatem Archiepiſcopum quærelas renovat, eo quod uti in aliis epiſtolis dixerat, Exarchatum cum Pentapoli ſui juris eſſe diceret, in ſuaque poteſtate retineret, ita ut cum Gregorium Sacellarium illuc miſiſſet Hadrianus, ut eas gentes cum

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 775.

eum civitatibus in Romanæ eccleſiæ fidem, præſtito ſacramento ſuſciperet. *Nequaquam idem Archiepiſcopus eumdem noſtrum Sacellarium illuc ire permiſerit*. Quin cum Hadrianus Dominicum quemdam Comitem cujuſdam civitatis conſtituiſſet, idem Archiepiſcopus miſſis militibus, *Vinctum eum Ravennam deduxit, & ſub cuſtodia habuit. Nam & aliis civitatibus Æmiliæ, ideſt Faventia, Ducatus Ferrariæ, Comiado*, ſive Commachium, *& Foro Livii, & Foro populi, Ceſnia*, ſeu Cæſena, *& Bobio, ſeu Tribunatu decimo, nullum hominem exinde ad nos, pro ſuſcipiendis præceptis actionum advenire permiſit, cum illi omnes parati erant ad nos conjungere*. Ideſt noſtræ fidei, Romanæque eccleſiæ poteſtati ſe ſubjicere; niſi Archiepiſcopus Ravennatium eos prohibuiſſet. Cum interea, ut ſubdit reliquæ civitates. *Ab Arimino uſque Eugubium omnes more ſolito ad noſtri advenerunt præſentiam, & præcepta actionum de ipſis civitatibus a nobis ſuſceperunt, & in noſtro ſervitio atque obedientia fideliter cuncti permanent*. Hæc & alia ibidem Hadrianus. Ex quibus, aliiſque, de quibus infra dicturi ſumus, patet Donationis ab Pippino, & Carolo Magno Romanæ Eccleſiæ factæ frui pacifice haud potuiſſe Romanos Pontifices, donec Longobardorum duces in Italia perſeverarunt. Nam etſi Longobardicum in Italia Regnum, ducto in Gallias Deſiderio Rege cum uxore, & filiis pene excidiſſet, tres nihilominus ejuſdem gentis Duces, ideſt Forojulienſis, Spoletinus, & Beneventanus, non minimam Italiæ partem ſibi retinuerant, fineſque ſuos dilatare conabantur. Ex his autem Spoletinus, & Beneventanus, Ducatui Romano, cui inſtabant, urbique ipſi infeſti diu fuerunt, quamobrem nonniſi longo temporis tractu, Romani Ducatus, aliarumque provinciarum poſſeſſionem inire, & pacifice retinere potuerunt Romani Pontifices.

Hadriani Papæ epiſt. ad Tilpinum Rhemenſem Epiſc.

8. Dum in tuendis Romani Ducatus finibus, dilatandiſque Romanæ eccleſiæ per Italiam finibus intentus eſſet Hadrianus Papa; ea etiam, quæ eccleſiaſticam diſciplinam, & Romanæ eccleſiæ dignitatem, ſpectabant, nequaquam neglexit. Ac a Tilpino Rhemenſi Archiepiſcopo rogatus, ut eccleſiæ ſuæ jura, & privilegia, ab Milone Trevirorum quondam Epiſcopo, aliiſque violata, & labefactata in integrum reſtitueret, ac in poſterum inleſa ſervari juberet, Hadrianus, datis ad eum litteris, quarum Flodoardus in hiſtoria Epiſco-

JESU CHR. AN. 775. porum meminit lib. 2. cap. 12. 16. & 17. ejuſdem eccleſiæ privilegia ſarcta, tectaque ſervari juſſit. Has quidem ad annum 717. Baronius recitat, quod a Gregorio ſecundo ſcriptas fuiſſe credidit, at eas Hadriano reſtituendas invictis argumentis demonſtrat Pagius, & Hadriano Labbeus etiam reſtituendas putavit. His ergo primum narrat Hadrianus, ſe alias ad eum Pallium miſiſſe cum id ab eo Carolus poſtulaſſet, deque ejuſdem doctrina, ac morum probitate Fulradus Abbas teſtimonium reddidiſſet, agit deinde de variis vicibus, ſeu vexationibus, quibus olim, cum inter ſe diſſiderent Francorum Reges, Rhemenſis eccleſia adeo vexata fuit, ut Rigobertus, eique temporis tractu ſuffectus Abel ſua ſede dejectus fuerit, etſi Zacharias Romanus Pontifex, a Bonifacio Mogontino tunc Epiſcopo, & Apoſtolicæ ſedis legato rogatus, Pallium eidem miſiſſet. Milon præterea illiteratus & ſola clericali tonſura inſignitus Trevirorum Epiſcopus ordinatus, in Rhemenſem non ſolum eccleſiam, ſed etiam in ceteras, eidem Metropoli ſubditas, longo tempore juriſdictionem ſeu tirannidem exercuerit. Itaque ſe Tilpini, cui jam pallium miſerat, ordinationem, ejuſdemque eccleſiæ jura, & Metropoliticam in ſecunda Belgica poteſtatem confirmat, multaque in Tilpini Archiepiſcopi laudem addit, ut ibidem videre eſt: Rhemenſem inſuper eccleſiam ejuſque Epiſcopos Romano tantum Pontifici ſubjectos dicit, rogatque tandem, ut de Lullo Mogontinæ eccleſiæ Epiſcopo ordinato ſollicite inquireret, ſibique quamprimum deferat. *Ut quia de ordinatione Epiſcopi, nomine Lulli ſanctæ Mogontinæ eccleſiæ ad nos quædam pervenerunt. Aſſumptis tecum Viomago, & Poſſeſſore Epiſcopis, & miſſis glorioſi ac ſpiritalis filii noſtri Caroli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem, & doctrinam illius, atque converſationem, & mores, ac vitam inveſtiges ut ſi aptus fuerit, & dignus ad Epiſcopalem cathedram gubernandam, expoſitam & conſcriptam, & manu ſua propria ſubſcriptam catholicam & orthodoxam fidem, per miſſos ſuos, cum litteris ac teſtimonio tuo, ſeu aliorum Epiſcoporum, quos tecum eſſe mandavimus, ad nos dirigat, ut Pallium illi ſecundum conſuetudinem tranſmittamus, & ordinationem illius firmam judicemus, & in eadem ſancta Mogontina eccleſia Archiepiſcopum conſtitutum eſſe faciamus. Bene vale.*

Ha-

Hactenus Hadriani epiſtola ad Tilpinum circa hunc annum ſcripta. Jesu Chr. an. 776.

9. Hoc anno Rumoldus Dublinenſis quondam in Hibernia Epiſcopus apud Machliniam in Belgio martyrio coronatus eſt. Is Romam profectus, & Apoſtolico munere exornatus, Machliniæ evangelium prædicans, cum illius gentis quamplurimos ad Chriſtum convertiſſet, a duobus ſicariis occiſus eſt, quorum alterum adulterii coarguerat, ut ejuſdem acta teſtantur. Eodem etiam fere tempore, nam annus in obſcuro eſt, Sanctus Gummarus, qui in aula Pippini olim claruerat, vivere deſiit. Is porro, ut vitæ ejuſdem auctor narrat. *Cum ad Limina Apoſtolorum tenderet, divina admonitione, intra Netæ ambitum jubetur oratorium conſtruere, ubi vitam in multa ſanctitate finivit.* Cujus reliquiæ Syræ in Ñetæ inſulæ ambitu requieſcunt.

Rumoldus martyr occubuit.

S. Gummari obitus.

10. Aurelius præterea Galleciæ ſeu Aſturiarum in Hiſpania Rex, mortalitatem explevit, ſucceſſoremque Silonem habuit ſororis ejuſdem maritum, qui cum nec filios haberet, aut ſpes filiorum ſupereſſet, otio tantum, & quieti indulſit, cum ſumma rerum Alphonſus caſtus, Troile Regis filius potiretur, quemadmodum in chronico a Vaſeo edito legimus. Sed de his plura apud Tudenſem, vel Marianam in hiſtoria Hiſpaniæ videri poterunt.

Aurelii Aſturiarum Regis obitus, cui Silo ſuccedit

JESU CHRISTI an. 776. Hadriani Papæ an. 5.
Leonis Imp. 26. et 2. Constantini Imp. 1.
Caroli Magni Italiæ Regis 3.

1. Cum Longobardorum Duces, Forojulienſis ſcilicet, Spoletinus, & Beneventanus, Italiæ res turbarent Regnumque Longobardorum reſtituere pro viribus conarentur. Carolus Rex in Italiam redire conſtituit, atque e Saxonia rediens anno proximo iter Italicum ſuſcepit. *Tunc audiens quod Rodgaudus Longobardus fraudavit fidem ſuam, ut omnia ſacramenta rumpens; & voluit Italiam rebellare. Tunc illis in partibus cum aliquibus Francis Domnus Carolus Rex iter peragens, & celebravit Natalem Domini in villa, quæ dicitur Scladiſtat.* Ait Annaliſta Loiſellianus, ſeu ut habet Regino *Schelſtat in Elſatio*, ſeu in Alſatia; unde vere adveniente in Italiam ingreſſus, *& occiſo Hrotgaudo* ſive Rodgaudo

Carolus iterum in Italiam contra Longobardos tranſit.

Jesu Chr. an. 776. do Forojuliano Duce, *qui illi rebellis extiterat, obſeditque, Stabilinium ſocerum ſuum Taraviſo civitate. Eo capto diſpoſitiſque omnibus, proſper rediit cum ſuis in Franciam*, ait Annaliſta Petavianus. Carolus itaque ſumma uſus felicitate in Italiam ingreſſus, capto & occiſo Rotbaudo Forojulienſi Duce, cum Stabilino ſocero ſuo, Forojulienſem Ducatum, cum Tarviſana Marca ſuæ poteſtati ſubjecit, ſeu ad obſequium ſibi præſtitum redire compulit, ac Paſcha Tarviſii celebravit, uti traditum eſt ab Reginone, aliiſque chronologis. Inde in Galliam rediit, ubi Saxones defeciſſe intellexit, ſi fides habenda Annaliſtæ Bertiniano ſcribenti. *Cum proſperitate & victoria reverſus eſt in Franciam. Tunc nuncius veniens dixit Saxones rebellatos*. Hæc adnotavit Franciſcus Madriſius Congregationis Uticenſis presbyter in vita S. Paulini Aquilejenſis ab eodem una cum ſcriptis ejus edita Venetiis apud Pitterum an. 1737.. De geſtis in Galliis a Carolo redux paulopoſt. Ea nunc dicenda, quæ cum ipſo litteris ſcriptis egit Hadrianus Papa.

De epiſtolis Hadriani Papæ ad Carolum datis.

2. Quatuor enim epiſtolas ab Hadriano Papa ad Carolum hoc anno datas exhibet Carolinus Codex, prima de obitu Conſtantini Copronymi certiorem reddit adjunctis etiam litteris a Stephano Neapolitanæ eccleſiæ Epiſcopo ea de re ſcriptis, quas die 7. menſis Febr. acceperat: De Reginaldo quoque in Thuſcia Duce conqueritur. *Qui nunc in Cluſina civitate Dux eſſe videtur*, atque ut eum revocet, enixe rogat. *Eo quod plurima mala per ſuas iniquas ſummiſſiones ſpiritali matris veſtræ ſanctæ Dei eccleſiæ, & nobis ingerere non deſinit*. Præcipue caſtellum S. Felicitatis in ſuam retinens poteſtatem. *Idcirco poſcimus, & nimis ſuplicando inſiſtimus veſtram a Deo illuſtratam potentiam, ut ob amorem B. Petri Apoſtoli, nullo modo prænominatum Reginaldum ibidem in Thuſciæ partibus eſſe permittatis, ſed neque illum ei*, ideſt illuc, *agere cedat*, ſeu concedatis. Epiſtola altera de legatis ad ſe a Carolo miſſis, Poſſeſſore ſcilicet Epiſcopo, & Rabigaudo Abbate graviter conqueritur, eo quod cum ad ſe primum venire debuiſſent, Hildebrandum nihilominus Spoletinum Ducem prius convenerant, cum quo diu converſati, Beneventum abierant, ac inde ultimo Romam advenerant, quamvis ipſos ad ſe perhonorifice invitaſſet, ſtatim ac eos Peruſium adveniſſe audierat. *Illico*, ait, *ſecundum qua-*

qualiter Miſſos veſtræ regalis potentiæ decet, omnem præparationem, ſeu & caballos obviam eis direximus, cognitoque ipſos ad Hildebrandum iter direxiſſe, iterum litteris ſuis exoraſſe, ut ad ſe quantocius properarent. *Sed illi, neſcimus, quid pertractantes, ſtatim a Spoleto in Beneventum perrexerunt, nos in magna derelinquentes ignominia, & Spoletinos ampliaverunt in protervia.* Quare ſemel iterumque alias ſibi a Carolo promiſſa memorans vehementer rogat. *Ut de tanta & tali tribulatione, in qua nos ipſi veſtri derelinquerunt miſſi, velociter per fideliſſimos & benigniſſimos veſtros miſſos, nos conſolari, & lætificari jubeatis, quia & ipſum Spoletinum Ducatum quod vos præſentialiter obtuliſtis protectori veſtro B. Petro Principi Apoſtolorum per noſtram mediocritatem pro animæ veſtræ mercede reddere juberet.* JESU CHR. AN. 776.

3. Tertia Februario ineunte ſcripta, Longobardorum Ducum conſilia, de urbe invadenda, deque Regno Longobardico inſtaurando Hadrianus Carolo detegit, ac ut opem quantocius ferat, hortatur his verbis. *Domino Excellentiſſimo filio Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum Hadrianus Papa. Reminiſci conſideramus a Deo protectam Excellentiam veſtram, quod ſæpius vobis innotuimus de Hiltibrando Spoletino Duce, ſeu Arigiſo Beneventano Duce, atque Rodgauſo Forojuliano de ſæviſſimo conſilio, quod erga nos, atque vos gerere non differunt. Nunc vero dum fideliſſimi veſtri Miſſi, revera ſanctiſſimus frater noſter Poſſeſſor Epiſcopus, atque Rabigaudus religioſus Abbas, a Benevento repedantes, per prædictum Hildibrandum ad nos properant, nimis nos obſecrantes, propter nominati Hiltibrandi noxam, ut ei veniam tribueremus, adſerentes, ut apud eum noſtrum indiculum, & obſides pro ſua dubitatione, & Hildibrandus noſtris ſe præſentaret obtutibus, nos quippe ſecundum fideliſſimorum Miſſorum veſtrorum dictum, illuc uſque Spoletum direximus Stephanum noſtrum fideliſſimum dudum Sacellarium.* Ut ſecurius quippe ageret Spoletinus Dux, imparatumque Pontificem inveniret, ſe ad ſatisfaciendum Hadriano paratum eſſe finxerat, Romamque ad veniam petendam profecturum ſpoponderat, eaque de cauſa ut ſecurus advenire poſſet, *Indiculum*, per Poſſeſſorem Epiſcopum, & Rabigaudum Abbatem Caroli miſſos ab Hadriano Papa poſtulaverat, ſeu ut dici ſolet, ſalvum conductum, *& obſides*

Hadrianus prava Longob. Ducum conſilia Carolo detegit

pro

Jesu Chr. an. 776. *pro ſua dubitatione*. At cum ad eum Stephanum miſiſſet Hadrianus, omnia tum Spoletini Ducis, cum aliorum Forojulienſis ſcilicet, & Beneventani conſilia detexit, nam ut proſequitur Hadrianus. *Ipſe noſter miſſus eum apud eum conjunxiſſet, in magna eum invenit protervia, eo quod Miſſos Arigiſi Beneventani Ducis, ſeu & Rodgauſi Forojuliani, nec non & Reginaldi Cluſinæ civitatis Ducem in Spoletio cum præfato Hiltibrando adhibentes adverſus nos perniciosum conſilium, qualiter Deo iis contrario proximo Martio menſe adveniente, utroſque in unum conglobarent cum caterva Græcorum, & Athalgiſo Deſiderii filio, & terra marique ad dimicandum ſuper nos irruant; cupientes hanc noſtram Romanam invadere civitatem, & cunctas Dei eccleſias denudare, atque ciborium fautoris veſtri B. Petri auferre, vel noſmetipſos, quod avertat divinitas, captivos nos deducere, nec non Longobardorum Regem integrare, & veſtræ regali potentiæ reſiſtere*. In quibus anguſtiis conſtitutus Hadrianus, *Peto te* ait. *& tamquam præſentialiter aſſiſtens cum divinis myſteriis conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apoſtolorum B. Petro, ut ſub nimia feſtinatione, & maxima celeritate nobis ſubvenias, ne pereamus. &c.* Hæc & alia Hadrianus hujus anni initio, antequam Carolus Italiæ fines attigiſſet, cujus adventu, omnia Longobardorum Ducum conſilia everſa ſunt, cum etenim Forojulienſem Ducem primo fere impetu, cum ſocero etiam ſuo viciſſet, ut ſupra diximus, ac Forojulienſem Ducatum, cum Treviſana Marcha in ſuam recepiſſet poteſtatem, Beneventanus, & Spoletinus Duces, quidquam ultra tentare auſi ſunt, ne progrediens Carolus, Forojulienſis Ducis ſortem experiri cogerentur.

De adventu Caroli in Italiam Hadrianus cum eo gratulatur.

4. Paulo poſt, cum ab Caroli Legatis Poſſeſſore Epiſcopo, & Rubigaudo Abate didiciſſet Hadrianus Caroli in Italiam adventum, animo exhilaratus, immenſas Deo gratias cum eo quarta epiſtola gratulatur. *Quo audito*, ajebat, *nimis noſter lætatus eſt animus, una cum univerſo noſtro populo, eo quod nimis deſiderabiles ſumus prænominatiſſimum veſtrum conſpicere vultum*. Nam Romam uſque ad Limina Apoſtolorum profecturum ſperabat, ideoque ſeſe illius conſpectui ubicumque voluiſſet, adfuturum pollicebatur. *Cognoſcat veſtra conſpicua excellentia, quia ſi mora de veſtro adventu provenerit, magna nobis imminet voluntas, ibidem in veſtrum adven-*

Digitized by Google

ventum ubicumque vos valuerimus conjungere obviam proficiſci. &c. At cum ex Forojulienſi Ducatu, in Franciam rediiſſet Carolus, ſua ſpe fruſtratus fuit Hadrianus.

Carolus Vormatiæ conventum celebrat.

5. Carolus interea in Gallias, ut diximus, reverſus, in Saxones arma convertit, eorumque perfidiam, ob pacta conventa ſæpe violata caſtigavit. Exinde Vormatiam conventum ibidem, ſive ſynodum Epiſcoporum, Abbatum, & Regni Procerum celebravit, uti proditum in ejus vita ab Eginhardo eſt, aliiſque rerum Francicarum ſcriptoribus. *Cum perveniſſet Domnus Carolus Rex Vormatiam, conjunxit ſynodum ad eamdem civitatem, & ibi placitum publicum tenens, conſilio facto, cum Dei adjutorio ſub celeritate & nimia feſtinatione Saxonum caſas, ſeu firmitates*, ideſt loca munita, *introivit. Tunc Saxones perterriti omnes ad locum ubi Lyppia conſurgit venientes*, ſe chriſtianos, & ſub Caroli poteſtate futuros eſſe teſtati ſunt, aliique plurimi cum uxoribus, & filiis baptizati fuerunt, obſides fidei ſuæ, & fidelitatis in Regem offerentes, quibus geſtis, *Reverſus eſt Domnus Carolus in Franciam, & celebravit Natalem Domini in Hereſtallo.* Subdit Annaliſta Loiſellianus, res a Carolo hoc anno geſtas perſequens.

Cujusmodi eſſent Placita ſeu Synodi quæ in Galliis habebantur.

6. Quoniam vero frequens in Gallicana hiſtoria hujuſmodi Synodorum regalium memoria deinceps occurrit, præſtat hoc loco paucis animadvertere publicos totius Regni ordinum conventus fuiſſe, quibus Reges ipſi præerant, & in quibus de arduis Regni negotiis agebatur. Bis autem quotannis habebantur ejuſmodi Placita, uti admonet Hincmarus epiſtola XIV. cap. XXIX. Tom. 2. oper. edit. Sirmond. pag. 211.. *Conſuetudo autem tunc temporis talis erat, ut non ſæpius, ſed bis in anno, Placita duo tenerentur.* Hiſce autem intererat, ipſomet Hincmaro ibid. docente, *generalitas univerſorum majorum tam Clericorum, quam Laicorum.* Quamobrem Generalia, vel communia Placita dicebantur, quod ex pluribus iſtorum temporum monumentis intelligitur, quæ Dufreſnius memorat in Gloſſario. De univerſis autem negotiis cum Eccleſiaſticis, tum civilibus ibidem diſceptabatur; quæcumque tamen ad Eccleſiam pertinerent, Eccleſiaſticorum ordinum judicio conſtituebantur. In his autem ſynodis ab Epiſcopis conſtituta, Regia auctoritate confirmabantur; ac utriuſque poteſtatis, eccleſiaſticæ ſcilicet, & Regiæ auctoritate in

Jesu Chr. an. 777. vulgus promulgabantur, eaque ratione, *Capitula Regalia auctoritate Epiſcoporum ſtatuta dicta ſunt*.

Conſtantinus a Leone patre Imperator coronator.

7. Hoc autem anno Leo Imperator, ſummis a populo precibus exoratus filium ſuum Conſtantinum Imperio ſociavit, purpuraque induit, cum eidem non ſolum Senatores, militareſque ordines, ſed etiam ceteri ex plebe juraſſent, neminem alium Imperatorem umquam ſuſcepturos præter Leonem Conſtantinum, & deductam ab eis ſobolem. Rei geſtæ feriem, inaugurationiſque ſolemnitatem deſcribit Theophanes, ac addit paulo poſt in ſævitiam feſta tranſiiſſe, dum idem Leo Imperator, Nicephorum fratrem ſuum Cæſarem, quaſi rebus novandis ſtuderet, majeſtatis reum accuſatum, una cum aliis ejuſdem conſpirationis ſociis, cæſum atque tonſum Cherſonam relegaſſe, perpetuo carcere detinendum.

JESU CHRISTI annus 777. Hadriani Papæ 6.
Leonis Imp. an. 27. et 3. Constantini Imp. an. 2.
Caroli Magni Italiæ Regis an. 4.

Hadriani epiſt. ad Carolum.

1. Cum epiſtolarum Hadriani Papæ ad Carolum Cronologia, ita varia ſit, ut ſcriptores vix, ac ne vix quidem inter ſe conveniant. Cenninm ceteris, neque temere, qui Carolinum Codicem vulgavit, illuſtravitque, præferimus; Hunc itaque ſecuti labentem annum ab epiſtola quadrageſima nona auſpicamur qua cum redeuntibus legatis ſuis Philippo Epiſcopo, & Megiſto Archidiacono didiciſſet Hadrianus Papa Caroli ſalutem integram, reſque ejus proſperas eſſe, *Hoc audito*, ait, *magno gaudio noſter relevatus eſt animus*. Cum præcipue eorumdem legatorum reditu, *dignati eſtis nobis repromittere, ut in ſanctam diem Paſchæ ad limina Beatorum Apoſtolorum Principis Petri, una cum ſpiritali filia noſtra Regina Domino auxiliante properare debuiſſetis, ut filium, qui nunc vobis procreatus eſt e ſacro baptiſmate in ulnis noſtris ſuſciperemus*. Hanc ſpem Hadriano Carolus anno proximo dederat, cum in Italiam adverſus Forojulienſem Ducem, exercitum duxerat. At eo devicto in Franciam redierat, ut anno proximo adnotavimus. Quare Hadrianus ſua ſpe fruſtratus hæc addidit. *Dum appropinquaſſet ipſe dies ſanctus Paſchæ*, anni elapſi, *& nullum mandatum de adventu veſtro ſuſcepiſſemus, aut de miſſis veſtris, ſecundum pla-*

placitum, quod inter nos extiterat, valde triſtes effecti ſumus. Sed obnixe te petimus, præcellentiſſime & magne Rex, ut ſecundum quod inter nos conſtitit, pro ipſo ſancto baptiſmate noſtrum adimplere jubeas deſiderium, de eodem eximio filio veſtro. Ita ut per procuratorem, & legatos eumdem e fonte ſuſcipere mereretur. Carolum deinde, ut quæ olim Romanæ promiſerat eccleſiæ, opere impleret, precatur, eumque Conſtantini Magni Imp. exemplo his verbis excitat. *Et ſicut temporibus B. Silveſtri Romani Pontificis a ſanctæ recordationis piiſſimo Conſtantino Magno Imperatore, per ejus largitatem, ſancta Dei catholica, & Apoſtolica Romana eccleſia elevata atque exaltata eſt, & poteſtatem in his Heſperiæ partibus largiri dignatus eſt, ita & in his veſtris feliciſſimis temporibus, atque noſtris, ſancta Dei Eccleſia, ideſt, Beati Petri Apoſtoli, germinet atque exultet, & amplius atque amplius exaltata permaneat, ut omnes gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant: (Pſal. 19.) Domine, ſalvum fac regem, & exaudi nos in die, in qua invocaverimus te:* quia ecce novus *Chriſtianiſſimus Dei Conſtantinus Imperator, his temporibus ſurrexit, per quem omnia Deus ſanctæ ſuæ Eccleſiæ B. Apoſtolorum principis Petri, largiri dignatus eſt. Sed & cuncta alia, quæ per diverſos Imperatores, Patricios etiam, & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & venia delictorum, in partibus Tuſciæ, Spoleto, ſeu Benevento, atque Corſica, ſimul & Savinenſi patrimonio, B. Petro Apoſtolo, ſanctæque Dei, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ conceſſa ſunt, & per nefandam gentem Longobardorum, per annorum ſpatia abſtracta atque ablata ſunt, veſtris temporibus reſtituantur. Unde & plures donationes in ſacro noſtro ſcrinio Lateranenſi reconditas habemus, tamen & per ſatisfactionem Chriſtianiſſimi regni veſtri, per jam fatos viros, ad demonſtrandum eas vobis, direximus, & per hoc petimus eximiam præcellentiam veſtram, ut in integro ipſa patrimonia B. Petro, & nobis reſtituere jubeatis. &c.* Ac ſe legatis ſuis Philippo ſcilicet, & Andreæ Epiſcopis, ac Theodoro Duci, nonnulla viva voce eidem exponenda commiſiſſe addit Hadrianus. Ex hac autem Hadriani Papæ epiſtola conſtat, ea ætate Conſtantinianam donationem vulgo receptam, eamque in Lateranenſi Archivio, unde eam Hadrianus ſumpſit, ſervatam fuiſſe. Nam eamdem ab Hadriano ex induſtria tunc confi-

JESU CHR. AN. 777.

JESU CHR. AN. 777. ctam fuiſſe, ſicuti a nonnullis traditum eſt, quis quæſo ſibi perſuadeat. Hanc epiſtolam deſinente Aprile ſe miſiſſe narrat epiſtola proxima ſequenti, qua cum percepiſſet Hadrianus, quod *Agarenorum gens cupiunt ad debellandum veſtros introire fines*, in magna ſe tribulatione & afflictione fuiſſe ſcribit, ac continuas ad Deum preces, una cum monachis, & cuncto clero, & univerſo populo ſe fundere, ut Deus Agarenorum gentem, ceteraſque barbaras nationes, ſuo ſubjiceret Imperio. Deinde ante aliquot dies labentis Maji, quibus Caroli litteras acceperat, legatos ſuos Philippum & Andream Epiſcopos, ac Theodorum Ducem, & Nepotem ſuum ſe ad eum miſiſſe narrat, quos ut benigne exciperet, benignaſque aures eis præberet, & celeriter, *cum gaudio & effectu cauſæ, & exaltatione ſanctæ Dei Romanæ eccleſiæ* remitteret, hortatur. Interea Carolum certiorem reddidit de conjuratione adverſus Romanam eccleſiam inita inter Beneventanos, Capuanos, Terracinenſes, cum Patricio Siciliæ, ut civitates aliquot a Romana eccleſia in Campania poſſeſſas, auferrent; ſe quidem Campanos, per viros B. Petro fideles admonuiſſe memorat, ut querelas ſuas, & jura, vel apud ſe Romæ deferrent, vel apud ipſum Carolum, at utrumque eoſdem recuſaſſe addit. *Tamen & reverendiſſimum fratrem noſtrum Philippum, ſeu & Paſchalem noſtrum nepotem eis direximus, ut noſtris ſe præſentarent obtutibus, aut apud veſtram regalem potentiam conjungere properarent. Nec tunc noſtris admonitionibus ſe accomodare voluerunt. Dum vero eorum nequitiæ prævalere minime potuimus, diſpoſuimus cum Dei virtute atque auxilio, una cum veſtra potentia generalem noſtrum exercitum illuc dirigere, qui eos conſtringere debeant, & inimicos B. Petri, atque noſtri, ſeu veſtri emendare.* Dein ut epiſtolis ſuis minacibus Beneventanos comprimeret, Carolum precatur. *Ut a tali iniqua operatione reſipiſcant, & in noſtris Campanis talia non immittant.* Se quidem nefandiſſimos Beneventanos, ait, aut eorum miſſos nequaquam recipere; *Nec ad conſecrationem Epiſcoporum ſuſcipere, dum contrarii B. Petri atque noſtri, & veſtri effecti ſunt.* Hæc & alia ibidem Hadrianus.

Hadriani epiſt. ad Carolum 3. 2. Epiſtola altera, hujus anni tertia, ſuam erga Carolum Regem benevolentiam Hadrianus confirmat. *Quoniam veſtra proſperitas*, inquit, *noſtra eſſe comprobatur lætitia, & ve-*

& veſtra exaltatio, noſtra exiſtit, poſt Deum, ſecuritas. Quod etiam ex legatis ſuis in Gallias revertentibus Valchario Archiepiſcopo, & Dodone Abbate diſcere poterat, quos cum ſummo honore exceptos, cum celeritate dimiſerat, Unde *ſi quis de nobis nequiſſima dicta, veſtris auribus proferre maluerit, cupiens per fallaciam ſe vobis commendare, nullam credulitatis illi admittatis copiam, quia ut prædiximus nos firmi in veſtra permanemus dilectione*. Deinde cum ex litteris ejus didiciſſet, eum ineunte menſe Octobri Romam profecturum, ut quæ hactenus promiſerat, adimpleret, ſe quammaxime lætatum fuiſſe adnotat, ac cum Andrea Epiſcopo Regis legato, ſuos ad eum direxiſſe Poſſeſſorem Epiſcopum, atque Dodonem. Quod vero Paulus Egumenus propter imbecillitatem corporis proficiſci non poterat, ejus loco Valentinum Epiſcopum miſiſſe, ac tandem ut Anaſtaſium miſſum ſuum, quem apud ſe Carolus contra jus gentium retinuerat, eo quod neſcio quæ verba Carolo injurioſa dixiſſet, ut ad ſe remitteret, una cum duobus aliis ſceleſtis viris, *& nimis ſtrophariis Paſchali, & Saratino*, rogat, ut facta inquiſitione, debita eoſdem ipſe Pontifex, pœna afficeret, ut ibidem videre eſt. Quarta & ultima Hadriani ad Carolum epiſtola hoc anno data, nonniſi mutua benevolentiæ indicia præſefert, ac ſe diu, noctuque unacum clero ſuo, & populo, pro ejuſdem incolumitate, & proſperitate armorum preces fundere teſtatur. Jesu Chr. an. 777.

3. Hoc autem Saxonici belli anno ſexto, cum eorum temeritatem iterum Carolus compreſſiſſet. Apud Padiburnam conventum egit, ait Annaliſta Loiſellianus. *Ibique convenientes omnes Franci, & ex omni parte Saxoniæ, undique Saxones convenerunt, excepto quod Vitochindis* unus e Saxonum ducibus, *rebellis extitit cum paucis aliis, & in partibus Normandiæ*, ſeu in Daniam, ab Aquilonari ſitu ſic dictam, *confugium fecit una cum ſociis ſuis, etiam ad idem placitum venerunt Seraceni de partibus Hiſpaniæ, hi ſunt Ibinalarabi & filius Dejuzeſi, qui & latine Joſeph nominatur, ſimiliter & gens ejus, ibique multitudo Saxonum baptizati ſunt &c.*. Eadem de baptiſmate a Saxonibus ſuſcepto, deque Seracenorum Principum adventu ad Carolum Padiburnam, ubi conventum celebravit, narrat Eginhardus in vita Caroli, ac ſubdit. *Idcirco Rex peracto memorato con-* Caroli M. gesta hoc anno.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 777. *conventu in Franciam reverſus*, *Natalem Domini in Duſiaco celebravit*. Accidit quippe, ut Seracenorum Præfecti, atque ex his Ibinalarabi Cæſarauguſtæ Præfectus, ab Abderame Arabum, ſeu Saracenorum in Hiſpania Rege, hoc tempore defecerint, qui ut iram Regis declinarent, ſuaſque Præfecturas retinere poſſent, ab Carolo Magno auxilium petierant, quem etiam Padiburnæ degentem, ut audivimus, convenerunt, quos in ſuam clientelam cum ſuſcepiſſet Carolus, anno proximo in Hiſpaniam Pirenæis ſuperatis, exercitum duxit. Ut ibidem dicturi ſumus.

Telerus Bulgariæ Princeps adChriſti fidem convertitur, ac CPolim tranſit.

4. Hoc anno *Telerus Bulgarorum Dux*, *ſeu Dominus*, ut ait Theophanes, *ad Imperatorem profugit*, *a quo locata in matrimonium conjugis*, *ſuæ Irenes conſobrina*, *Patricius creatur*. *Cum ſacro lavacro initiatum Imperator ſuſcepit*, *&* *ſummis honoribus cumulatum valde adamavit*. Fuit hic tamquam Bulgarorum primitiæ, cum non multo poſt, tota fere gens maxima cum alacritate Chriſti fidem ſuſceperit, de quibus infra ſermo fiet.

Theophanis certamen cum Leone Imp., ejuſdem genus, & mores.

5. Egregium quoque in Oriente pietatis ſpecimen hoc anno dedit Theophanes, Chronographiæ ſcriptor, qua hujus temporis hiſtoria illuſtratur. De ejuſdem genere, & moribus, narrat auctor vitæ ejus, eum ex Iſacio & Theodata piis æque ac nobilibus parentibus CPoli genitum, ampliſſimam ex iis hæreditatem habuiſſe, patre autem defuncto, cum trimulus eſſet Theophanes, mater ejus ei nuptias paraverat. Is vero prima nuptiarum nocte, cœleſtium rerum ſpe, & meditatione abreptus, uxori ut conſenſu mutuo, virginitatem ſervarent, perſuaſit. Quare monaſticam pene vitam bonis operibus, precibuſque intentus cum uxore ducens ampliſſimi patrimonii partem maximam pauperibus diſtribuit, quod cum ægre ferret ſocer ejus, apud Leonem Imperatorem, quaſi piaculum commiſiſſet, accuſavit, ut in ejus vita narrat Theodorus Studita. *Leo hic*, ait Studita, *fuit ſordidi patris filius*, *atque ſucceſſor*, ideſt Conſtantini Copronymi, *qui & ipſorum adoleſcentiam commiſeratus*, *& proprium amicum ejus patrem honorans*, *jurejurando comminatus eſt adoleſcenti*, *ſe illi*, *niſi a propoſito deſiſteret*, *oculos effoſſurum*, *& Cizicum miſit eum*, *munuſque præclarum commiſit*, Præfecturam ſcilicet, *ut rebus inanibus atque caducis adminiſtrandis*, *earum*, *quæ ſemper permanent*, *ſplendorem obliviſceretur*.

6. Cum

6. Cum itineri ſe commiſiſſet Theophanes, Sigrianem divertit, ut Gregorium quemdam, ſanctitate, & prophetia præſtantem monachum conſuleret, ac ſe voluntario potius exilio commiſſurum, quam a propoſito retinendæ caſtitatis receſſurum, dixit; Cui Gregorius *Nihil eſt*, inquit, *o juvenis, quamobrem de exilio cogites, paulopoſt enim licebit tibi nemine prohibente ad ſolitudinem te conferre. Socero enim tuo, & Imperatore defunctis ad vitam priſtinam revocaberis.* Ac vix tres tranſierant anni, cum Socer ejus, & Leo Imp. e vivis erepti ſunt. Interea Theophanes *Senis monitu, & aliorum Patrum, ſeu monachorum conſilio confirmatus, reditum in patriam diſtulit*, & cum iis intermedio eo tempore latuit, uſque dum Leone Imp., & Socero infra triennium mortuis, pro lubitu ſuo vivendi facultatem adeptus eſt, de quo ſub Leone Armeno, iterum redibit ſermo.

JESU CHRISTI annus 778. Hadriani Papæ an. 7. Leonis Imp. an. 28. et 4. Constantini Imp. an. 3. Caroli Magni Italiæ Regis 5.

Caroli M. expeditio in Hiſpaniam.

1. In Franciam anno proximo ex Saxonica expeditione reverſus Carolus, Natalem Domini in Duſiaco celebravit, ac vere hujus anni adveniente in Aquitaniam adverſus Seracenos in Hiſpania arma illaturus apud Caſſinogilum Paſcha celebravit. Deinde Pirenæis montibus cum exercitu ſuperatis in interiora Hiſpaniæ pervenit, ac inter cetera CæſarAuguſtam, & Pampelonam occupavit, ut Francorum annales narrant, unus præceteris audiatur Eginhardus in vita Caroli. *Perſuaſione ergo Rex prædicti Seraceni*, qui eum anno proximo convenerant, ut ibidem diximus, *ſpem capiendarum quarumdam de Hiſpania civitatum, haud fruſtra concipiens, congregato exercitu profectus eſt, ſuperatoque in regione Vaſconum Pirenæi jugo, primo Pampelonem Navarrorum oppidum aggreſſus, in ditionem accepit. Inde Iberum omnem, vado trajiciens Cæſarauguſtam præcipuam illarum partium civitatem acceſſit, acceptiſque quos Jainalaribi, & Abitaur, quoſque alii quidam Seraceni obtulerant obſides, Pampolem revertitur, cujus muros, ne rebellare poſſet, ad ſolum uſque deſtruxit.* Revocatus inde ob Saxonum rebellionem, & Seracenorum irruptionibus, dum rediret, inter Pirenæorum montium anguſtias

JESU CHR. AN. 778. guſtias ibidem aggreſſus, non minimam accepit cladem, ut idem Eginhardus his verbis narrat. *Cum aſſidue ac pene continuo cum Saxonibus bello certaretur, diſpoſitis per congrua confiniorum loca præſidiis, Hiſpaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur, ſaltuque Pirenæi ſuperato, omnibus quæ adierat oppidis, atque caſtellis, in deditionem acceptis, ſalvo atque incolumi exercitu revertitur, præter quod in ipſo Pirenæi jugo Vaſconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. Nam cum agmine longe, ut loci, & anguſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, Vaſcones in ſummo montis vertice poſitis inſidiis, extremam impedimentorum partem, & eos, qui noviſſimo agmine incedentes, præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes in ſubjectam vallem dejiciunt, conſertoque cum eis prælio uſque ad unum omnes interficiunt, ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam inſtabat protecti in diverſa diſperguntur*, quo in prælio Egbertus regiæ menſæ præpoſitus, Anſelmus Comes Palatii, & Rutlandus Brittanici littoris Præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur, ait is auctor.

In Saxones iterum arma Carolus M. convertit.

2. Eo bello vix expedito, quin nondum finito, ut narrat Metenſis Annaliſta. *Saxones audientes, quod Carolus cum Francis tam longo ſpatio terrarum abeſſet, ſuadente Vindichindo ſecundum conſuetudinem iterum rebellaverunt, & ad Dujam caſtrum, quod Coloniæ civitati contiguum eſt uſque venerunt, cædibus, rapinis, incendiis omnia devaſtantes. Quod cum nunciatum eſſet Regi revertenti, & commoranti in Antiſſiodoro civitate, miſit legionem unam ex electis militibus, qui eorum proterviæ reſiſteret, Saxones audientes incolumitatem Regis, & adventum Francorum in fugam converſi ſunt, quos Franci e veſtigio ſequentes, repererunt eos ſuper fluvium, qui dicitur Adarna, in loco qui dicitur Libeſis, ubi pugna cæpta & finita, Franci auxiliante Deo victores extiterunt, & multitudo Saxonum ibi occiſa eſt. Et celebravit Rex Natalem Domini in Heriſtallo. &c.* Hactenus de Caroli geſtis hoc anno. In ea irruptione, Saxones Eccleſiam S. Suitberti Verdenſis Epiſcopi combuſiſſe, aliaque ſcelera patraſſe, ex epiſtola Ludgeri Monaſterienſis Epiſcopi ad Rixfridum Trajectenſem Epiſcopum data, narrat Baronius, ac multa tunc mira accidiſſe adnotat. Hæc tamen Suiberti vita, ſub falſo Marcellini nomine vulgata, æque ac Ludgeri epi-

epiſtola conficta ſit, fabuliſque ſcateat, ab his enarrandis abſtinemus. Suitberti vitam, Ludgerique epiſtolam confutat Henſchenius ad diem primam, & 26. Martii.

Hadriani epiſt. duæ ad Carolum M.

3. Harum mercium jacturam epiſtolis Hadriani Papæ, quæ in annalibus Baronii ut plurimum deſiderantur, abunde compenſamus, tres hoc anno ſcriptas fuiſſe Carolinus Codex docet, quarum prima, ob acceptas ab eo epiſtolas, quibus cum conjuge, totaque familia ſoſpitem felicemque eſſe acceperat, gratulationis officia reddidit, ac una cum Clero, & populo continuas ad Deum pro eo preces ſe fundere narrat, ac ut quam promiſerat fidem & dilectionem, integram ſervaret, hortatur. Acceptis deinde alteris a Carolo litteris, eadem benevolentiæ mutuæ indicia retulit, deinde crimen Romanis falſo imputatum, quod Seracenis mancipia vendidiſſent, his verbis diluit. *Reperimus etiam in ipſis veſtris mellifluis apicibus de venalitate mancipiorum, quaſi per noſtros Romanos venumdati fuiſſent genti nefandæ Seracenorum, ſed numquam, quod abſit, in tale declinavimus ſcelus, aut per noſtram voluntatem factum fuit, ſed in littoralia Longobardorum ſemper navigarunt nec dicendi Græci, & exinde emebant ipſam familiam, & amicitiam cum ipſis Longobardis fecerunt, & per eoſdem Longobardos ipſa ſuſcipiebant mancipia. In quibus & direximus exinde Alloni duci, ut præpararet plura navigia, & comprehenderet jam dictos Græcos, & naves eorum incendio concremaret, ſed noluit noſtris obtemperare mandatis, quia nos nec navigia habemus, nec nautas, qui eos comprehendere potuiſſent, tamen in quantum valuimus Domino proferimus teſte, quia magnum exinde certamen habuimus, cupientes hoc ipſum ſcelus vetare, qui & naves Græcorum gentis in portu civitatis noſtræ Centumcellentium comburi fecimus. & ipſos Græcos in carcere per multa tempora detinuimus, ſed a Longobardis, ut præfati ſumus, multa familia venumdata fuit, dum famis inopia eos conſtringebat, qui alii ex iiſdem Longobardis propria virtute in navigia Græcorum aſcendebant, dum nullam habebant ſpem vivendi.* Hæc Hadrianus, ſeipſum, Romanoſque ab illato crimiue defendens, deinde cum relatum eſſet Carolo Romanos Presbyteros turpem ut plurimum vitam ducere, ne id facile crederet, ſed potius a malignis hominibus, id ei ſuggeſtum fuiſſe, admonet.

Jesu Chr. an. 778. Hadriani epiſt. de Mauricio Episc. quem Iſtrienses ob cœcaverant.

4. Tertia epiſtola ad Carolum hoc anno data Mauricii Hiſtrienſis Epiſcopi injuriam deplorat, quem Hiſtrienſes & Græci ſuſpicantes, quod Carolo faveret, obcœcaverant, hinc rogat, ut eum ſedi ſuæ reſtituendum jubeat his verbis. *Domno Excellentiſſimo filio Carolo, Regi Francorum, & Longobardorum, & Patricio Romanorum Hadrianus Papa. Credimus quod jam ad veſtræ a Deo protectæ excellentiæ aures pervenit de Epiſcopo Mauricio Hiſtrienſi, qualiter dum eum fidelem B. Petri, & noſtrum cognoviſſent, nefandiſſimi Græci, qui in prædicto ibidem territorio reſidebant Hiſtrienſi, & dum per veſtram excellentiam diſpoſitus fuit prænominatus Mauricius Epiſcopus, ut penſiones B. Petri, quæ in ſuperius nominato territorio, exigeret, & eas nobis dirigere deberet. Zelo ducti tum prædicti Græci, quamque ipſi Hiſtrienſes ejus oculos eruerint; proponentes ei, ut quaſi ipſum territorium Hiſtrienſe veſtræ ſublimi excellentiæ tradere debuiſſet. Propterea petimus a Deo protectam excellentiam veſtram amantiſſime fili, & magne Rex, ut jubeas dirigere Marcario Duci præcipiendum, ut jam fatum Mauricium Epiſcopum, qui in viſione veſtræ Excellentiæ præſentatus eſt, ut in ſuo Epiſcopio reverti faciatis pro animæ veſtræ mercede, eo quod ipſe jam dictus Epiſcopus ad nos properavit, & nos eum iterum direximus ad Marcarium Ducem Forojulienſem, ut qualiter a vobis fuerit diſpoſitus, ita peragere debeat. Et hoc petimus excellentiam veſtram, ut per veſtrum congruum diſpoſitum ipſa adprehendatur, pro ut ſalus populi, qui ibidem commoratur, perveniat. Incolumem Excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.*

JESU CHRISTI ANNUS 779. HADRIANI PAPÆ 8.
LEONIS IMP. 29. ET 5. CONSTANTINI IMP. 4.
CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 6.

Duriæ synodum seu conventum Carolus M. celebrat.

1. Hoc Jeſu Chriſti anno 779., antequam in Saxones exercitum Carolus educeret, in villa Duria ſynodum, ſive conventum celebravit, de quibus hæc Eginhardus in ejus vita. *Rex de Heriſtallo ubi hyemaverat, & ubi Natalem Domini, ac ſanctum Paſcha celebraverat, Compendium venit, & cum inde peracto propter quod venerat negotio revertiſſet, occurrit ei Gildebrandus Dux Spoletanus cum magnis muneribus*

Digitized by Google

ribus in villa Virciniaco, quem & benigne ſuſcepit, & muneribus donatum in ſuum Ducatum remiſit. Ipſe animo ad Saxonicam expeditionem intento Duriam venit, habitoque juxta morem generali conventu, Rhenum in eo loco, qui Lipia vocatur cum exercitu trajecit. Cui cum Saxones obviam facti reſiſtere tentaſſent, victi iterum fugatique ſunt. Unde Carolus. *His peractis trans Rhenum in Vormatiam civitatem hybernatum ſe recepit.* Hæc de Caroli geſtis hoc anno, vitæ ejuſdem auctor.

Jesu Chr. an. 779.

2. Cum ſæpius adverſus Saxones Carolus arma intulerit, rem plane memoratu dignam aliquando eidem contigiſſe narrat Petrus Damiani in epiſtola ad Mainardum Urbinatem Epiſcopum his verbis. *Gotofredus plane clariſſimus Dux & Marchio mihi perhibuit in propriæ regionis, nempe Lotharingiæ hiſtoria contineri; quoniam Carolus Imperator quindecim vicibus cum Rege Saxonum, qui Gentilitatis adhuc detinebatur errore, bellum commiſit. Aliquando dum Carolus excelſa ut aſſolet intronizatus ſede diſcumberet, pauperes vero quos alebat ſolo tenus ignobiliter reſiderent Rex Saxonum, qui tenebatur captivus, & remota procul ab Imperatore menſa prandebat, per nuncium legata direxit. Dum veſter inquit Chriſtus ſeſe perhibeat in pauperibus recipi, qua fronte perſuadetis noſtra illi colla ſubmitti, quem vos ita deſpicitis, eique nullam honoris reverentiam exhibetis. Ad quod Imperator corde compunctus, erubuit, & ex ore gentilis hominis evangelicam prodire ſententiam vehementer expavit.* Hæc Petrus, quæ hoc loco retulimus, ne tamquam fragmentum menſæ cæleſtis periret.

Carolus M. a Saxonum Rege Idololatra admonitus.

3. Interea dum in Heriſtallo, ubi hyemaverat, vel in Villa Duria eſſet Carolus ſynodum celebravit, in qua Capitula 24. vulgata ſunt ad eccleſiaſticam, æque ac monaſticam diſciplinam reſtaurandam accomodata, cujus hæc eſt præfatio. *Anno feliciter undecimo regni Domini noſtri Caroli glorioſiſſimi Regis in menſe Martio Capitulare factum, qualiter congregatis in unum ſynodali concilio Epiſcopis, Abbatibus, viriſque illuſtribus, Comitibus, una cum piiſſimo domino noſtro, ſecundum Dei voluntatem, pro cauſis opportunis conſenſerunt. &c.* Sequuntur deinde capita 24. Quorum primo cautum eſt, ut Suffraganei Epiſcopi Metropolitis ſuis obediant. 2. Ut Epiſcopi in viduatis eccleſiis ordinentur. 3. Ut

Caroli M. capitulare hoc anno editum 24. capitibus diſtinctum.

Jesu Chr. an. 779. Ut monaſteria virorum & mulierum ſuam ſervent regulam. Ut Abbatiſſa in ſuo reſideat monaſterio, nec duobus præeſſe præſumat. 4. Ut Epiſcopi erga Presbyteros omnem auctoritatem exerceant. 5. Ut Epiſcopi viros, atque mulieres inceſtuoſas corrigant. 6. Ut Epiſcopus alienum clericum non recipiat, vel ordinare præſumat. 7. Ut decimæ ſolvantur. 8. Ut homicidæ, aliique extremo damnandi, vel damnati ſupplicio ab eccleſia non tueantur, nec iis, ſi ad eccleſiam confugerint, *victus detur*. 9. Ut latrones quoque ab eccleſia, aut Regis Vaſſis, ſeu Vaſſallis non defenſentur. 10. Qui perjurium fecerit, manum perdat. Si in judicio contendatur. *Stent ad Crucem, & ſi jurator vicerit, legem ſuam accuſator emendet.*

Quid esset judicium Crucis. 4. Ad Crucem ſtare inter vulgares, ut dicebantur, probationes recenſebatur, cujuſmodi erant, quæ per ferrum eandens, per aquam calidam, per ſubmerſionem in aqua, per duella. &c. Crucis vero judicium, ad veritatem detegendam hoc ritu peragebatur. Contendentes inter ſe, vel ab iis duo ad id electi, manibus extenti in eccleſia dum Miſſa celebraretur, vel pſalmodia, eouſque ſtare debebant, uſquequo alter labore, vel dolore preſſus brachia deponeret. qui victus dicebatur, cujus exemplum refert Ducangius in voce Crux, ex chronico quodam ad annum 798. his verbis. *Tandem habito conſilio pacti ſunt, ut hæc Dei, & S. Spiritus reſervarentur judicio, eligentes duos juvenes clericos ſine ullo crimine exiſtimantes, ſtatuerunt in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ad Domnum, & ad Crucem ſtare fecerunt, quorum unus Aregaus, poſt Archipresbyter eccleſiæ majoris nomine ex parte publica, alter vero ex parte S. Zenonis, Pacificus videlicet, qui poſt Archidiaconus eccleſiæ majoris fuit. Hi ambo ab introitu Miſſæ uſque ad mediam Paſſionem tantum, quæ eſt ſecundum Matthæum pariter ſtarent, ille, qui de parte publica datus fuerat, in terram veluti exanimis corruit. Pacificus vero uſque ad finem Paſſionis ſtetit. His geſtis & omnibus gratias Deo agentibus, quartam partem, tam Civitatis, quam Caſtelli pars Epiſcopi accepit. &c.* Lis quippe inter Veronenſem Epiſcopum, & Cives agebatur, de reficiendis urbis muris, quorum quartam tantum partem a ſe inſtaurandam contendebat Epiſcopus. Cives autem ut tertiam reſtauraret, contendebant. Res ad Crucis judicium delata, victor fuit Epi-

Jesu Chr. an. 779.

Epiſcopus, ut ex narratis conſtat. Probationis quidem genus incertum, ac litibus finiendis ineptum, quin & ſuperſtitioſum, ac non ſemel prohibitum, ſicuti & ceteræ vulgares probationes. At his, & ſequentibus temporibus non ſemel adhibitæ. Aliud Crucis judicium refert Mabillonius, quo lis quæ inter Herchenradum Pariſienſem Epiſcopum, & Fulradum Abbatem, de placito quodam Monaſterii S. Dionyſii agebatur, finita eſt; cum etenim Corellus quidam ab Epiſcopo electus manibus trepidare cœpiſſet, cauſa cecidit, idque Carolus Magnus confirmavit, ut ibidem videre eſt.

Reliqua capita conventus Heriſtallenſis.

5. Nunc reliqua Heriſtallenſis conventus capita addimus, quorum undecimo, & 12. Ut latrones juſtæ ſubjiciantur pœnæ juſſum eſt. 13. Capitula in ſynodum edita, & a Pippino probata confirmantur. 14. De Decimis & cenſibus eccleſiæ debitis agitur. 15. Truſtem nemo faciat. 16. De Tributariis eccleſiarum agit. 17. Pro Gildonia nemo juret, neque pro incendio, aut naufragio. 18. Itinerantes nemo aggrediatur, nemo alterius herbam in itinere tollat, niſi Regis miſſus fuerit, aut ad hoſtes pergat. 19. Nemo nova telonea imponat, aut exigat. 20. Ut Mancipia coram eccleſia, vel judice, & in mercatu publico vendantur, jubet. 21. *De Brunniis, ut nullus foras noſtro Regno vendere præſumat*. 22. Ut Comites, & Vaſalli juſtitiam faciant, jubet. 25. De his, qui pretium pro faida recipere, aut ſine prætio juſtitiam facere nolunt. Ultimus tandem ſtatuit, *Ut latrones pro prima culpa non moriantur, ſed oculum perdant. De ſecunda vero culpa naſus ipſius latronis capuletur. De tertia vero ſi ſe non emendaverint, moriantur*. In hoc quoque Heriſtallenſi conventu, ſeu villæ Duriæ præceptum, ſeu privilegium immunitatis ab omnibus teloneis conceſſit Carolus Magnus Hroberto Abbati Monaſterii SS. Vincentii & Germani prope Pariſios, quod integrum refert Baronius.

Sturmii Abbatis Fuldenſis obitus, ejus vitæ ſeries.

6. Hoc anno Sturmio ſive Sturmius primus Fuldæ Abbas, vir ſanctitate, & doctrina celeberrimus vivere deſiit, cujus res geſtas Eigil quartus Fuldæ Abbas deſcripſit, ex eoque plura in annalibus Benedictinis refert Mabillonius. Is a parentibus pietate, & generis nobilitate præſtantibus, Bonifacio Germanorum Apoſtolo oblatus, Vigberto Abbati traditus eſt, a quo cum pietate ſacras didicit litteras, ac Preſbyter deinde ordinatus, barbaris gentibus evangelium prædicavit.

Jesu Chr, an. 779. cavit. In eremum deinde cum duobus ſociis ſeceſſit, hortante autem Bonifacio excitatus, ut ſecuriorem locum ab Saxonum irruptionibus, eligeret, eodem probante Bonifacio Fuldenſem ſilvam adiit, ubi Monaſterium extruxit, cujus primus ſicuti fundator, ita Abbas fuit. Scholam etiam in eo ad juventutem erudiendam aperuit, in qua aliquando Alcuinus docuit, & ex qua clariſſimi prodiere viri, Aimo, Freculphus, Rabanus, Valafridus Strabo, aliique plurimi, atque ex eodem monaſterio ad Epiſcopalem dignitatem quamplurimi electi ſunt, e quorum numero novem Præſules Colonia ſibi vindicat, & uſque nunc celeberrimum perſeverat. Cujus Abbas Epiſcopali etiam dignitate, hac noſtra ætate auctus eſt, cum antea Epiſcopalem juriſdictionem exerceret. Cumque ad hunc annum vitam tenuiſſet Sturmius, dum Carolus adverſus Saxones exercitum duceret, *ad illam terram perrexit*, ait auctor vitæ ejus, *& venerandum Sturmen infirmum, jam ſenectute feſſum in Herosburg ad tuendam urbem cum ſociis ſuis ſedere juſſit*. Ibique cum eſſet, *altera die*, ideſt 16. Kal. Januarii, *ingraveſcente languore*, ad extremum diem paulo poſt ductum fuiſſe addit, de cujus geſtis, & obitu plura in ejus vita videri poſſunt.

Auſperti Abatis obitus, & opera. 7. Hoc etiam anno, ut adnotat Mabillonius, Auſpertus Sancti Vincentii ad Vulturnum in Campania Abbas repentina morte ſublatus eſt in itinere, dum Hadrianum Pontificem adiret, cauſam dicturus, quam cum Potone Abbate ſuſceperat, cujus corpus in monaſterium relatum, in Eccleſia Sancti Petri ſepultum eſt. Hunc ſanctum vocat chronographus imo ſanctiſſimum Paulus Valnefridi, ſeu Diaconus, qui etiam laudat ſcripta *viri eruditiſſimi* Auſberti Abbatis, quæ de primis monaſterii ſui Inſtitutoribus compoſuit. Multos alios ejuſdem auctoris libros commemorat prædictus chronographus, in Leviticum ſcilicet, in Cantica Salomonis, in Pſalterium. Librum etiam de conflictu vitiorum, & homilias, & Commentarium in Apocalypſim, quod præcipuum ejuſdem opus eſt doctrina & pietate conditum, quo in opere fatetur ſe prætermiſſis prophanorum auctorum floſculis, ſcripta ſua ex ſolius ſcripturæ fonte hauſiſſe, non quod ſeculares litteras ignoraret, ſed eo quod divinis præcipue delectaretur, unde libri octavi initio, & in fine decimi, ſibi a Deo cum ſcientiæ dono, ſtudium & voluntatem operandi bonum ſibi dari

dari exoptat, ita ut ſi utrumque obtinere non poſſet, magis optaret bonum, quam doctum fieri. *Neque enim*, inquit, *ideo patriam, parenteſque reliqui, ut mihi ſcientiæ dona largireris, ſed ut perfectione virtutum, ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi utraque non mereor, doctrinam ſcilicet, atque operationem, aufer quæſo doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum*. Digna ſane religioſi viri ſententia. *Quam ſodalium noſtrorum animis alte infixam eſſe peroptamus*, ait Mabillonius. JESU CHR. AN. 780.

JESU CHRISTI ANNUS 780. HADRIANI PAPÆ 9. CONSTANTINI IMP. 5. ET 1. IRENES IMPERATRICIS AN. 1. CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 7.

1. Duas Hadriani Pontificis litteras ad Carolum hoc Chriſti anno 780. datas continet Carolinus Codex, quarum prima de occupata a Beneventanis, & Græcis Terracina conqueritur, deque aſſiduis Arigis Beneventani Ducis adverſus Romanam eccleſiam inſidiis, Carolum certiorem reddit, ac auxilium ab eo poſtulat. Unde poſt præfationem ſubdit. *Per hos noſtros affatus enucleatius vobis de partibus iſtis inſinuamus, qualiter nefandiſſimi Neapolitani, & Deo odibiles Græci, præbente malignum conſilium Arighi Duce Beneventano, ſubito venientes, Terracinenſem civitatem, quam ſervitio B. Petri Apoſtolorum Principis & veſtro, atque noſtro antea ſubjugavimus, nunc autem invalido conſilio iterum ipſi jam fati nefandiſſimi Neapolitani cum perverſis Græcis invaſi ſunt. &c.* Quare ut ad ſe Kalendis Auguſti Vulfrinum dirigeret, rogat, ut una cum Spoletinis, & Tuſcanis, atque Beneventanis, qui in fidelitate & ſervitio Romanæ eccleſiæ, & Caroli Regis perſeveraverant, Terracinam recuperaret, atque ad expugnandam Cajetam, vel etiam Neapolim pergerent. Deinde ſe quidem Paſchatis feſto, placitum cum Neapolitanis, eorumque miſſo Petro feciſſe narrat, ut datis ſibi obſidibus, patrimonium Rom. eccleſiæ reciperet. At Arighim Beneventanum Ducem, ne promiſſa implerent, obſtitiſſe. *Impedimentum jam fatus Arighis ſolus fecit, ut minime nos obſides, jam a dictis Neapolitanis reciperemus, quia quotidie ad iſtam perditionem filium nefandiſſimi Deſiderii dudum nec dicendi Regis Longobardorum expectat, una cum ipſo pro* Hadriani Papæ epiſt. 64. ad Carolum pag. 374.

vobis

vobis non expugnet. Hæc & alia in eam rem Hadrianus ad Carolum.

Hadriani epiſt. ad Carolum pag. 378.

2. Epiſtola vero ſequenti cum Ado Diaconus ad Carolum rediret, iterum de Neapolitanorum cum Græcis, & Beneventanis congreſſibus in Romanæ eccleſiæ perniciem litteris ſuis agit Hadrianus Papa, monetque ſe omnia minutius in ore fideliſſimi miſſi, ſcilicet Addonis Diaconi, poſuiſſe, quod enucleatius, ſimulque per ordinem enarrare deberet. &c. Rogat præterea, ut ex Spoletinis ſilvis trabes Romam deferri jubeat ad inſtaurationem eccleſiæ B. Petri. *Prius autem*, addit, *nobis unum dirigite Magiſtrum, qui conſiderare debeat ipſum lignamen, quod ibidem neceſſe fuerit, ut ſicut antiquitus fuit, ita valeat renovari, & tunc per veſtræ regalis præcellentiæ juſſionem dirigatur ipſe magiſter* (Fabrarius ſcilicet) *in partibus Spoleti, & demandationem ibidem de ipſo faciat lignamine, quod in prædicto Ipochartoſi, hoc eſt Comaado*, ideſt arcuato tecto, *neceſſe fuerit, quia in noſtris finibus tale lignamen minime reperitur*. Quia vero corpus alicujus Sancti ab Hadriano Papa poſtulaverat; Addo Diaconus, quominus ejus votis ſatisfaceret, hanc rationem reddit. *Sed nos ſicut jamdudum vobis direximus, per revelationem territi nullo modo audemus ex ipſis Sanctorum corporibus amplius quid exagitare*. Si tamen Carolo placuerit corpus Beati Candidi Martyris, quod olim Paulus Papa Aciulpho Presbytero donaverat, quodque apud Vulcharium Archiepiſcopum erat, eidem concedit, ut ibidem videre eſt.

Caroli M. geſta hoc anno.

3. Carolus interea cum Vormatiæ Paſcha hoc anno celebraſſet, ut omnes Annaliſtæ tradunt, alteram adverſus Saxones expeditionem ineunte vere ſuſcepit, ut ait Eginhardus in ejus vita. Itaque cum ad Avacrum flumen caſtra poſuiſſet. *Maxima Saxonum multitudo, in loco, qui Orcheim appellatur, ſolita ſimulatione baptizata eſt*. Rebuſque ibidem compoſitis in Franciam rediit. *Initoque conſilio, orandi, & vota ſolvendi cauſa, Romam ſtatuit proficiſci*, quo eum ſæpe Hadrianus Papa vocaverat, *ſumptiſque ſecum uxore, ac liberis, ſine mora in Italiam profectus eſt, celebravitque Natalem Domini Ticini, atque ibi reſiduum hyemis manendo complevit*, ait Eginhardus. Quare de ejuſdem adventu Romam anno ſequenti agemus. Ex filiis autem quatuor, quos tunc Carolus habebat, duos tantum cum eorum matre Hildegarde in Ita-

Italiam duxit, Carlomannum ſcilicet, & Ludovicum, duos alteros Pippinum, & Carolum Vormatiæ reliquit, ut narrat Annaliſta Moiſiacenſis, & Anonymus, ut a Pagio adnotatum eſt nota 5..

Jesu Chr. an. 780.

4. Dum in Saxonica expeditione intentus eſſet hoc anno Carolus. *Per caſtrum Eresburgum ad fontem Lippiæ venit, ubi caſtra metatus per aliquot dies eſt moratus.* Ait Eginhardus, ibique ſynodum celebravit, quæ Lippienſis a loco dicta eſt, qua inter cetera de erigendis Epiſcopalibus inter Saxones cathedris actum fuit, quæ quidem hoc anno cœpta, nonniſi poſt decennium exitum ſortita ſunt, cum primum, Oſnaburgi, deinde Saliſdeuthadii, & Paterbonæ Epiſcopales cathedræ erectæ ſunt. De quibus pluribus agit Crantzius, tradens hoc anno Oſnaburgenſem Epiſcopatum inſtitutum fuiſſe, quem ſequitur Baronius. *At quia* ut ait Cobelinus Perſona in Coſmodromio ætate ſexta cap. 38. *nondum omnes Saxones fidem chriſtianam ſuſceperant, non erat tutum in locis prædictis Epiſcopos ordinare, Carolus erexit quamdam eccleſiam in Paderbone, quam commiſit Epiſcopo Virgebungenſi; donec de Epiſcopo poſſet eidem loco tuto providere, & hæc eccleſia incæpta eſt anno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo, quo anno multi Saxones Orientales venerunt ad Carolum, & baptizati ſunt.*

Ad Saxonum converſionem Epiſcopales ſedes Carolus M. erigendas curat.

5. Optima itaque de ſincera Saxonum converſione ſpe concepta, Epiſcopos, Presbyteros, & Abbates, ut populum erudirent, Carolus Magnus in Saxonia reliquit. *Diviſit ipſam patriam inter Epiſcopos, Presbyteros, & Abbates, ut in ea prædicarent & habitarent.* Ait Annaliſta Moiſiacenſis, qui addit. *Nec non & Vinidorum, ſeu & Freſonum Paganorum magna multitudo baptizata eſt.* Hic auctor Vinidos vocat, quos Eginhardus Sclavos appellat. Unde paſſim *Sclavi*, Vandali, & Vinidi dicti ſunt. Ex his porro, qui ad id muneris electi ſunt, Villebaldus recenſetur, qui relicta Friſia ad Saxones, Carolo hortante tranſiit. *Quod ille miniſterium devote ſuſceptum officioſiſſime peregit, ac pertranſiens cunctam in circuitu Diœceſim, multos ad fidem Chriſti evangelizando convertit, ita ut in ſecundo anno tam Saxones, quam & Freſones in circuitu commorantes, omnes ſe pariter fieri promitterent chriſtianos.* Ait Ancharius in vita Uillebadi Bremenſis poſtea Epiſcopi.

Villebaldus, aliique in Saxonia evangelium prædicant.

Jesu Chr. an. 780. Elberti Eboracenſis Epiſcop. obitus.

6. In Britannia mortuus eſt hoc anno Elbertus, ſeu Albertus inter Eboracenſes Epiſcopos tertius, qui cum ſeptimo Epiſcopatus anno pallium ab Hadriano Pontifice accepiſſet, anno ſeptimo Alcredi Regis Northumbriorum vivere deſiit, cum jam biennio antea abdicato Epiſcopatu in monaſterium ſeceſſiſſet, ſedem ſuam Eanbaldo diſcipulo ſuo relinquens, cui & bibliothecam commendavit, ut his verſibus narrat poeta Anonymus.

Ergo Miniſtrator clariſſimus ordine ſacro
Præſul, perfectus meritis, plenuſque dierum
Tradit Eanbaldo dilecto lectus alumno
Pontificale decus, ſibimet ſecreta petivit
Septa Deo ſoli quo jam ſervire vacaret.
Tradidit aſt alio caras ſuper omnia gazas
Librorum nato patri qui ſemper adhæſit.

Poſt annos itaque a ſeceſſu ſuo binos, totidemque menſes, ſexto idus Novembris in cœleſtem patriam migravit, poſtquam eam eccleſiam per annos 14. ſanctiſſime adminiſtraverat, ſucceſſoremque Eanbaldum in ea ſede habuit, qui per annos ſeptendecim eam rexit eccleſiam.

Seracenorum in chriſtianos perſequutio.

7. Dum hæc in Occidente agerentur, a Seracenis, æque ac a Leone Imperatore Iconoclaſta Orientalis eccleſia undique vexabatur, & ut ab Seracenorum perſequutione in chriſtianos, & eccleſias geſta exordiamur, cum perpetuum hoc tempore bellum Romanos inter, & Seracenos vigeret, ut narrat Theophanes, Mahadi Seracenorum Princeps ſeu Calipha, *Cum ingentibus copiis*, & *maximo belli apparatu Dabecum profectus, filium Aronem in Romaniam hoc anno expedivit, miſitque Machesiam zelotem dictum cum poteſtate chriſtianorum ſervos ad ſuum obſequium, & religionem traducendi, & ſanctas eccleſias devaſtandi*, qui Emeſam profectus, in Hebræos, & chriſtianos apertam perſecutionem excitavit, tanta ſævitia, ut Lyſiæ, aut Agricolai crudelitatem ſuperaverit, ait Theophanes, qui addit, Fœminas nihilominus, & virgines viris etiam deſponſatas, euſque ejuſdem crudelitati reſtitiſſe, ut *nervorum bubulorum plagis mille acceptis, toleratis quoque aliorum tormentorum doloribus, victoriæ coronam Chriſto retulerunt. Porro Machesias ille*

le Damaſcum uſque crudelitatem exercens proceſſit, nec perpenſa quondam ab Arabibus data chriſtianis fide, plurimas eccleſias ſubvertit. Dum ſcilicet, ea ſe conditione Arabibus dederant, ut iis liberum eſſet chriſtianam religionem retinere, & obſervare.

Nicetæ CP Episc. obitus, cui Paulus ſuccedit.

8. Dum hæc in Paleſtina, Syria, finitimiſque provinciis agerentur, dumque Leo Imperator in ſacrarum imaginum cultores fureret, rerum facies in Oriente, repente ob Leonis Imperatoris mortem mutata eſt, cujus obitum Nicetæ CP. Patriarchæ hæretici mors præceſſit, ut a domo Dei judicium, juxta prophetæ oraculum inciperet. *Menſis Februarii die ſexto, eoque Dominico indictione 3., quo ante quadrageſimam ultima comedendi caſeum ſit poteſtas, Nicetas genere ſclavus eunuchus CP. Patriarcha diem extremum obiit. Secunda vero jejuniorum Dominica Paulus venerabilis lector Cyprius natione, doctrina & virtute præſtans, quamvis ob hæreſim, quæ tunc obtinebat plurimum reluctaret, immo vim omnino paſſus CP. Patriarcha inſtituitur*. Cum etenim Iconoclaſticæ hæreſi ſecreto adverſaretur, etſi palam fortaſſe eidem reſiſtere non auderet, totis viribus, ne CP. Patriarcha ordinaretur, reſtitit, cum vix eam ſedem retineri poſſe ſciret, niſi palam aperteque imaginum cultum abjeciſſet. At mors Leonis Imp. paulopoſt ſecuta, ab metu, & periculo eum liberavit.

Leo Imp. imaginum cultores perſequitur.

9. Nam *media jejuniorum hebdomade*, ut proſequitur Theophanes, *Jacobus Protoſpatharius & Papias, & Strategius, & Theophanes cubicularius, & Accubitor, nec non Leo, & Thomas cubicularii, quaſi ſanctas & venerandas imagines coluiſſent, cum aliis religioſis viris comprehenſi ſunt*, quos Leo Imperator per urbem cum ignominia traductos, cæſos & tonſos in Prætorium cuſtodiendos conjecerat. Ex quibus Theophanes martyrii coronam adeptus eſt. *Reliqui omnes poſt Imperatoris obitum probatiſſimi monachi evaſerunt*.

Irenes Leonis Imp. uxor ſecreto imagines veneratur.

10. Aulicorum autem, ac cubiculariorum perſecutioni, occultum Irenes in imagines cultum, cauſam dediſſe veroſimile eſt, nam ut narrat Cedrenus Leo Imp., *media jejuniorum hebdomada, duas Imagines reperit in pulvinari uxoris ſuæ Irenes, quas eum diligenter eſſet contemplatus, inquiſitione facta, deprehendit eas a Papia Palatino, aliiſque nonnullis Primiceriorum fuiſſe illatas, quos & cruciatibus ſuppli-*

Jasu Chr. an. 780. plicíiſque graviſſimis addixit. In uxoremque Irenem graviter invectus, eam, etſi illas a ſe viſas non fuiſſe diceret, cum ira ejecit, nec poſtea rem cum ipſa habere voluit.

Leonis Imp. obitus. 11. At cum tandem peccatorum ſuorum menſuram impleviſſet, e vivis repente ereptus eſt. *Nam menſis Septembris die octava, indict. 4. jam inchoata, Leo Imp. diem ultimum clauſit. Cum inſana gemmarum, & pretioſorum lapidum libidine arderet, coronam in magna eccleſia appenſam deperibat, eam acceptam capiti impoſuit, ac confeſtim e capite ebullierunt carbunculi, febrique vehementi ſimul correptus, Imperii, demptis menſibus ſex, anno quinto defunctus eſt.*

Irenes, & Conſtantinus Imperatores dicti. 12. Leone e vivis erepto *piiſſima Irenes una cum filio Conſtantino, præter hominum opinionem, Deo ita ordinante Imperium ſuſcipit adminiſtrandum menſe Septemb. indict. 4., ut mirandum Dei opus eo clarius effulgeret*, cum imbellem fœminam, & orphanum puerum elegit, ut per eos immanem hactenus, tum ab Imperatore Copronymo, cum ab Leone ejus filio excitatam adverſus catholicos ſacrarum imaginum cultores, perſecutionem extingueret, & pacem cum catholica fide Orientalibus provinciis reſtitueret, ut ex dicendis conſtabit. Cumque diebus quadraginta vix elapſis, Senatorum, Procerumque nonnulli Nicephorum Leonis fratrem Imperatorem eligere tentaſſent, conjuratione detecta, Gregorius Logotheta, Bardas Armeniorum Dux, Conſtantinus Vicarii Spatharius, & excubitorum, Domeſticus, cum aliis plurimis, verberibus cœſi, & capillis tonſi, in diverſa loca relegati ſunt. *Cæſares autem, & nobiliſſimos viri ſui fratres, capitibus raſos Sacerdotio inauguratos, in Chriſti Natalium feſto ſacramenta populo impertiri præcepit*, Irenes, *quo ipſa publicæ, regioque apparatu, una cum filio procedens, ſublatum a viro ſtemma gemmis, & lapidibus diſtinctum eccleſiæ reſtituit*. Ait Theophanes, ac ſubjicit, Arabes, qui audito Imperatoris obitu, in Romani Imperii provincias eruperant, mox victos, atque fugatos fuiſſe.

J E-

JESU CHRISTI annus 781. Hadriani Papæ 10.
Constantini Imp. 6. et 2. Irenes Imp. 2.
Caroli Magni Italiæ Regis 8.

1. Cum Imperii clavum Irenes cum filio ſuo Conſtantino adminiſtrandum anno proximo ſuſcepiſſet, ac excitatam adverſum ſe, filiumque ſuum conſpirationem compreſſiſſet, Elpidium hoc anno menſe Februario in Siciliam miſit, ait Theophanes. At menſe Aprili die decimo, accuſatus Helpidius quod Leonis defuncti fratribus faveret, Theophilum Spatharium illuc miſit, ut eum ad ſe reduceret: Reſiſtentibus nihilominus Siculis, Elpidii uxorem cæſam & capite tonſam una cum filiis ſub cuſtodia detinendam in Prætorium tranſmiſit, ac ingenti comparata claſſe Theodorum adverſus Elpidium, & Siculos miſit, ac pugna non ſemel inita, qua Theodorus victor evaſit, Elpidius ſibi timens, *ſublatis cum Nicephoro Duca, quas habebat, divitiis ſeceſſit in Africam, & ſecuritatis fide accepta ad Arabes defecit*. Quem etiam purpura, & corona redimitum, tamquam larvatum Imperatorem apud ſe aliquando retinuerunt, narrat Theophanes.

Irenes Siciliæ rebellionem comprimit.

2. Interea cum atrox adhuc cum Romanis Seraceni bellum gererent, atque hoc anno Aaron Mahadi Caliphæ filius ingenti exercitu Romanorum provincias ingreſſus, clades, direptioneſque egiſſet, pax tandem inter eos inita eſt. *Cumque ſe mutuis muneribus Auguſta, & Aaron excepiſſent, id maxime pacti ſunt, ut in annos ſingulos ipſis*, ideſt Arabibus, *tributum ſolveret*: *pace igitur firmata ab invicem diſceſſerunt*. De quibus plura Elmacinus in Seracenorum hiſtoria ad annum Hegiræ 95. additque Romanos aureorum ſeptuaginta millia ſingulis annis perſolviſſe. *Atque hoc bello, innumera ſpolia Moliſmi ſunt adepti*, ideſt Muſulmani.

Irenes pacem cum Seracenis firmat.

3. Cumque catholicam fidem, etiam ſub hæretico Imperatore, & marito ſuo in corde ſaltem retinuiſſet Irenes Auguſta, eo e vivis crepto, publice palamque eam profiteri non erubuit. Cujus exemplum quamplurimi alii imitati ſunt. Unde Theophanes. *Tunc temporis Deo quique devoti liberius Deum colere, Verbum Dei propagari qui ſalutem quærerent, hæreſibus nuncium mittere, Dei laudes efferri, aſſeri in libertatem monaſteria, bonum denique omne reparari*, quæ pau-

Catholica fides, & monaſtica profeſſio in libertatem vindicatur.

Jesu Chr. an. 781.

paulatim eo uſque progreſſa ſunt, ut toto fere Oriente non multos poſt annos Iconoclaſtica hæreſis anathemate percuſſa, exturbaretur, ut infra dicturi ſumus.

Rotrudis Caroli filia a Conſtantino Imp. in conjugem poſtulatur.

4. Ut autem labenti Græcorum in Italia fortunæ conſuleret Irenes Imperatrix, Caroli Magni, cujus maxima in Occidente, & in Italia præcipue auctoritas, & poteſtas erat, benevolentiam, & ſocietatem ſibi conciliare ſategit, in quam rem Caroli filiam Rotrudem, quam Græci Erytrum appellabant, filio ſuo Conſtantino uxorem dari poſtulavit. *Ac Conſtantinum Sacellarium, & Mamalum Primicerium ad Carolum Francorum Regem delegavit, filiæ ejus Erythrus nomine filio ſuo Conſtantino conjugis petendæ gratia. Pactiſque conventis, & jurejurando ab utraque parte firmatis, Eliſæum Eunuchum & Notarium, qui litteras Græcorum, & linguam, receptoſque per Imperium Romanum mores eam edoceret, reliquit*, ait Theophanes. At filia Caroli Rotrudis a Francis appellata ad eas nuptias non pervenit, quin ut narrat Zonaras. *Ea affinitate omiſſa, ex metu, & Imperii cupiditate, ne filii opes Francorum neceſſitudine augerentur, ex Oriente* puellam, invito Conſtantino uxorem dedit, Mariam ſcilicet, Amniæ in Armenia oriundam, cum eo tempore pacis fœdera inter Irenem, & Carolum rupta eſſent, ut anno 788. dicturi ſumus.

Caroli M. in urbem adventus.

5. Anno deſinente in Italiam cum uxore & filiis Carolum tranſiiſſe diximus, ac Ticino Natalem Domini celebraſſe, adſtante autem labentis anni vere Romam fuiſſe, ibique Paſchatis feſtum celebraſſe Francorum annales teſtantur. Quanto cum honore exceptus ab Hadriano Papa fuerit, quæve ibidem, vel in Italia degens, hoc anno egerit, his verbis narrat Regino. *Anno dominicæ Incarnationis* 781. *Carolus iter pergens celebravit Paſcha in Roma, & ibi baptizatus eſt filius ejus Pippinus ab Hadriano Papa, qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit, & duo filii ejus a ſupradicto Pontifice inuncti ſunt in Reges, idem Pippinus ſuper Italiam, Ludovicus ſuper Aquitaniam. Inde reverſus venit Mediolanum, ubi baptizata eſt ejus filia Giſla ab Archiepiſcopo Thoma, qui & ipſe eam a ſacro fonte levavit. His ita peractis, reverſus eſt in Franciam. Per idem tempus Legati Apoſtolici Formoſus, & Damaſus Epiſcopi, cum Miſſis Regis Siculfo* (legendus cum Eginhardo in Annal. Richolfo) *Cappellano & Eunardo* (idem

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 781.

(idem ac Eginhardus vitæ Caroli ſcriptor) *Magiſtro Pincernarum directi ſunt ad Taſſilonem Ducem, commonentes, & conteſtantes ex auctoritate Apoſtolica, ut recordaretur priorum ſacramentorum, & non aliter faceret, niſi ſicut jurejurando jamdudum promiſerat Pippino Regi & filiis ejus. His admonitionibus conſenſit Taſſilo, & ſumptis obſidibus ad Regem venit Vvormatiam, ubi renovavit ſacramenta, & dedit duodecim obſides, ſed non diu præfatus Taſſilo promiſſa conſervavit. Celebravit autem Rex Natalem Domini in Cariſiaco*. Pippinus porro ab Hadriano Papa hoc anno Romæ baptizatus, ex Hildegarde Carolus anno 776. ſuſceperat, Carlomannus antea dictus, cui nomen mutaverat Hadrianus, ac Pippinus poſtea dictus eſt. Unde auctor appendicis ad chronicon Nibelungi Comitis ait. *Anno 781. perrexit Carolus Rex Romam, & baptizatus eſt ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomannus, quem Hadrianus Papa mutato nomine mutavit Pippinum, & unxit in Regem ſuper Italiam, & fratrem ejus Ludovicum ſuper Aquitaniam & ibi deſponſata eſt Botrud filia Regis Conſtantino Imperatori*, uti anno proximo diximus. Taſſilo autem, ad quem ut narrat Regino, legatos ſuos miſerat Carolus, admonens ut in data fide permaneret, Bojariæ Dux erat, quem fidelitatis ſuæ pignora, obſides ad Carolum, dum Cariſiaco hoc anno eſſet, per Lidbertum Epiſcopum miſiſſe adnotat Eginhardus. *Quos Luidbertus Reginenſis Epiſcopus de Bojaria in Cariſiaco ad conſpectum Regis adduxit.*

Hadriani Papæ epiſt. 69. ad Carolum pro Sabinenſi patrimonio accepto.

6. Inter Caroli geſta dum Romæ hoc anno eſſet, Sabinenſis territorii Romanæ eccleſiæ Donatio, ſeu potius confirmatio recenſetur, cujus meminit Hadrianus Papa in epiſtola ad eum ſcripta, hoc vel ſequenti anno, qua pro aucto Rom. eccleſiæ patrimonio gratias agit, victoriamque de hoſtibus auguratur. *Ex quibus muneribus ditata ſpiritalis mater veſtra ſancta catholica, & Apoſtolica Romana eccleſia, pro veſtra a Deo protecta laborioſa certamina, relevata exultat, a Templo ſancto B. Petri fautoris veſtri, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, crebro orantibus in vobis triumphum, & mandat quotidie virtutem ſuam per B. Petrum Apoſtolorum Principem, vobis ſubjiciens omnes barbaras nationes, dilatans, atque amplians in toto orbe terrarum veſtrum ſplendidiſſimum Regnum &c.* poſt aliqua: *Et*

Jesu Chr. An. 781. *Et ideo poſcentes veſtram a Deo promotam regalem clementiam petimus, ut ſicut a veſtra præcellentiſſima Excellentia B. Petro nutritori veſtro, pro luminiariorum concinnationibus, atque alimoniis pauperum Savinenſe territorium ſub integritate conceſſum eſt, ita id tradere integrum eidem Dei Apoſtolo præſidiante veſtro precellentiſſimo adniſu, dignemini.* Legatos deinde ſuos Agathonem Diaconum, & Theodorum Ducem nepotem ſuum ei commendat, ac fauſta quæque precatus, ſalutem plurimam his verbis dicit. *Omnipotens Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, perficiat, atque vitam veſtram, una cum præcellentiſſima filia noſtra, & Spiritali commatre, Domna Regina, veſtraque nobiliſſima prole, & hic per multorum annorum curricula extendat, ſimul gubernacula annuat, in ampliori culmine victoriis perfrui, & poſt longa tempora, ſenioque profecto, in cæleſtis vos patriæ congregationem recipiat, ut ibidem ſine fine regnare mereamini. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.*

Hadriani epiſt. altera 68. ad Carolum pro reſtitutione territorii Sabinenſis.

7. Cumque Romam Carolus legatos ſuos miſiſſet Itherium Abbatem, & Maginarium capellanum ſuum, ut Sabinenſe territorium Rom. eccleſiæ traderent, ii vero illuc cum Hadriani Papæ legatis profecti, re infecta diſceſſiſſent, de his eadem epiſtola Carolum certiorem fecit Pontifex, ac ut cito ex legatis alterum ad id perficiendum mitteret, hortatur. *Euntes autem apud Savinenſe territorium noſtri, veſtrique fideliſſimi miſſi, videlicet filius noſter Iterius Abbas, ſeu Maginarius religioſus Capellanus, ſicut per veſtrum bonum diſpoſitum, voluerunt nobis contradere in integro jam fato Savinenſe territorium, & minime potuerunt, mittentes varias occaſiones perverſi homines . . . . . Quapropter veſtræ a Deo protectæ regali potentiæ, reverendiſſimum Stephanum miſſum noſtrum, dudum Sacellarium direximus ſuggerendum, ut pro mercede animæ veſtræ, ſicut cœpiſtis, ita in integro jam fato territorio Savinenſe B. Petro, Regni Cælorum clavigero contradere jubeatis . . . . . quatenus pro ejuſdem Dei Apoſtoli amore, & mercedis animæ veſtræ unum e duobus jam fatis miſſis, cum præfato Stephano miſſo noſtro, nobis dirigere jubeatis, ut ſicut exantiquitus fuit, & in veritate jam fati veſtri fideles miſſi ſatisfacti ſunt, in integro nobis contradere præcipiatis, & ſigna inter partes conſtituentes*, ideſt terminos, *ut ſine qualibet contentione, aut controverſia maneamus. &c.*

In

Digitized by Google

In poſſeſſione ſcilicet Sabinenſis territorii, de quibus iterum anno ſequenti epiſtola 68. 56. & 78. 76. agit, additque, teſtibus juratis comprobari Romanam Eccleſiam ab antiquo tempore, & per ſpatium annorum *plus minus centum*, territorium ſeu Patrimonium Sabinenſe poſſediſſe. *Unde petimus te excellentiſſime fili, & magne Rex, atque ſpiritualis compater, ut veſtram adprehendere debeant dexteram, & jurantes dicant ipſi veſtri nobiliſſimi, quid de eodem patrimonio Sabinenſi B. Petri præviderunt atque cognoverunt, teſtem enim invoco Deum, quia nullorum fines irrationabiliter appeto, ſed ſicut ex antiquitus fuit, ipſum jam fatum patrimonium, & id in integro B. Petro Apoſtolo conceſſiſtis, ita ſuſcipere optamus. &c.* Ac ut miſſos ſuos ad id perficiendum mittat, hortatur. Atque ex his conſtat maximam hoc tempore ſollicitudinem Hadrianum habuiſſe, ut idem patrimonium Romanæ redderetur eccleſiæ, incertum tamen, utrum de Sabinenſi patrimonio, tamquam Romanæ eccleſiæ adipiſcendo ageret, aut de eodem integro obtinendo territorio, ſive provincia, cujus fortaſſe pars aliqua ab Spoletinis Ducibus, aut Reatinis retinebatur. Hinc ut obſervat Cennius, non tam pro Sabinenſi Patrimonio, ſeu territorio certabat, ſed pro integritate ejuſdem, ut in integrum, quod non ſemel repetit, illud Romanæ eccleſiæ, cujus poſſeſſio antiquiſſima erat, reſtitueretur.

JESU CHRISTI ANNUS 782. HADRIANI PAPÆ 11.
CONSTANTINI IMP. 7. ET 3. IRENES IMP. AN. 3.
CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 9.

1. *Hoc anno Irene pace cum Arabibus confecta*, de qua anno proximo egimus, *a bellorum cura vacans*, ait Theophanes, *Stauracium Patricium, & celeris curſus Logothetam cum numeroſo exercitu adverſus Sclavorum nationes miſit, qui cum Theſſalonicam, & Græciam adiiſſet, regionem omnem Imperio ſubjecit, & tributum pendere coegit. Quin etiam Peloponeſum penetrans, captivorum ingentem turbam, & ſpolia in Romanam ditionem retulit*, Ob quam cauſam anno proximo CPolim reverſus, *Victoriæ ſolemnia ducto per circum triumpho peregit*, ait idem auctor. Bellum adversus Sclavos ab Irene proſpere geſtum.

2. In ea expeditione inter Excubitores militabat Joanni- Joannicius excubitor

Jesu Chr. an. 782.

Iconoclaſta hæreſim abjurat.

nicius, qui hactenus Iconoclaſticæ hæreſis ſectator, a monacho quodam, dum rediret, admonitus, hæreſim abjuravit, & catholicam fidem profeſſus, paulopoſt, militari cingulo abjecto, monaſticum induit habitum, unde poſtea monaſterii præfectus, ſeu Abbas evaſit, ut infra dicturi ſumus. Ab ipſo autem converſionis ſuæ tempore pietatis officiis totus ſe dedit, ita ut *ab illo tempore beatus ille Satellitii officio fungens in veſtibulo Regiæ acubabat in nudo ſolo, eratque orationi intentus, & jejunio, nam etſi convivia inibat cum aliis, cibum tamen non ſumebat uſque ad ſatietatem, ſed eatenus, ut illis quidem non videretur jejunare*. Ait auctor vitæ ejus, quem Metaphraſtem fuiſſe Surius ſcribit, at Allatius in Diatriba de Simeonum ſcriptis, Joannicii vitam inter eas recenſet, quæ Metaphraſti adſcribi non poſſunt.

Carolus M. Saxones iterum rebellantes vincit.

3. De Caroli Magni geſtis hoc anno narrat Annaliſta Metenſis. *Carolus Rex Cumam*, (legendum *Coloniam* cum Eginhardo, aliiſque Francorum Annaliſtis), *veniens Rhenum tranſiit, & ſynodum tenuit ubi Lippia conſurgit, & ubi omnes Saxones convenerunt, excepto rebello Vidichindo*, eorum Duce, qui in Normanniam, ſeu Sveviam confugerat, *Illic etiam venerunt legati Godefridi Regis Nortmannorum* (ideſt, Danorum) *Altdem & Hoſmundus, nec non etiam legati Avarorum miſſi a Cagano & Sugoreo. Peracto Placito, reverſus eſt Rex in Franciam. Saxones iterum fidem violant, arma corripiunt, ſuadente Vvitchindo. Rex autem eo tempore miſerat nuncios ſuos Adelgiſum & Geilonem, atque Conradum, viros potentes, ut ducerent exercitum Francorum, & Saxonum ſuper paucos Sclavos, qui adhuc rebellabant. Supradicti vero Principes, cum jam in itinere eſſent, audientes quod Saxones rebellarent ſuper eos arma verterunt, & commiſſo prælio multos ex eis interfecerunt. In qua pugna duo duces ceciderunt, Adelgiſus ſcilicet, & Geilo, in monte qui dicitur Sunidal. Hæc audiens Rex, cum Francis, quos cito congregare potuit, illuc perrexit, & pervenit uſque ad locum, ubi Arara confluit in Vviſaram. Tunc omnes Saxones iterum convenientes ſubdiderunt ſe Domno Carolo Regi, & reddiderunt ſeditioſos, qui illam fecerant rebellionem, ut occiderentur quatuor millia, & quingentos Viros. Vvinichindus vero partibus Nortmanniæ aufugit. Interfectis itaque ſeditioſis, exilioque damnatis, Rex in Franciam reverſus eſt, & celebravit Na-*

Digitized by Google

Natalem Domini in Theodonis villa. Eadem fuſius narrat Eginhardus in Annalibus, qui refert etiam Carolum in villa Cariſiaco Paſcha celebraſſe, & *aſtatis initio* generalem Conventum habuiſſe.

Jesu Chr. an. 782.

4. De hac altera Saxonum rebellione adverſus Carolum, deque perſecutione in chriſtianos, inſtigante Vidichindo eorum duce excitata in vita Villebadi Saxonum Apoſtoli agens Anſcharius adnotat, quod cum Saxones tum evangelii prædicatores, cum in fide ſuſcepta ſtabiles perſequerentur, eoſque e finibus ſuis ejicerent, tunc Villebadus inde fugiens, in Friſiam tranſiit. *Sicque opitulante Chriſti gratia perſecutionem eorum evaſit. Porro Saxones crudelitatem, quam circa magiſtrum nequiverant, exercere. in diſcipulos ipſius exardeſcente ira ferventius exercuerunt. Siquidem Folcardum Presbyterum cum Emmingo Comite in pago denominato Leri, Benjamin, &c. odio nominis Chriſtiani, gladio peremerunt. Et ipſis quidem ita ad Regna Cæleſtia effuſione proprii ſanguinis feliciter evocatis, perſecutionis tamen procella diutius poſtmodum deſævit Saxonibus. Quo facto Vir Dei cognoſcens nullam ſibi tunc temporis prædicandi opportunitatem ineſſe, arrepto itinere Pippinum Longobardorum Regem adiit, ſicque proſpero curſu Romam pervenit, ubi conſiſtens multis lachrymis & precibus ad ſedem Sacratiſſimam Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis ſe, cunctamque fidelium turmam ſedulus ac devotus Divinæ commendabat clementiæ, illos præcipue quorum cura maxime cordi erat, ne forſan ſuſcepta in partibus Saxoniæ Chriſtianitas machinatione diabolica penitus adnullaretur. Inde autem diſcedens, & conſolatione Venerabilis Papæ Hadriani non modice corroboratus ſervus Dei gaudens repedabat in Franciam*. Cis Alpes reverſus in Epternacenſi Monaſterio degit, ſubjungit enim Anſcharius: *Ab itinere concepto reverſus, tranſivit ad locum, qui dicitur Aſternacha, ibique diſcipuli ejus, qui propter metum perſecutionis paſſim diſperſi fuerant, ad eum ſunt denuo copulati. Quos ille benigna conſolatione refocillans, ut pro fide Chriſti conſtanter in omnibus ſe agerent, pie admonere ſtuduit. Quique in eodem loco duobus fere annis demoratus*, iterum ad prædicandum in Saxonia evangelium a Carolo miſſus eſt, ut ibidem dicturi ſumus.

Villebadus Saxonum persecutionem fugit. Romam, deinde in Gallias pergit.

Martyres in Saxonia effecti.

5. Inter Caroli geſta, quibus Magni cognomen promeruit, ejuſdem in eruditos viros liberalitas & familiaritas re-

Carolus M. viros doctos & litteras colit.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 782.

recenſetur, ac ſollicitudo, ut eorum quamplurimos ex toto Orbe in Gallias vocaret, quorum opera collapſas pene in Galliis litteras erigere conatus eſt. Quare ut narrat monachus Sangalenſis, cum duos ex Hibernia monachos, divinis, humaniſque litteris præſtantes, in Gallias tranſiiſſe didiciſſet; Ex iis unum *Clementem* dictum, ut in Galliis ſcholam aperiret, omnibus cujuslibet conditionis communem juſſit. *Alterum*, cujus nomen ignoratur, *in Italiam direxit, cui & monaſterium ſancti Auguſtini juxta Ticinenſem urbem delegavit, ut qui ad eum voluiſſent, ad diſcendum congregari potuiſſent*. Tanto autem animi ardore in divinis, humaniſque litteris diſcendis Carolus ferebatur, ut teſte Eginardo in ejus vita, Grammaticam a Petro Piſano Diacono adulta ætate diſcere non erubuerit, ut Alcuinus in epiſtola ad Carolum data teſtatur, quem etiam in Gallias vocatum, ibidem non ſolum præceptor Caroli in Grammatica fuit, ſed etiam, ut addit Alcuinus: *Idem Petrus fuit, qui in Palatio veſtro, grammaticam docens, claruit*. Inter eos tamen, qui Caroli gratiam, familiaritatemque, ob divinas, humanaſque litteras promeruerunt, Alcuinus ſeu Albinus Flaccus etiam dictus primum locum obtinet, quem hoc anno in Gallias tranſiiſſe veroſimile eſt. De cujus vitæ initiis uſque ad

Alcuini geſta usque ad hunc annum

hunc annum hæc adnotamus. Is itaque in Anglia natus, fratrem habuit Aquilam, ſeu Arnonem Juvanenſem, ſeu Saliſburgenſem Epiſcopum, quem germanum ſuum appellat in epiſtola 66., inſcripta *Cariſſimo Germano meo Aquilæ Antiſtiti Albinus*. Epiſtola vero 104. *Dulciſſimo fratri, & ſanctiſſimo Præſuli Aquilæ inſcripta eſt*, eumque rogat, epiſtola 66. *Ut fraternæ dexteræ ducatu non laceſcat in via veritatis ducere, qui hucuſque in ſæculi ſe volvebat cœno*. Ab infantia autem in monaſterio Eboracenſi educatus, in litteris Latinis, Græcis, & Hebraicis eruditus fuit: Unde in epiſtola ad fratres Eboracenſes: *Vos*, inquit, *fragiles infantiæ meæ annos, materno foviſtis affectu, & laſcivum pueritiæ tempus pia ſuſtinuiſtis patientia, & paternæ caſtigationis diſciplinis, ad perfectam viri edocuiſtis ætatem, & ſacrarum eruditione litterarum roboraſtis. &c.* Præceptores illic habuit Egbertum, & Aelbertum, unum poſt alterum Eboracenſes Epiſcopos, non vero Bedam, ut ſcribit Baronius, ab Alcuini vitæ ſcriptore deceptus, *cum Beda ante natum Alcuinum deceſſiſſe videa-*

deatur, ait Mabillonius, cui etiam adſtipulatur vitæ Alcuini auctor cap. 2. ac ipſe Alcuinus non ſemel Egberti magiſtri ſui mentionem in epiſtolis ſuis apud Malesburienſem facit, ſic in epiſtola ad Eadbaldum Eboracenſem Epiſcopum, de Egberto magiſtro ſuo adnotat. *Laus & gloria Deo, qui dies meos in bona proſperitate conſervavit, ut in exaltatione filii mei cariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in eccleſia ubi ego nutritus, & eruditus fueram, & præeſſet theſauris ſapientiæ*, ideſt bibliothecæ Eboracenſi, *in quibus me magiſter meus dilectus Egbertus Archiepiſcopus hæredem reliquit*. Benedictinæ autem familiæ eum addictum fuiſſe probat Mabillonius, idemque confirmat Frobenius ad Sanctum Emeramum Ratisbonæ Princeps & Abbas, vitæ & operum Alcuini noviſſimus editor in Albini vita ex geſtis & ſcriptis ejus digeſta.

Jesu Chr. an. 782.

Alcuinus qua occaſione in Caroli notitiam venerit, ac in Galliam vocatus fuerit.

6. Cum vero adoleviſſet Alcuinus, ac in humanis divinisque litteris egregiam hactenus dediſſet operam, ab Egberto Cantuarienſi Archiepiſcopo ejuſdem eccleſiæ Diaconus eſt ordinatus, nec ultra hunc ordinem aſcendit, hinc qui eum Sacerdotem fuiſſe dixerunt, hoſpites pene in ejus operibus eſſe ſe produnt, poſt Mabillonium, adnotat in ejus vita Frobenius Abbas, cumque præ ceteris ejuſdem eccleſiæ clericis, omni doctrinarum genere præſtaret, non ſolum bibliothecæ ampliſſimæ Eboracenſi ab Egberto præfectus fuit; Sed etiam Eboracenſi ſcholæ, ad quam undique, non ſolum ex Britannia, ſed ex exteris etiam provinciis, propter præceptoris celebritatem, ſtudiorum cauſa adoleſcentes ſcientiarum cupidi confluebant, quarum præcipuos auctor noviſſimus vitæ ejus commemorat. Interea cum Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo ſucceſſiſſet Aelbertus circa annum 780., Aelbertus ſeu Eanbaldus Alcuinum Romam ad Hadrianum Papam miſit, ut pallium ab eo peteret, quo in itinere, cum rediret anno 781. Parmæ Carolum obviam habuit, cui jam antea cognitus erat. *Noverat enim eum*, ait auctor vitæ ejus, *quia olim a magiſtro ſuo* Egberto Eboracenſi Epiſcopo, *ad ipſum directus fuerat*. Atque *hoc alterum, noſtra quidem opinione iter eſt. B. Alcuini ad illam civitatem*, ideſt Romanam, *Pontificatum ibi agente Hadriano primo*, ait idem auctor Emerannus in ejuſdem vita pag. 27. at primum iter Romanum incertum eſt. De altero hoc anno ſuſcepto, auctor anonymus vitæ Alcuini hæc adnotat. *Juſſus ab Eanbaldo*

Ar-

Jesu Chr. an. 782. *Archiepiſcopo ſucceſſore Elberti, ut ſibi pallium impetraret ab Apoſtolico, venit Romam cumque reverteretur accepto pallio, habuit Regem Carolum Parma civitate obvium, quem magnus Rex alloquens ſuaſionibus, & precibus poſtulavit, ut ad ſe poſt expletionem Miſſatici*, ideſt legationis delegatæ, *in Franciam reverteretur. Fecit autem Alcuinus aliorum deſervire cupiens profectui, ut ſibi rogaret cum auctoritate Regis ſui proprii, & Archiepiſcopi, eo tantum jure, ut iterum ad eos reverteretur*. Quare Alcuinus, qui anno 781. deſinente Carolum Parmæ in Gallias redeuntem obvium habuit, in Brittaniam rediit cum pallio, rebus ſuis anno 782. compoſitis, hoc labenti anno petita, & obtenta a Rege ſuo, & Archiepiſcopo licentia ad Carolum in Franciam tranſiit, ea tamen conditione ſibi a Rege, & ab Archiepiſcopo appoſita, ut quantocius in Brittaniam rediret. Advenientem Rex Carolus *loco patris amplectitur*, ait vitæ auctor, *a quo artes introductas in liberales refrigerari paululum noverat, ſed exſaturari ob fervorem ſatis nimium nequibat*, quem diu apud ſe retinere voluiſſet. *At Albinus*, cum reditum in patriam promiſiſſet, *nolens ſine auctoritate Regis ſui, & Epiſcopi proprium deſerere locum .... poſtulavit magnum Regem, ut daret ei licentiam remeandi in patriam. Tandem igitur ratione victus*, Carolus, *conſentit ut iret, requiem non dans animis, jam ſecundo ad eum reverſo firmiter impetraret, ſecum perpetuo ut duraret*. Ideſt cum in Brittanniam rediiſſet Alcuinus circa annum 790., tandem Carolus, a Rege, & Epiſcopo Eboracenſi obtinuit, ut eum dimitterent, non ultra in Brittanniam reverſurum, ſed de hoc altero in Franciam Alcuini reditu infra anno 794.. Quid vero in Galliis per annos octo commorans egerit Alcuinus, videamus.

Alcuinus & Caroli M. & filiorum præceptor fuit. 7. Atque inprimis adnotamus, tanto præceptore ipſum Carolum uſum fuiſſe, *apud quem Rhetoricæ, & Dialecticæ, præcipuæ tamen Aſtronomiæ ediſcendæ plurimum temporis & laboris impertivit* ait Eginhardus in ejus vita, atque Dialogi duo inter Alcuini opera extant, de Rethorica ſcilicet, & de Dialectica interlocutoribus Carolo Magno, & Alcuino, in quibus Carolus Alcuinum & præceptorem appellat, eodemque titulo in litteris ſuis eum non ſemel exornat, ac in epiſtola 124. *Cariſſimi in Chriſto præceptoris* nomine compellat. Quare auctor vitæ ejus Baronii obſervationem non pro-

probat, qua Carolum tanta divinarum rerum ſcientia imbutum fuiſſe ait, ut Carolus cum Albino magiſtri potius, quam diſcipuli locum teneret, ac in ea facultate non Carolus Albinum, ſed Albinus Carolum conſuleret. At hæc vix vera eſſe ibidem citatus auctor probat. Hoc unum Carolo Magno negari non poteſt, eum omni vitæ ſuæ tempore tanto in litteras ſtudio exarſiſſe, ut ne in ſenectute quidem ceſſaverit, atque iis addiſcendis, quandocumque a publicis negotiis vacaret, noctes inſumebat, unde iterum Eginhardus. *Tentabat, & ſcribebat, tabulaſque & Condicillos, ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum affingendis litteris adſueſceret, ſed parum ſucceſſit labor præpoſterus, ſero inchoatus.* eleganter ſcilicet ſcribendi, ut adnotat Pagius nota 8. an. 782. Certe prodigii inſtar eſt Carolum Magnum, qui tot in dies negotia tractabat, qui graviſſimas continuo cauſas cum Romanis Pontificibus, cum Imperatoribus Orientis, cum Regibus Angliæ, & Hiſpaniæ habebat, qui tot graviſſima bella cum Seracenis, cum Saxonibus, cum Bojariis, finitimiſque gentibus geſſit, nihilominus Muſis, litteriſque locum tempuſque dediſſe, Patris exemplum; certatim ſecuti ſunt filii ejus, ac filiæ, plurimique ex nobilioribus Francorum, quos in ſchola ſua diſcipulos Alcuinus habuit, quoſque ea de cauſa filios, filiaſque in litteris ſuis appellat, quorum catalogum auctor vitæ cap. 7. exhibet. Omnes pene litteras tum divinas, cum humanas Caroli juſſu, ac Alcuini opera inſtauratas, ac in meliorem formam ac fortunam redactas fuiſſe, indicant tum opuſcula, cum litteræ Caroli, & Alcuini. Inter opuſcula Alcuini extant Dialogi de grammatica de Rethorica, & de Dialectica, ut ex his ſcientiarum regulis, humaniores primum litteræ ſuum in ſplendorem revocarentur, ac ad lectionem Sanctorum Patrum, ſcriptorumque veterum litterarum ſtudioſi excitarentur. Atque imprimis juſſit Carolus, ut in ſingulis Cathedralibus eccleſiis, & monaſteriis, *Præter regularis ordinem, atque ſanctæ religionis converſationem, etiam in litterarum meditationibus ſecundum uniuſcujuſque capacitatem docendi ſtudium impendatur*, animadverterat ſiquidem Carolus ſcribendi ſtilum ea ætate corruptum jacere: *Senſus quidem rectos*, ajebat, *ſermones vero incultos, quia quod pia devotio interius fide-*

Alcuinus in Galliis præcipuus litterarum inſtaurator.

In eccleſiis cathedralibus, & monaſteriis ſcholas aperiri jubet Carolus.

JESU CHR. AN. 782. *fideliter dictabat, hoc exterius propter negligentiam diſcendi lingua inerudita exprimere ſine reprehenſione non valebat*. Hac de cauſa, *ad hoc opus*, inquit, *eligantur viri, qui & voluntatem, & poſſibilitatem diſcendi, & deſiderium habeant alios inſtruendi*. Quia vero non ignorabat ſacros, prophanoſque auctores librariorum, ſeu exſcriptorum vitio & ignorantia innumeris ſcatere erroribus, ut ex antiquis Codicibus corrigerentur, ac in meliorem formam redigerentur, juſſit. Atque inprimis, ut SS. Patrum homiliæ emendatiores, ederentur, Paulo Diacono Varnefridio auctore effecit, uti in epiſtola Caroli M. homiliario præfixa legitur, qua poſt plurima ad religioſos viros, ſubdit. *Denique quia ad nocturnale officium compilatas, quorumdam caſſo labore licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones, quippe quæ & ſine auctorum ſuorum vocabulis eſſent poſitæ, & infinitis vitiorum anfractibus ſcaterent, non ſumus paſſi noſtris diebus, in divinis lectionibus inter ſacra officia, inconſonantes proſtrepere ſolæciſmos, atque earumdem lectionem in melius reformare tramitem, mentem intendimus. Idque opus Paulo Diacono familiari clientulo noſtro, elimandum injunximus*. In quod opus operam quoque ſuam poſuiſſe Alcuinum his verbis narrat auctor vitæ ejus, *collegit multis de Patrum operibus Homiliarum duo volumina*, quod mirum erudito viro Riveto hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptori videri non debet, aut in dubium vocari, cum Paulo Diacono ſcilicet, vel poſt Paulum Diaconum, Alcuinum quoque ex ſanctorum Patrum homiliis libros duos collegiſſe, etiam id extra dubium eſt Alcuinum præcipiente Carolo emendaſſe librum, qui *Comes* appellabatur, Hieronymo alias adſcriptus, quo epiſtolæ, & evangelia, quæ in feſtivitatibus anni occurrebant complexus eſt, uti in Codice bibliothecæ Carnutenſis narratur, teſte Mabillonio. Nec ab opere librorum corrigendorum ipſemet Carolus Magnus, etſi graviſſimis diſtentus curis, ſe abſtinuit, quorum plurimos contineri in Vindebonienſi bibliotheca narrat Lambecius, ac Kollarius confirmat, tom. I. Analect. monumenta biblioth. Vindeb..

Alcuinus ſacræ ſcripturæ libros emendat.

8. In id vero præcipue religioſiſſimi Principis vota tendebant, ut divinæ Scripturæ libros veteris, novique teſtamenti, quamplurimis in locis Amanuenſium incuria corruptos, ac mendis pene innumeris deturpatos in meliorem redige-

digeret formam, cumque in toto Imperii ſui ambitu, ne Alcuino propter linguarum peritiam aptior ad id eſſet hanc ei operam Carolus commiſit, ut idem Alcuinus teſtatur in epiſtola ad Giſlam, & Columbam lib. 6. commentarii in Joannem præfixa, qua cur expoſitionem Evangelii S. Joannis ad eas non miſerit, hanc affert excuſationem. *Totius forſan evangelii expoſitionem direxiſſem vobis, ſi me non occupaſſet Domini Regis præceptum in emendatione veteris, novique teſtamenti*. Tanto itaque opere ſuſcepto ac indefeſſo labore incumbens effecit, Jeſu Chriſti anno 800. cum Carolus die Natali Romæ Imperatoria corona redimendus eſſet, eidem abſolutum opus offerre potuerit, ut ex ejuſdem epiſtola 103. & 185. conſtat. Cujus tam egregii operis, ut a Baronio jam adnotatum eſt, inſigne volumen manuſcriptum extat in noſtra Vallicellana bibliotheca Alcuini verſibus aucto, quibus opus ſuum Carolo, cujus juſſu ſuſceperat, offert. Inter cetera, quæ Baronius exhibet, & tomo 2. operum ejus pag. 203. leguntur hæc ad rem noſtram ſufficiant.

Codicis illius, quot ſint in corpore ſancto
Depictæ formis litterulæ variis
Mercedes habeat Chriſto donante per ævum
Tot Carolus Rex, qui ſcribere juſſit eum.

Deinde de ſe ipſo operis auctore

Pro me quiſquis legas verſus orare memento.
Alcuin dicor ego, tu ſine ſine vale &c.

Eoque tam excellenti Codice eruditi viri, qui in emendatione vulgatæ ſcripturæ laborarunt, ſub Sixto quinto, & Clemente octavo, tamquam antiquiori uſi ſunt, cui & plurimum detulerunt, ait loco citato Baronius.

9. His itaque, aliiſque pro litterarum reſtauratione Caroli juſſu, & Alcuini, aliorumque opera, geſtis, cum undique in Galliarum eccleſiis publicæ, privatæque ſcholæ apertæ frequentarentur, ne rurſus in ſuſcepto opere vel Epiſcopi, aut ſcholarum Rectores tabeſcerent, propoſitis ſæpe quæſtionibus, vel de ſcripturarum teſtibus, aut de eccleſiaſticæ diſciplinæ antiquis ritibus, vel uſibus, vel etiam circa

Carolus Epiſcopos alioſque ad ſtudia excitat.

circa grammaticam, & Philoſophicas quæſtiones Carolus excitabat, ut ſcriptis ſuis admoniti a ſcientiis tractandis, evolvendiſque Codicibus adigerentur, cujuſmodi generis quamplurimæ extant Caroli Magni epiſtolæ ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque eruditos viros datæ, quas referre hoc loco non juvat. Præ ceteris vero Alcuinum præceptorem ſuum hujuſmodi litterariis queſtionibus, de rebus grammaticis, Dialecticis, Liturgicis, Biblicis fatigare ſolebat, quibus idem in litteris ſuis, aliiſqe opuſculis ſatisfecit. Atque hoc modo eruditos viros eum exercuiſſe, ac ad ſtudia excitaſſe tradit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus ad Magnum Senonenſem, ubi de quæſtionibus circa ceremonias ab eodem Rege ſibi propoſitis hæc adnotat. *Quæſtiones iſtæ, ut ego te noſſe certus ſum, a Regali celſitudine non ſunt factæ neceſitate diſcendi, ſed ſtudio docendi, nec ut ipſe his abſolutis, de neſcitis valeat inſtrui, ſed ut alii de ſomno deſidioſi torporis, ad rerum abſolvendarum utilitatem valeant excitari. Quippe cui hoc ſemper familiare eſt, ut exerceat Præſides ad ſanctarum ſcripturarum indagationem, & ſanam, ſobriamque doctrinam, omnem clerum ad diſciplinam, Philoſophos ad rerum divinarum, humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad ſanctitatem. Primates ad conſilium, Judices ad juſtitiam &c.*

An Pariſienſis univerſitas a Carolo M. fundata fuerit.

10. His prænotatis de Scholis in Galliis, ac in Palatio regali hac ætate apertis, unum inquirendum reſtat, ait auctor vitæ, & operum Alcuini editor, num, ſcilicet, Pariſienſis Univerſitas Carolum Magnum auctorem habuerit, quam opinionem etſi viri præclari aliquando tutati fuerint; prevaluit hac noſtra ætate contraria ſententia, ſubdit idem auctor, quam validis argumentis tuentur ſcriptores graviſſimi Mabillonius præfatione ad ſeculum 4. Ord. Bened. part. 1. Launojus tom. 4. de ſcholis &c. Claudius Jolj de ſcolis parte 1. cap. 22. quibus calculum ſuum addidit Rivetius auctor hiſt. litter. Galliæ tom. 3. pag. 10. num. 16. Pagius not. 1. & 12. ad an. 802. Aliquales nihilominus Pariſiis & ſcholas publicas ſeculo nono, aut decimo præter Palatinam, ac extra eccleſiarum, & Monaſteriorum clauſtra fuiſſe, ibidem demonſtrat. Alcuinum autem duobus in Gallia monaſteriis tunc a Carolo præfectum fuiſſe ſcimus, monaſterio ſcilicet Rhethlemitico, Ferrarienſi etiam dicto, in pago Vaſtanenſi, &

mo-

monaſterio S. Lupi apud Trecas, non jam ut eum monaſterii reditibus locupletaret, ait Rivetus, ſed ut in iis regularem rèſtauraret diſciplinam, ſtudiiſque præeſſet.

11. Quanta autem cum diligentia, injuncto ſibi operi, docendi ſcilicet, ſatisfecerit Alcuinus, in epiſtola ad Carolum docet, dum hoc tempore in Turonenſi S. Martini cœnobio ſcholas aperuiſſet. *Ego Flaccus veſter*, inquit, *ſecundum exhortationem, & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta Sancti Martini ſanctarum mella ſcripturarum miniſtrare ſatagi: alios vetere antiquarum Diſciplinarum mero inebriare ſtudeo, alios Grammaticæ ſubtilitatis enutrire pomis incipiam: quoſdam ſtellarum ordine, ſeu picto cujuslibet magnæ domus culmine, incluminare geſtio, plurimis factus, ut plurimos ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ, & ad decorem Imperialis Regni veſtri erudiam. Ne ſit vacua Omnipotentis Dei gratia in me, nec veſtræ bonitatis largitio inanis. Sed ex parte deſunt mihi eruditionis ſcholaſticæ libelli, quos habui in patria, per bonam & devotiſſimam Magiſtri mei induſtriam, vel etiam mei ipſius qualemcumque ſudorem. Imo hæc veſtræ Excellentiæ dico, ne forte veſtro placeat totius ſapientiæ deſiderantiſſimo conſilio, ut aliquis ex pueris noſtris remittam, qui excipiant inde nobis neceſſaria quæque, & redeat in Franciam flores Britanniæ, ut non ſit tantummodo in Euborica hortus concluſus, ſed in Turonica emiſſiones paradiſi, cum pomorum fructibus*. Atque hæc de Alcuino, ſeu Albino dixiſſe ſufficiat.

Egregia Alcuini in docendo opera.

12. De litteris Adriani Papæ nunc agendum, quarum prima, cum iterum de Sabinenſi patrimonio, ſeu territorio per Caroli legatos Itherium Abbatem, & Maginarium Cappellanum tradendo agat, nil addimus, nam plura de his anno proximo adnotavimus. Hanc binæ ad Egilam in Hiſpania epiſcopum inſcriptæ ſequuntur, quarum quæ ordine prima eſt in Codice Carolino, poſt alteram ſequentem data eſt, quamobrem de hac ſecunda primo agimus. Egilam porro in Hiſpania Epiſcopum, quem Illiberitanam ſedem tenuiſſe tradunt Hiſpaniarum hiſtorici Hadrianus Papa ab Vilchario Senonenſi Archiepiſcopo ſibi commendatum, quod rectam teneret fidem, ut eum Epiſcopum ordinaret, ac in Hiſpanias mitteret, eidem Vilichario juſſerat, ut idem Pontifex in alia epiſtola omnibus per Hiſpaniam Ortho-

Hadriani Papæ epiſtolæ ad Carolum M.

JESU CHR. AN. 782. thodoxis Epiſcopis inſcripta his verbis narrat circa annum 785. *Dudum Vulcharius Archiepiſcopus Galliarum, ſuggeſſit nobis pro quodam Egila, ut eum Epiſcopum conſecraret, valde nimiſque eum in fide catholica, & in moribus atque actibus laudatis, ut conſecratum veſtris partibus emitteret ad prædicandum. Nos vero prædicti Vulcharii Archiepiſcopi petitioni credentes, conſuetam illi licentiam tribuimus ut canonice eum examinaret, quatenus ſi poſt diſcuſſionem, & verum examinationem, rectum & catholicum eum inveniſſet Epiſcopum ordinaret, & nullam quamlibet alienam ſedem, ambiret, vel uſurparet*, utpote nulli addictus peculiari ecclesiæ, *ſed ſolummodo animarum lucra*, tamquam Epiſcopus ad gentes ordinatus, *Deo offert, qui una cum Joanne Presbytero in partibus veſtris veniens*, non rectam prædicabat fidem, ut ibidem adnotat Hadrianus Papa, nam ſpem, quam de ſe ipſo dederat, omnino fefellit, ut ex litteris ad eum ab Adriano datis conſtat, quibus cum eo, quod & rectam teneret fidem, & prædicaret, quodque Romanam conſuluiſſet eccleſiam, cujus traditioni ſe firmiter inhærere teſtatus fuerat, laudibus effert.

Egilam laudat Adrianus ejusque conſultationi reſpondet.

13. Quare in prima epiſtola ad eum data & Joanni Presbytero, ſe litteras ejus per Saranum Diaconum, & Victorinum clericum accepiſſe narrat, cum eoque gratulatur, eo quod relationi ad ſe ab Vilchario Senonenſi Epiſcopo miſſæ, dictis, factiſque reſponderet. *Audientes*, inquit, *Orthodoxam veſtræ dilectionis in Chriſto conſtantiam, atque ita vos antiquæ fidei, communioniſque ſinceris traditionibus inhærentes, ut mentem Chriſtianæ deditam veritati, nullatenus inficerent prævaricatorum vicina contagia, magnificamus Dominum, charitatemque veſtram indeſinentur laudavimus* : & iterum poſt alia in eamdem rem, ut in cœptis perſeveraret, his verbis excitat. *Quapropter exultantibus animis confidentius incitamus, ut ab omni peſtis incurſu pectora veſtra ſapienter intemerata ſervetis, ut prommiſſam perſeverantibus mercedem percipere poſſitis*. Ad conſultationes autem Egilæ ad ſe miſſam fuſiori ſtilo reſpondet, ac primo eos arguit, qui Paſchale feſtum, non ea die, qua Nicæna ſynodus juſſerat, ideſt prima Dominica poſt lunam 14. Martii, celebrabant; ſed quoties Dominica lunam in decimamquartam Martii ſequebatur ad alteram differebant, quod ſane, ne fieri ullo modo permitte-

mitteret, jubet. Atque de die Paſchatis, rituque Paſchali multa addit. His addiderat Egila nonnullos in Hiſpaniis reperiri, qui rudes & ineruditos eos dicebant, qui ſanguinem pecudum, aut ſuillum, & ſuffocatum edere recuſabant. Hadrianus vero Papa, de eo, qui hæc comedebat, Is inquit. *Non ſolum eruditionis totius alienus, ſed ipſius quoque intelligentiæ communis prorſus extraneus, sub anathematis vinculo obligatus, in laqueos incidat Diaboli*. Unde ex his patet Apoſtolicum adhuc canonem de ſanguinis, & ſuffocati abſtinentia in Romana eccleſia viguiſſe.

De prædeſtinatione Hadriani Papæ ſententia.

14. De prædeſtinatione autem electorum, & reproborum varias in Hiſpaniis quæſtiones agitari, ſeu potius ſpargi errores Egila Hadriano Papæ indicaverat, ita ut nonnulli dicerent. *Quod prædeſtinatio ad vitam, ſive ad mortem in Dei ſit poteſtate. Alii iterum dicunt. Ut quid rogamus Deum, ut vincamus tentationes, quod in noſtra eſt poteſtate, quaſi libertate arbitrii &c.* Utrumque errorem auctoritate S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi confutat Hadrianus longiori textu adducto ex Fulgentii epiſtola ad Eugippium Presbyterum, ac tandem indiſcretam chriſtianorum cum Paganis ſocietatem, aut Judæis in victu, vel converſatione vitandam eſſe docet, & præcipue ne cum infidelibus nuberent. Id etiam execratione dignum judicavit Pontifex, quod Sacerdotes ibidem nonnulli uxores ducerent, & mulieres apud ſe luxurioſe vivendo, retinerent, quas corruptelas ex perverſo Priſcillianiſtarum dogmate, alias in Hiſpaniis vigente profluxiſſe adnotat, Egilamque admonet, ut poſt admonitionem debitam, quoſcumque ſive clericos in iis perſeverare invenerit, a fidelium ſocietate, & eccleſiæ communione alienos habeat. *Quapropter dilectiſſimi*, ait, *oportet veſtram induſtriam ſolertiſſime vigilare, nec quidquam facere, quod patrum poſſit regulis obviare, quæ enim a nobis res digne ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum, pro aliquorum libito, licentia populis permiſſa frangantur*. Hactenus Hadriani ad Egilam epiſtola, cui paulopoſt hanc alteram inſcripſit, cum hanc Egilas, ſive Notarii, & Delatoris incuria, aut alio caſu, nequaquam recepiſſet.

Hadriani Papæ epiſt. altera ad Egilam.

15. Cum hanc itaque ſuis conſultationibus reſponſoriam epiſtolam non recepiſſet Egilas, ab Carolo Rege admonitus, ac rogatus Hadrianus, hanc alteram eidem ſcripſit

pſit

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 782.

pſit Epiſtolam, qua primam ex archivio Romanæ eccleſiæ deſcriptam, addidit, ut his verbis narrat idem Pontifex, *Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo Egilæ Epiſcopo. Dudum præcipua, gnaraque dilectio tua ad Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput totius Dei Eccleſiarum directos affatus, ſecundum vibrantiſſimam fidem, quam erga B. Petrum, Apoſtolorum principem, & nos ex intimo gerit corde, cum nimio amore ſuſcepimus, ad ea, quæ ejus popoſcit ſollertia, ex divino fonte oriri nitidius ac ſaluberrime ſanctæ noſtræ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ olitano ritu, orthodoxæ fidei exarantes, imo ſanctorum Patrum venerandam inſtitutionem ſine macula ſpeculantes, per earum, tunc tranſvectores, tuæ emiſimus almitati, & quoniam, ut fertur, nequaquam ipſi Apoſtolici ad te profecti ſunt apices, noſtris eos habentes Regiſtris exaratos, infra reſcribentes, per harum gerulos, ſcilicet Bellerefonſum, ſeu Johannem clericum direximus denuo, ſicut nobis per fideliſſimum Miſſum ſuum, videlicet reverendiſſimum Petrum Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopum præcellentiſſimus ac præfulgidus filius & ſpiritalis compater noſter Domnus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, pro tua inſigni dilectione poſcendum emiſit, & per ejus regale adminiculum tuis faventis votis, adimplere prorſus ſtuduimus.* Deinde eum admonet, ut hæreticos, procaceſque viros, qui ſuam, aliorumque fidem ſubvertere conabantur, poſt unam, & ſecundam admonitionem, tamquam Ethnicos reputaret, ac tandem de jejunio feriæ ſextæ, & Sabbati, quod etiam in Hiſpaniarum eccleſiis, etſi non ubique ſervabatur, interrogatus Hadrianus, ut illud religioſe obſervandum curaret Egilam admonet, quod etiam S. Silveſtri, atque Innocentii Papæ auctoritate confirmat, ſicuti etiam Hieronymi, & Iſidori, atque ut ea, quæ circa Sabbati jejunium de S. Ambroſio ſcripſerat Auguſtinus conſulat, hortatur. Harum epiſtolarum vix titulum refert Baronius, quas etiam Labbeus in ſua conciliorum editione præteriit.

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum M.

16. Epiſtola altera Caroli M. acceptis epiſtolis a Petro perlatis, quibus ut eum Epiſcopum conſecraret, Hadrianum Papam rogaverat, ſe ejuſdem votis perlibenter ſatiſfeciſſe narrat Hadrianus, quem ideo fratrem jam & coſacerdotem appellat, ac ob privilegium ordinationis ab Romano

no Pontifice adeptæ, ceteris præferendum eſſe admonet. Nonnulla deinde de adipiſcendo Sabinenſi territorio interſerit. De quibus anno elapſo jam egimus, unde nil hoc loco addimus, ac tandem breviarium ſeu compendium Calcedonenſis concilii a Petro Romam delatum apocryphum eſſe docet, cujus genuinum, integrumque in Romanæ eccleſiæ archivio ſervari ait, ex eoque ſe S. Leonis epiſtolam ad Clerum, & populum CP. datam poſt Epheſinum latrocinium ſe mittere teſtatur. Theodoſii autem Imperatoris fidem laudat, quem utpote ab eodem Pontifice laudatum, latrocinalibus in Epheſo geſtis nequaquam conſenſiſſe probat. Atque hæc præcipua ſunt, quæ in Hadriani epiſtolis hoc anno datis occurrunt.

JESU CHRISTI annus 783. Hadriani Papæ 12. Constantini Imp. 8. et 4. Irenes Imperatricis an. 4. Caroli Magni Italiæ Regis 10.

Hildegardis Caroli uxoris, & Berthæ matris obitus.

1. Cum duobus præliis Saxonum temeritatem, perfidiamque hoc iterum anno caſtigaſſet Carolus, inter victoriæ gloriam, luctus ob uxoris Hildegardis Reginæ obitum, quam paulo poſt Bertha ejuſdem Caroli mater ſecuta eſt excepit. De quibus hæc narrat Annaliſta Metenſis ad annum belli Saxonici 12. ideſt labentem. *Obiit B. memoriæ Hildegardis Regina II. Kal. Maji, quod evenit tunc in vigilia Aſcenſionis Domini, & ſepulta eſt juxta urbem Mettenſem in baſilica Apoſtolorum, & B. Arnulphi*, narratis deinde adverſus Saxones prœliis addit. *Poſt hæc in Franciam revertitur. Eodem anno obiit Berta Regina quarto Idus Julii, & ſepulta eſt in Cariſiaco, ſed inde tranſlata, ſepulta eſt juxta virum ſuum in eccleſia Sancti Dionyſii martyris*, cumque inter Caroli Magni virtutes, continentia vix agnoſcatur, hoc eodem anno *cum Vormatiam perveniſſet, ſociavit ſibi in matrimonium Fulradam Reginam, celebravitque Natalem Domini in Heriſtatlo*: ait idem Annaliſta Caroli geſta hujus anni referens: Hildegardis porro Regina dum ætate floreret anno 26. circiter e vivis erepta eſt, cum annos duodecim cum viro ſuo vixiſſet, quæ cum vivens multis exornata eſſet virtutibus, miraculis etiam poſt mortem claruiſſe narrat auctor vitæ ejus, Monachus ſcilicet campidonenenſis ſeculi 15. cum jamdiu ibidem corpus

Jesu Chr. an. 783. pus Reginæ tranſlatum eſſet, cum tamen is auctor poſt ſecula ſex eam vitam digeſſerit, anacronymis pluribus eam fœdaſſe, ut vix fidem mereatur, mirum non eſt, ut poſt Papebrochium adnotat Pagius. Hildegardis Reginæ Epitaphium multis verſibus conſtans exhibet Baronius, cujus auctorem Alcuinum fuiſſe ſuſpicatur, ſicuti & duarum filiarum ejus Hildegard ſcilicet, & Adcleid, quarum prima paucos dies vixit, ſeu ut ait Poeta, *Poſtquam vixiſti vix quadraginta dies*. Altera vero ſeu Adelaid prope Papiam orta, dum in Gallias rediret Carolus, vivere deſiit. Unde idem auctor.

Huic ſator eſt Karolus gemino diademate pollens,

Francico ſcilicet, & Italico Regno

Nobilis ingenio fortis ad arma ſatis
Sumpſerat hæc ortum prope mœnia celſa Papiæ
Cum caperet genitor Itala Regna, potens
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vitæ &c.

Auctorem epitaphii tum matris Hildegardis, cum filiarum ejus, Paulum diaconum ſive Varnefridum fuiſſe ſcimus, ut idem in libro de Epiſcopis Metenſibus teſtatur, ut a Mabillonio, & Pagio adnotatum eſt.

Hadriani Papæ epiſtolæ ad Carolum M.

2. Litteris quoque ſuis hoc anno iterum Hadrianus Papa Carolum compellavit, ut territorium Sabinenſe ſibi reddi juberet, cujus poſſeſſionem iniquorum virorum malitia, & invidia obtinere hactenus non potuerat; epiſtola vero ſequenti, cum Georgius Epiſcopus Romam adveniſſet, ac de Pippini in B. Petrum devotione, deque in ejuſdem ſucceſſores benevolentia certiorem reddidiſſet, gratias agit, eique eumdem Georgium Epiſcopum commendat, ut ibidem videre eſt. Has altera ſequitur Hadriani ad Carolum epiſtola, ante aliquot annos data, ac proinde, ut ibidem adnotat Cennius, incerti temporis, qua Carolo Regi narrat ſe fama Perſarum excurſiones uſque ad loca CPolis proxima, ſeu uſque *ad Moria ſexageſimo* ab ea urbe *milliario*, ac pro ejuſdem Caroli incolumitate, vota ſua exponit. His alteram addimus ab Hadriano ad Carolum hoc anno ſcriptam, qua poſt ſolitas lætitiæ & gaudii ſignificationes,

Digitized by Google

tiones, poſt repetita vota, ut omnes barbaras contercre poſſet nationes, ab Carolo auxilium poſtulat adverſus *Eleutherium, & Gregorium ineptos atque inutiles, qui pro eorum proterva contumacia non ſinebant in eorum judicari partibus Ravennæ ſcilicet. Inopes atque puſillos opprimentes miſere, tam in venalitate hominum, apud paganas venundantes gentes, quam de panis eorum abſque ulla miſericordia avide deglutiebant, ex qua peſtilentia plurima pars deficientes, atque ruentes diſſipati ſunt. Inſuper ignobilium vulgus, catervamque cruentorum congregantes non intermittebant quotidie nefandas perpetrare neces.* Ita ut, ut ibidem ſubdit Pontifex, in ipſa eccleſia, atque dum Miſſarum ſolemnia celebrarentur, homicidium perpetraverint. Ut vero ſe Hadriani vindictæ ſubtraherent, in Gallias ad Caroli protectionem confugerant, quamobrem eum admonet, ut eos a ſua protectione & præſentia repellat, ac ſub cuſtodia, *ad nos dehoneſtati per fideliſſimos veſtros miſſos humiles veniant &c.* ut aut pro criminibus debita afficerentur pœna, aut ſaltem uſquedum veniam & miſericordiam implorarent.

3. Hæc altera Hadriani ad Carolum magnum epiſtola commendatitia eſt; cum etenim Poto Abbas monaſterii S. Vincentii ad Volturnum in agro Beneventano, quaſi rebellis adverſus Carolum accuſatus, eaque de cauſa loco ſuo motus, & monaſterii Præfectura dejectus, ac Auſpertus Abbas electus fuiſſet, injuria, Potonem tanto crimine accuſatum, ac dignitate ſua privatum fuiſſe adnotat Hadrianus, quare Carolum enixe rogat, ut eumdem a ſe commendatum, in ſuam reciperet gratiam. *Juſtum quippe eſt*, inquit, *quemadmodum tam magnam congregationem religioſis moribus ſuis regulariter, atque naviter regere valuit, a veſtris præcelſis obtutibus ſoſpitem abſolvi, & in priſtinum ſtatum clementiſſimis juſſis veſtris, nobis poſcentibus reſtitui, quia valde idoneum ad commiſſum ſibi officium, ſeu veſtræ fidelitatis, ſicut ab omni ejus congregatione didicimus, eum agnovimus &c.*

Hadrianus Papa Potonem Abbatem Carolo M. commendat.

4. Hoc Chriſti anno 783. Silo Aſturiarum, & Legionis in Hiſpania Rex, Regni ſui anno octavo e vivis ereptus in eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ, quam a fundamentis erexerat, ſepultus eſt, quo loco Aboſinda ejus uxor tumulata fuerat. Defuncti Silonis Regnum, Alphonſus Caſtus Troi-

Silo Rex in Hiſpania moritur, cui Alphonſus ſuccedit; deinde Mauregatus.

Jeſu Chr. An. 783.

Troilæ filius, quem in Regni ſocietatem Silo, ſive ſocordia ductus, aut neceſſitate compulſus, adſciverat, obtinuit, quin tamen pacifice regnaret, obſtitit Mauregatus Alphonſi patruus, qui Alphonſum ſibi prælatum fuiſſe ægre ferens, civili bello nepotem aggreſſus, ac Abderame Seracenorum in Hiſpania Rege, cum ſuis Mauris in belli ſocietatem vocato in Carotabriam fugere, latebraſque quærere coegit. Mauregatus autem Regnum, quod turpi cum Mauris conditione inierat, ut quinquaginta ſcilicet virgines nobiles, totidemque ex plebe in annos ſingulos traderet, obtinuerat, per annos quinque, uſque ad annum 788. retinuit, ac Veremondo reliquit, ut in chronico narrant Vaſeus, & Mariana in hiſtoria Hiſpanica tom 1. pag. 273.

Adoſinda Silonis vidua monaſticam vitam amplectitur.

5. Adoſinda porro Silonis vidua ſine debita laude non eſt dimittenda, quæ viro defuncto, ſeculo valedicens monaſticam vitam ſuſcepit, & ſub diſciplina Beati in Aſturia Abbatis, antequam in Vallem Cavam ſe reciperet, ſanctitate floruit, quam ſe cum Etherio Epiſcopo adiiſſe narrat Beatus adverſus Elipandum ſcribens, quo in itinere acceperat contra ſe ſcripſiſſe Elipandum, quare communi conſilio contra eumdem Elipandum ſcribere decreverunt. Ut his verbis Beatus Abbas teſtatur. *Cumque nos ad Fratrem fidelem non litterarum illarum compulſio, ſed recens religioſæ Dominæ Adoſindæ perduceret devotio, audivimus illum libellum*, ſcilicet Elipandi, *adverſum nos, & fidem noſtram in cuncta Aſturia publice promulgatum*: Cui non ultra verbis tantum reſiſtere, ſed ſcriptis quoque decreverunt; libellus autem, de quo Beatus ibidem agit, erat Elipandi epiſtola ad Fidelem Abbatem Aſturicenſem, qua eum in ſuam ſententiam, ſeu hæreſim trahere conabatur, eamque anno ſequenti ſcripſit Elipandus, cum jam Feliciana hereſis, cui Elipandus Toletanus Epiſcopus aperte favebat, de qua anno proximo, ut ex his verbis initio libri primi indicat Beatus. *Legimus*, inquit, *litteras prudentiæ tuæ anno præſenti, non nobis, ſed Fideli Abbati menſe Octobri, in æra* 823. *clam ſub ſigillo directas, quas ex relatu veniſſe audivimus, ſed eas uſque ad ſextum hebdomadas Decembris minime vidimus*. Æra porro Hiſpanica 823. cum anno proximo 785. concurrit, quo ea Elipandus ſcripſerat. De quibus iterum anno ſequenti.

JE-

JESU CHRISTI an. 784. Hadriani Papæ 13.
Constantini Imp. 9. et 5. Irenes Imp. an. 5.
Caroli Magni Italiæ Regis 11.

Paulus CP. Epiſcopus ante obitum hæreſi Iconocl. renunciat.

1. Annus adeſt ſeptingenteſimus octogeſimus quartus, ſeptima indictione ſignatus, quo Orientalis eccleſia Iconoclaſtarum hæreſi diu fœdata, diroque ſchiſmate ab Occidentali divulſa, ex profundo barathro in quo hucuſque jacuerat, emergere cœpit, poſt Leonis Imp. obitum, dum Conſtantinus ejus filius, cum matre Irene imperaret, atque ut ait Theophanes in chronico. *Tunc temporis Deo quique devoti liberius eum colere, Verbum Dei propagari, qui ſalutem quærerent, hæreſibus nuncium mittere, Dei laudes efferri, aſſeri in libertatem monaſteria, bonum omne denique reparari. &c.* Quod antea vetitum, ac periculoſum erat; Hinc factum, ut ex mutuis concertationibus, veritas illuceſceret, cum præſertim, quam vellet quiſque opinionem, ſequi liceret. Quare qui hactenus pœnarum timore, aut dignitatum ſplendore capti, veritatem, ut ait Apoſtolus, *in injuſtitia* detinuerant, alacriores facti, ſe hactenus in errore fuiſſe teſtantes, ac catholicam fidem profeſſi, ſanctis imaginibus cultum exhibere cœperunt. Omnium primus fuit Paulus CP. Patriarcha, qui morbo correptus, ſuæ ſedi renuncians, in monaſterium ad agendam ibidem pœnitentiam, ſe recepit, ubi paulopoſt obiit, ut his verbis narrat Theophanes. *Menſis Auguſti die 31. eadem indict. 7. Paulus vir religioſus, & Patriarcha ſanctiſſimus in morbum incidens throno nuncium remiſit, & ad Flori Monaſterium ſe conferens, ibi Imperatrice propoſiti ejus inſcia, Monaſticum habitum aſſumpſit. Rei geſtæ notitiam ut habuit Imperatrix confeſtim eum cum filio convenit, ac querulis vocibus inſectata: Quid hoc, inquit, feciſti? Ille lachrymis perfuſus reſponſum ad eam dedit. Utinam Eccleſia Dei tyrannice adminiſtrata, & a reliquis thronis ea de cauſa reſciſſa, dirisque & execrationibus devota, in Sacerdotii Throno CP. numquam ego ſediſſem. Illa Patricios, & Senatus ſpectatiſſimos quoſque ad ſe primum accitos ad eum poſtmodum deſtinavit, quæ ipſe narraverat ore proprio audituros. Qui ad ipſos: Niſi Synodum, inquit, univerſalem coegeritis, & obtinentem apud vos correxeritis errorem,*

Jesu Chr. An. 784.

rem, nulla vobis ſupereſt ſalus. Reſponderunt ipſi. Cur ergo Patriarcha deſignatus inter ordinationis ſolemnia imagines te numquam adoraturum ſubſcripſiſti? Tum ille: Hæc, ait, lachrymarum mearum cauſa eſt: illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit; Deum deprecantem, ne me veluti Pontificem hucuſque mutum redditum, nec veritatem (ſolo inſaniæ veſtræ metu detentum) palam enunciantem corripiat. Inter has voces Paulus in pace obdormivit, magno de ſe tam Imperatrici, quam ceteris in Republica pietate conſpicuis viris luctu relicto. Hæc Theophanes, eademque Ignatius in vita Taraſii, qui hoc eodem deſinente anno, Paulo ſucceſſit, ut mox dicturi ſumus.

Teraſius CP. Patriarcha eligitur, & ordinatur.

2. Tam humili, publicaque fidei confeſſione edita a Paulo CP. Patriarcha, Irenes Imperatrix cum filio ſuo Conſtantino, totaque Imperiali aula commota eſt. Quare Imperatrix populum univerſum ad Magnauram congregatum his alloquta eſt verbis. *Quid Patriarcha Paulus egerit, fratres, noviſtis. At ſi diutius vixiſſet, non eum ſane monaſtico licet habitu indutum Præſulatus thronum deſerere permiſiſſemus. Verum quia Deo ita placitum fuit, ut vita decederet, nunc hominem diligentius perquiramus, qui nos paſtorali cura regere, & eccleſiam Dei verborum doctrina confirmare valeat.* His dictis cum omnium vota in unum Teraſium conſpirarent, ipſe ſolus electioni ſuæ, ac ordinationi reſiſtebat, cui cum Imperatrix juſſiſſet, ut rationem populo redderet, cur inaugurari Patriarcha refugeret, ſe tanti oneri ferendo imparem eſſe dixit, utpote laicum, ac in Palatii negotiis hactenus intentum, nam a ſecretis erat. *Qui fiet*: ait, *unquam, ut ego mundo innutritus, & plebi annumeratus, qui etiam in Imperii negotiis, & militia merui, ita poſſim abſque examine, & attenta diſcuſſione ad Pontificatus faſtigium me extollere*, atque eam dignitatem utpote ſupra vires ſuas, ſibi periculi plenam eſſe addidit, cum præcipue turbatam undique eccleſiam videret, atque non ſolum Occidentalem ob cultum ſanctarum imaginum ab CP., aliiſque diſſidere, ſed Orientales etiam inter ſe eadem de cauſa certare. *Ita ut nos ab iis omnibus alienati, a ſingulis ſeorſim per dies ſingulos anathemate perſtringimur*, quod ſane quam tremendum eſſet, ibidem ſubjicit, adnotans anathematis ſententiam Cœlorum Regno ejectionem ferre: Quapropter adſtantem populum hortatus

tatus eſt, ut ab Imperatoribus impetrarent Œcumenicum concilium celebrari, quo cauſa diſcuſſa, pax & concordia eccleſiis redderetur. Deinde addidit. *Quod ſi Imperatores noſtri rectæ fidei propugnatores, ut hæc petitio mea impleatur, juſſerint, ego quoque conſentio, eorumque mandata exequar, veſtramque electionem lubens amplector, ſin minus, id præſtare nequaquam mihi poſſibile eſt, ne anathemati ſubjiciar damnatuſque evadam in die Domini noſtri Jeſu Chriſti juſtiſſimi judicis, quo judicio neque Imperator, neque Pontifex, neque Principes, neque hominum numerus me exſolvere haud poterunt. &c.* Cumque omnes tam juſtæ Taraſii petitioni annuiſſent, in eo concilio de ſacrarum imaginum cultu præcipue agendum eſſe Taraſius adnotavit, cum abſque ullo eccleſiæ conſenſu, ſed tantummodo Leonis Imp. juſſu everſæ fuiſſent. *Quia ſola Imperatoris poteſtate*, inquit, *ſublatæ ſunt, totius rei ſumma & caput, iterum circa hanc quæſtionem verſatur, quod nimirum antiquam conſuetudinem in eccleſia traditam, ipſi, pro ut libitum ſibi fuit abolere auſi ſunt. Sed Dei veritas, ut hoc ſecundum Apoſtolum eloquar, non eſt alligata*. His geſtis, pactiſque conventis. *Menſis Decembris die quinto ſupra vigeſimum, eadem indictione octava religioſus pater noſter Taraſius CP. Patriarcha renunciatus eſt*, ait Theophanes, ac ſubdit *miſſiſque confeſtim ſynodicis ſuis litteris, & libello fidei ſuæ teſte, ab Hadriano Papa in eccleſiæ communionem admiſſus eſt*. At de his, aliiſque in eam rem geſtis, anno ſequenti, quo eas Hadrianus Papa recepit. Atque hæc eadem ex Theophane de Taraſii electione, ejuſque poſtulatione, ut Oecumenicum celebraretur concilium, hactenus adnotata, publicis litteris ad Patres in Nicæno 2. concilio congregatos teſtati ſunt Imperatores, ſe ſcilicet, quammaximam curam habuiſſe, ut in locum Pauli defuncti, is in ejus locum ordinaretur, qui tanta ſede dignus eſſet, ac contentionibus, diſſidiiſque in eccleſia Orientali excitatis finem imponeret, ac neminem Taraſio digniorem, cleri, plebiſque conſenſu inventum fuiſſe, cumque is tanto oneri ferendo imparem ſe eſſe teſtaretur, ac electioni ſuæ reſiſteret. *Contemplatus noſtram inſtantem, & urgentem ſedulitatem, cauſam recuſationis nobis renunciavit*. Turbas ſcilicet in eccleſia ob Iconoclaſtarum hæreſim excitatas, ac ſe nonniſi ea conditione conſenſurum, ut pro iis finiendis Oecume-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 784.

cumenicum concilium celebraretur. *Huic igitur petitioni, annuere tam viſum eſt, meoque nutu juſſi convenire*, ait Imperator rationem reddens, cur eos ad ſynodum convocaverit. Inſperatæ autem converſionis gloria Teraſio primum debetur, in cujus electione, utpote hominis laici, etſi aliquale ſacris canonibus vulnus inflictum fuit, quibus prohibitum erat, ne laici homines per ſaltum ad Epiſcopatus ordinem promoverentur, urgente tamen cauſa factum, ſicut olim in Ambroſio cathecumeno, Hadrianus Papa probavit. Ceterum etſi ex laico Taraſius ad Sacerdotium promotus fuit, Sacerdotalibus tamen moribus exornatus erat, cui ex ingenita nobilitate fulgor acceſſit. Etenim, ut auctor eſt Ignatius in ejus vita, ex Patricio ortus erat genere, patre Georgio Præfecturam urbanam egregie adminiſtrante, matre vero Eucratia nobiliſſima, piaque fœmina. Ipſe vero Teraſius conſulari dignitate auctus, ob eruditionem, morumque præſtantiam a ſecretis Imperatori inſerviebat.

Taraſii genus, & vitæ inſtitutio.

Hæretici, & præſertim milites Taraſii inaugurationi reſiſtunt.

3. Inaugurationi autem Taraſii in CPolitanam ſedem etſi faverent Imperatores, cum clero, & populo, non defuerunt tamen, qui ejuſdem electioni adverſarentur, ii nimirum, qui Iconoclaſticæ hæreſis propugnatores erant, atque ex his milites præcipue, ut in ejus vita narrat Ignatius. *Imperatoribus aſſentiebatur quidquid erat optimum, & præſtantiſſimum in ſacro Senatu divinus plane cœtus, ut qui omnino ſcirent, virum in omnibus perfulgentem & dignum &c.* Quotquot vero hæreticam redolebant pravitatem, communibus ſuffragiis repugnabant, ait is auctor, qui de vitæ innocentia ſanctiſque moribus Theraſii plura ibidem addit Ignatius in ejus vita, de cujus geſtis, & pro catholica fide ſuſceptis certaminibus, quamplurima inferius dicenda ſuperſunt.

CaroliM. geſta in Saxones, & victoria Caroli junioris adverſus Veſtfalos.

4. Hoc etiam anno in rebellantes Saxones arma Carolus intulit, eorumque temeritatem repreſſit, ut Annaliſtæ Petavianus, & Maſciacenſis habent. Veſtfalos in belli ſocietatem Saxones advocaverant, quos etiam Carolus, miſſo contra eos filio ſuo Carolo proſtravit, ut Annaliſta Loiſellianus his verbis refert. *Tunc Dominus Carolus Rex iter peragens, Rhenum tranſiit ad Lippiam, & ingreſſus eſt Saxoniam circumeundo & vaſtando, uſque dum pervenit Huculin. Ibi conſilio inito, eo quod nimium inundationes aquarum fuiſſent, ut per Thuringiam de Orientale parte introiſſet ſuper Oſtfa-*

Oſtfaloos, & filium ſuum Domnum Carolum dimiſiſſet una cum ſcara contra Vveſtfalos. Quod ita factum eſt. Domnus Rex Carolus perrexit per Thoringiam uſque ad fluvium Albiam, & inde ad Strangfurd, & inde ad Soaingi. Ibique conventione facta, reverſus eſt in Franciam ſupradictus glorioſus Rex. Vveſtfalii vero voluerunt ſe congregare ad Lippiam. Quo audito ſupradictus filius Domni Caroli Regis obviam eis acceſſit una cum ſcara, quæ cum ea dimiſſa fuit in pago, qui dicitur Dragini, & inierunt bellum; Auxiliante Domino, Domnus Carolus filius Magni Regis Caroli Victor extitit una cum Francis, multis Saxonibus interfectis. Volente Deo inlæſus remeavit ad genitorem ſuum in Vvarmatiam Civitatem, ibique inito conſilio cum Francis, ut iterum hyemis tempore iter faceret ſupradictus Domnus Rex in Saxoniam. Quod ita & factum eſt. Et celebravit Natalem Domini juxta SKidrieburg in pago Vvauſananga ſuper fluvium Ambra, in villa Luidi. Hæc de Caroli geſtis hoc anno. Id porro mirum in Veſtfalorum victoria fuit, ait Mabillonius, quod Carolus Regius puer octennis cum patre de Saxonibus, & Veſtfalis triumphavit. At majoris ætatis eum tunc fuiſſe adnotat Pagius, ac ſaltem duodecim annos habuiſſe probat, in lucem quippe anno 772. venerat, quæ ætas certe tractandis armis aptior eſt. De eadem etiam Caroli junioris expeditione adverſus Veſtfalos, & victoria, multa quidem & mira de Brunone quodam chriſtiano milite, tamquam ex Ludgero addit Baronius, quæ utpote dubiæ fidei, ne fabuloſa dicam, conſulto præterimus.

Jesu Chr. an. 784.

5. Hadriani Papæ epiſtolas quatuor ad Carolum Magnum datas hoc anno refert earum editor Cennius, quarum prima, acceptis ab Carolo litteris per Poſſeſſorem Archiepiſcopum ab eo miſſis, quibus monachorum cauſam monaſterii Volturnii in Campania prope Beneventanum cum Abbatibus ſuis Autberto, & Potone ſedis Apoſtolicæ judicio committebat. Carolo reſpondens Hadrianus narrat, ſe monachorum accuſationes coram Abbatibus plurimis ad id convocatis, præcipuiſque Romani cleri, Theophylacto ſcilicet bibliothecario, Stephano Sacellario, Campulo Notario, Theodoro duce, & ceteris pluribus, accepiſſe, falſaſque inveniſſe. Cumque Autbertus in itinere repentina morte ſublatus, judicio ſe ſiſtere non potuiſſet, criminationibus objectis Potho-

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum, qua Pothonis Abbatis cauſa committitur.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 784.

tho Abbas e contra pleniſſime ſatisfecit. Ei quippe Radigauſus ejuſdem monaſterii monachus objecerat, quod verbis, & factis Francos injuria affeciſſet, eo quod dum ſextæ officium quadam die expleviſſent monachi, ac *ſecundum conſuetudinem pro Regis incolumitate ejuſque prole* pſalmum inchoasſent. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac &c. Potho Abbas ſurrexit, & pſallere noluit*. Inſuper eum Francis eouſque infenſum fuiſſe objecerat, ut niſi Carolus pro ſuo monaſterio & terra Beneventana faviſſet, Eum *ſicut unum canem habuiſſet, & iterum adverſus eum addit. Quia tanti ex Francis remanſiſſent, quantos ego in humero vedare*, ideſt ferre, *valeo*; quæ ſane maxima Carolo, Franciſque injurioſa fuiſſent. At adnotat Hadrianus Radigauſi monachi accuſationem recipi nequaquam potuiſſe, cum eum ſacri canones, ab ferendo teſtimonio repellerent, quem ſtupri cum nepte ſua, & inceſti reum fuiſſe, monachi probaverant, eaque de cauſa ex Presbytero monachus, effectus erat, ut pœnitentiam ageret, quare cum is ad teſtimonium ferendum incapax eſſet, tum aliorum monachorum teſtimonio, cum juramento adhibito, ſeſe Potho Abbas, ab impactis criminibus liberaſſet, cui etiam alii decem monachi, quinque ex genere Longobardorum adſtipulati fuerant, teſtantes, *ſe numquam ex ore Abbatis audiſſe infidelitatem adverſus veſtram Regalem excellentiam*. Ad id vero quod Pothoni etiam objecerant, quod monachos ad Regem ire cupientes, comprehendi fecerit, ac in carcerem miſiſſet; his verbis factum ſuum Potho Abbas excuſavit. *Veritas eſt, quia cuſtodes habui in ponte, non ut eos, qui ad Regem irent, devetantes, ſed eos, qui ſuam regulam relinquunt, & ad ſuum vomitum in ſeculo, peccato imminente revertunt, eos comprendere juſſi, & tunc, quando dicunt*, rem geſtam fuiſſe, *ibidem minime fui, ſed ad magnum Regem iter carpebam*. Hæc, & alia in eam cauſam Hadrianus.

Epiſcopis, & Prrsbyteris ad bella ire prohibetur.

6. Alia ab Carolo per Garamannum glorioſum Ducem, accepta epiſtola, de ejuſdem ſoſpitate & victoriis primum gratulatur, cumque abuſus nonnullos in Galliis irrepſiſſe, ab Joanne Presbytero & monacho didiciſſet Hadrianus, ut emendarentur Carolum hac altera epiſtola rogat, ne ſcilicet homines liberi captivi ducerentur, aut retinerentur, præcipue vero Carolum admonet, ne Epiſcopos, vel Presbyteros, arma in bello ferre permitteret. *Sed quoſcumque in quo-*

quolibet deferri cupit loco, inquit, *tam Epiſcopi, quam Presbyteri, orthodoxæ fidei galeam, & ſalutis induti arma orationibus vacare graviter ſtudeant, ut cuncto populo ea, quæ pro ſalute animæ ſunt, ſpiritale gerant officium*. Hæc ad Epiſcopos, & Presbyteros, *qui caſtra ſequebantur agere jubet Hadrianus*. *Ceteri vero Epiſcopi, atque Presbyteri in eorum degentes eccleſiis, canonice unuſquiſque per veſtrum regale robuſtiſſimum præſidium ſuum valeant regere populum a Deo ſibi commiſſum*. Monachum deinde quemdam Joannem dictum, ad ſe miſſum, qui revelationem quamdam ſe habuiſſe narraverat, ſeu potius ſomniaverat, hæc quidem ſpernenda eſſe admonet Hadrianus, ac ſe eum illæſum in ſuum remiſiſſe monaſterium addit, cui meritas ob impoſturam ab eo vulgatam pœnas remiſerat, eo quod eum Hadriano Papæ Carolus commendaverat, cui cum in omnibus gratificari ſtuderet Hadrianus, liberum dimiſit. *Pro eo veſtra popoſcit regalis potentia, ut nequaquam a nobis condemnaretur, anathematizaretur, vel flagellaretur, neque aliquam adverſitatem ei faceremus, quatenus in his omnibus veſtræ accomodantes regali petitioni, in quantum neceſſe fuit, ipſum admonuimus monachum, atque in proprium ſuum locum illæſum abſolvimus. Nam ſi veſtrum illi non profuiſſet regale adminiculum, eccleſiaſticam illi diſciplinam canonice inferrentes, ſicut monacho Cyrillo a nobis correcto & emendato, monachicam regulam illi demonſtrare irreprehenſibiliter habuiſſemus. Ob nimium vero amorem veſtrum, cum magna patientia, atque benignitate ſuſceptus, commonituſque, ultro citroque divinis præceptis in pace abſolutus eſt*. Hæc, & alia ibidem ad Carolum Hadrianus Papa. Jesu Chr. an. 784.

7. Epiſtola ſequenti ut Monaſterium S. Hilarii in Galligata dicti, ac in Alpibus conſtitutum, una cum hoſpitalibus, pro peregrinorum ſuſceptione erectis, in ſuam tutelam reciperet Carolum rogat, ac ut a vexationibus, quibus ab Lundibrando Duce civitatis Florentinæ vexabatur, tutaretur, hortatur, & ut ab eo in Curte Saſantina in territorio Florentino ablata reſtituenda juberet, excitat, ut ibidem videre eſt, ac tandem hac altera epiſtola cum iterum litteras ab Arvino duce ſibi delatas accepiſſet Hadrianus Papa, quibus Carolus M. ab eo petierat, ut, *Palatii Ravennatis civitatis muſiva, atque marmora, ceteraque exem*- Monaſterium S. Hilarii in Calligata Carolo commendat.

Jasu Chr. an. 784. *pla*, ſive ſtatuas *tam in ſtrato, quamque in parietibus ſita vobis tribueremus. Nos quippe libenti animo, & puro corde cum nimio amore veſtræ Excellentiæ tribuimus effectum, & tam marmora, quamque muſivum, ceteraque exempla de eodem Palatio vobis concedimus auferrenda &c.* pro duobus deinde equis ſibi miſſis gratias agit, cumque eorum alter in itinere mortuus eſſet. Alteros ſubdit Hadrianus. *Famoſiſſimos emittite equos, qui ad noſtram ſeſſionem facere debeant, in oſſibus atque plenitudine carnis decoratos, qui dum in omnibus aſpectibus laudabiles exiſtunt, veſtrum præfulgidum triumphis laudare valeant nomen, & pro hujuſmodi re, ſicut ſoliti eſtis, dignam ab ipſo Dei Apoſtolo ſuſcipere valeatis retributionem &c.* Ex hac autem epiſtola, Ravennatenſem Exarchatum, una cum ipſa Metropoli Ravenna, in pleniſſimam Romanæ eccleſiæ poteſtatem fuiſſe, ſole clarius patet. Dum ipſe Rex Carolus ab Hadriano marmora, & Muſiva Ravennatenſia, ſibi pro gratia dari poſtulavit. At de his hactenus.

Fulradi Abbatis obitus. 8. Hoc Chriſti anno 784. Fulradus Abbas Dionyſianus, tum ob res pro eccleſia præclare geſtas, cum ob vitæ ſanctitatem præclarus, vivere deſiit, qui multorum monaſteriorum in Galliis fundator, ac legationibus ſub Pippino, & Carolo Magno apud Romanos Pontifices obitis, celeberrimus fuit ac apud eos tantæ auctoritatis, *ut Capellanus Palatii, Franciæ Archipresbyter, Paſtor ſacræ Capellæ* fuerit, ut in epiſtolis Bonifacii Mogontini Epiſcopi ad eum datis ſcimus, & præcipue ex epiſtola 92., cujus vitam, & præclara geſta Mabillonius, & Henſchenius narrant. Diem obitus exhibet vetus Necrologium Dionyſianum his verbis 17. *Kal. Aug. obiit Domnus Fulradus, noſtræ congregationis monachus, & Abbas*: cujus etiam laudes proſequitur Alcuinus in epitaphio ejus ſepulchro inſcripto in eccleſia Dionyſiana, quam ipſe inſtauraverat, ubi inter plurima, hæc leguntur.

Presbyter egregius valde, & venerabilis Abba,
Strenuus actu, opere, pectore, mente pius.
Corpore Fulradus tumulo requieſcit in iſto
Notus in orbe procul, noſter in orbe Pater &c.

9. Di-

Jesu Chr. an. 785. De dignitate & officiis Archicappellani.

9. Dignitas porro Archicapellani, qua apud Pippinum & Carolum Magnum functus eſt Fulradus, maxima in aula erat, ac primum ubique locum ſupra Archiepiſcopos, & Epiſcopos etiam in ſynodis locum tenebat, ait de Marcha. Is quippe rebus eccleſiaſticis in toto Regno præerat, ſicut Palatii Præfectus rebus ſecularibus, ut docet Adalardus apud Hincmarum epiſtola 14. cap. 19. ubi is auctor narrat duos in Palatio fuiſſe primos adminiſtros, e quibus totius Regni negotia pendebant, Capellanum ſcilicet, & Comitem Palatii. *E quibus præcipue duo, ideſt Apocryſarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii cuſtos, de omnibus negotiis eccleſiaſticis, vel Miniſtris eccleſiæ, & Comes Palatii de omnibus ſecularibus cauſis, vel judiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habebant, ut nec eccleſiaſtici, nec ſeculares, prius domnum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quouſque illi præviderent ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante Regem merito venire deberet.* Deinde ſummi Cappellani munus in iis verſari docet, quæ pertinent ad officia eccleſiaſtica, vel judicia in Palatio procuranda. Unde ſubdit. *Apocryſarius quidem*, ſeu Cappellanus, *de omni eccleſiaſtica religione, vel ordine, nec non etiam canonica, vel monaſtica altercatione, ſeu quicumque Palatium adibant pro eccleſiaſticis neceſſitatibus, ſollicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis Regem adirent, quæ ſine illo plenius definiri non potuiſſent.* Ii porro cum maxima apud Francorum Reges auctoritate pollerent, Romanæ eccleſiæ Apocryſarii officio non ſemel perfuncti ſunt, quos Romani Pontifices, ut res Rom. eccleſiæ curarent, rogabant. Unde non ſemel contigit, ut Regis Archicapellanus, Apocriſarius quoque Papæ fieret. Hi autem in Francia viſi non ſunt ante Gregorii III. Pontificatum, qui per Nuncios ſeu Legatos aut Apocriſarios ſuos apud Carolum, penes quem Franciæ tunc omnis adminiſtratio erat, bis egit anno 741. ut rejecto Longobardorum fœdere, partes Imperatoris amplecteretur, & auxilio conſilioque Romanis eſſet. Qui Romanum Pontificatum poſt Gregorium III. geſſerunt, ii frequentius Nuncios direxerunt in Franciam, reſque eo devenit, ut præter Legatos, qui pro novis cauſis emergentibus Roma mittebantur, Apocriſarius Apoſtolicæ ſedis in Comitatu Regis aſſidue maneret, nec raro id muneris a Romano Pontifice

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 754. collatum eſt ei, quem Rex Archicapellanum Palatii ſui conſtituerat, inquit Cointius hoc anno num. 8. ubi plura de Archicapellanis habet, quos etiam Magnos Eleemoſynarios nunc paſſim vocantur. Fulrado in Præfectura monaſterii Dionyſiani Maginarius ſucceſſit, legationibus apud Hadrianum Papam celebris, & teneris ab annis a Fulrado enutritus, ut teſtatur Alcuinus in Maginarii epitaphio, ex quo intelligimus eum non diu, hoc eſt octo circiter annis, Dionyſiano monaſterio præfuiſſe, & florente adhuc ætate e vivis ſublatum, ad magiſtri pedes, ſeu Fulradi ſepultum fuiſſe, ut adnotat Mabillonius in Annal. an. 784.

Felicianæ hæreſis origo, & errores.

10. Dum in Galliis Caroli Magni pietate, & induſtria res eccleſiaſticæ quam maxime florerent. In Hiſpania, ubi jamdiu Maurorum ſeu Seracenorum irruptione, in deterius ita abierant, adeo ut in maxima Hiſpaniarum parte vix chriſtianæ ac catholicæ fidei reliquiæ ſupereſſent, vehementer hoc tempore ob hæreſim Felicianam, ab auctore ſuo Felice Urgellitanæ eccleſiæ Epiſcopo ſic dictam, turbatæ ſunt, cui cum Elipandus Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus & Hiſpaniarum Primas, cum aliis ſubſcripſiſſet, quamplurimi aut ſanctitate vitæ, qua Felix Urgellitanus commendabatur, aut Elipandi auctoritate decepti, in errorem incidere. Quare de Felice adnotavit Agobardus. *Qui incaute admirantes vitam prædicti Felicis probanda putabant cuncta, quæ dixerat, neſcientes quia non ex vita hominis metienda eſt fides, ſed ex fide probanda eſt*. Atque ita in Hiſpania accidit, quod futurum Iſraelitico populo prædixerat Joel Propheta. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo*. Siquidem in Hiſpania catholicæ fidei reliquias hæreſis Feliciana pene deſtruxiſſet, niſi cito viri pietate & doctrina celeberrimi occuriſſent, ex Hiſpanis ſcilicet Etherius Uxomienſis Epiſcopus, & Beatus in Aſturienſi provincia Abbas, in Galliis doctiſſimus Alcuinus, & ex Italis Paulinus Aquilejenſis Epiſcopus, de quibus ſuo loco infra dicturi ſumus. Hujus hæreſis initia etſi ad annum uſque 792. diſtulerit Natalis Alex, huic tamen ejuſdem ortum, & propagationem alligandam eſſe paſſim eruditi viri contendunt. Pagius nempe, Mabillonius, Frobenius Ratiſbonæ Abbas S. Emeranni noviſſimus operum Alcuini editor, in diſſertatione hiſtorica de hæreſi Elipandi, & Fe-

Digitized by Google

& Felicis, ut ceteros, qui de eadem hæreſi tractarunt, prætereamus Valchium ſcilicet in tractatu de hæreſi Adoptiana, Jacobum Baſnagium tomo 2. monumentorum Caniſii pag. 284. utrumque acatholicum, e noſtris veto eruditum virum Joannem Madriſium Utinenſis Congregationis Oratorii presbyterum in diſſertatione, operibus Paulini Aquilejenſis Epiſcopi, adjecta. Id vero inde manifeſto patet, quod anno proximo de eadem hæreſi hinc inde ſcripta prodierint, etenim Etherius Epiſcopus, & Beatus Abbas, Elipandi epiſtolam, ad Fidelem Abbatem datam, confutare aggreſſi ſunt, anno æræ Hiſpanicæ 823. quem cum anno ære vulgaris 785. concurrere anno ſuperiori diximus. Quamobrem cum ex Hiſpaniis ejuſdem hæreſis rumor Romam uſque delatus eſſet, ut ab ea caverent, Hiſpanos Epiſcopos Hadrianus Papa, data ad eos epiſtola, anno proximo admonuit.

Feliciana, & Elipandiana hæreſis ex Neſtoriana progenita.

11. Primus infauſtæ hæreſis auctor Felix Urgellæ Epiſcopus omnium fere conſenſu habetur, qui ab Elipando Toletano Archiepiſcopo litteris, ſeu ſcripto interrogatus, num Chriſtus Jeſus ut homo pro nobis factus, Dei filius naturalis, an adoptivus dicendus eſſet. Adoptivum eum fuiſſe reſpondit, ut narrat Eginhardus in annalibus ad annum 792. his verbis. *Felix natione Hiſpanus, ab Elipanto Toleti Epiſcopo per litteras conſultus, quid de humanitate Salvatoris Dei, & Domni Jeſu Chriſti ſentire deberet, utrum ſecundum id, quod homo eſt proprius, an adoptivus Dei filius credendus eſſet, valde incaute & inconſiderate, & contra antiquam eccleſiæ catholicæ doctrinam, adoptivum non ſolum pronunciavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris, pertinaciſſime pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit*. Eginhardo conſentit Jonas Aurelianenſis libro primo de imaginibus. Quinam autem ii libri Felicis fuerint, quibus errorem ſuum tuebatur, nullibi conſtat, mirumque ſane eſt, ex tot ſcriptoribus, qui adverſus Felicem, ejusque hæreſim hoc eodem tempore ſcripſerunt, neminem eoſdem libros confutaſſe, aut ipſimet Felici exprobraſſe. Quidquid tamen de hoc ſit. *Hoc certe dandum eſt*, ait editor operum Alcuini, *vetuſtis illis, & coevis annalium ſcriptoribus, Elipandum a Felice per litteras, cujus eſſet in hoc dogmate opinionis, ſiſcitaſſe, ab eodemque reſponſum ſibi arridens accepiſſe*.

12. Eli-

Jesu Chr. an. 784. Felix & Elipantus hæreſis auctores.

12. Elipandus vero ex reſponſione a Felice accepta, in præconcepto jam antea errore confirmatus, eumdem liberius in publicum prodere non dubitavit, cumque hinc inde de eadem in Aſturicenſi provincia quæſtiones agitarentur, ad Fidelem, Elipantus Epiſtolam dedit, ut eum cum monachis ſuis, in ſuam traheret ſententiam. Quare hæreſis, quæ hactenus verbis tantum, privatiſque colloquiis ferebatur, variaſque quæſtiones iis in provinciis, & præcipue in Aſturiis pepererat, in publicum tandem, ex Etherii & Beati ſcriptis prodiit, quibus epiſtolam ad Fidelem Abbatem Elipantus appoſuit, qua non ſolum opinionem ſuam tuebatur, ſeu hæreſim, ſed etiam in adverſarios ſuos convicia adjecit, nam Beatum Abbatem, *Silveſtrem* vocat, eo quod ſylvis & ſolitudine delectaretur, gloriatur præterea ſe Archaricum Bracharenſem Epiſcopum, qui ipſum de hujuſmodi quæſtione conſuluerat, ad ſuas partes traxiſſe, correxiſſeque Migetianos Hiſpalenſes in celebrando Paſchate errantes, quos in Bæticæ finibus viguiſſe dicit, auctore Migetio, ac ejus diſcipulo Egila, quos epiſtola ſua 97. Hadrianus Papa coarguit, Beatum Abbatem Alcuini magiſtrum vocat, eo quod in confutanda hæreſi præceſſerit, viamque monſtraverit. *Nam ſicut magiſter tuus*, ait Elipandus, *fætidus & horribilis maculavit Libanam*, ideſt regionem Liebanam apud Aſtures, *ita tu Regnum Regnorum Auſtriam*, ideſt Franciam. Rurſum quod ſe non interrogaverint, ac tanquam oraculo ſuæ auctoritati ceſſerint, ſuperbus Elipantus in citata ad Fidelem epiſtola, his verbis conqueritur. *Non me interrogant, ſed docere quærunt Iſti modo, & contraria dicendo, modo quaſi ignorantem me, quid rectum ſit, noluerunt interrogare, ſed docere &c.* Hæc & alia ibidem Elipantus, præ ceteris & dignitate, utpote Toletanus Epiſcopus, præſtans, & in defendenda hæreſi obſtinatior, quæ cauſa fuit, cur ejuſdem hæreſis quoque auctor cum Felice habitus ſit, ac Feliciana, æque ac Elipandiana dici potuerit. Cujus, ut diximus, palmariis, & præcipuus error in eo erat, quod affirmarent Jeſum Chriſtum, hominem pro humani generis ſalute factum, Dei filius naturalem dici non poſſe, nec debere, ſed tantum adoptivum, hinc cum Arianis conſentiebant, dum Dei filium, in omnibus Patri æqualem non eſſe aſſerebant. Neſtorianis vero potiſſimum quod duos in Chriſto Jeſu Dei Filios confiteri

teri cogebantur, quorum alter ut Deus Dei filius naturalis eſſet. Alter vero utpote homo, filius tantummodo Dei adoptivus, ex quibus manifeſte ſequebatur utramque naturam, divinam ſcilicet, & humanam, nequaquam in una eademque perſona coaluiſſe, quod proprie Neſtorianorum dogma, Epheſina ſynodus anathemate confixerat, ut ex dicendis conſtabit, cum de ejuſdem hæreſis progreſſu, & condemnatione dicemus; nam cetera Felici, aut Elipanto quæ ab auctoribus coevis, objiciuntur, aut pravi dogmatis conſectaria ſunt, aut conjecturis innixa, quæ exponere non juvat. Cum autem latius eadem hæreſis ſerpere cœpiſſet, ejuſdemque rumor Hiſpaniæ limites excedens, ad Adrianum Papam perveniſſet, anno proximo Hiſpaniæ Epiſcopos ſuis litteris admonuit, ut ab ea per quam diligenter caverent. Felicem vero in hæreſim relapſum, Alcuinus exhortatoria epiſtola ab errore revocare conatus eſt, cui Felix *mox libellum non epiſtolari brevitate ſuccinctum, ſed ſermonum ſerie prolixum dirigere ſtuduit*, eodem Alcuino teſte. Interea cum ea de cauſa graviores in dies turbæ & quæſtiones agitarentur, ac Carolus magnus litteris etiam ab Elipanto, aliiſque Hiſpaniæ Epiſcopis accepiſſet, quibus hæreſim tueri conabantur, his excitatus, eam in concilio Francofordienſi anathemate percuti curavit ut anno 794. dicturi ſumus.

Jesu Chr. an. 785.

JESU CHRISTI an. 785. Hadriani Papæ an. 14.
Constantini Imp. 10. et 6. Irenes Imp. 6.
Caroli Magni Italiæ Regis 12.

Conſtantini, & Irenes legatio ad Hadrianum Papam.

1. Teraſium in locum demortui Pauli, CPolitanum Patriarcham, die 25. Decemb. anni proximi ordinatum fuiſſe diximus, qui cum ea tantum conditione Imperatorum, populique votis ceſiſſet, ut univerſalis indiceretur ſynodus, qua de ſacris imaginibus agitata jamdiu in Oriente quæſtio finiretur. Ut datam implerent fidem, Conſtantinus, & Irenes ejus mater, quarto Kal. Septemb. indictione octava, hoc anno, litteras ad Hadrianum Papam dedere, ac Conſtantinum Leontium in Sicilia, & Dorotheum Neapolitanum Epiſcopum Romam miſerunt, Pontificem enixe deprecantes, ut ad celebrandam Oecumenicam ſynodum CPolim tranſire, aut ſaltem illuc legatos ſuos mittere dignaretur, addebatque Con-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 785.

Conſtantinus ſe Leontium Epiſcopum direxiſſe *cum præſenti tua venerabili juſſione*, ac Stratego Siciliæ Præfecto juſſiſſe, *ut omnis requiei, & honoris veſtri curam habeat*. Hinc Teophanes, narrata Taraſii ordinatione ſubdit. *Miſſiſque confeſtim ſynodicis ſuis litteris, & libello fidei ſuæ teſte, ab Hadriano Papa in eccleſiæ communionem admiſſus. Imperatrix etiam ad eundem Papam miſit, qui ſuo nomine ab eo peterent, ut datis litteris homines, qui concilio adeſſent, delegaret. Papa vero Petrum eccleſiæ ſuæ œconomum, & monaſterii S. Sabæ Præpoſitum, viros honore præcipuos, & omni virtutum cultu ornatos deſtinavit*. Ac ad ſynodum alios quoque Patriarchas, Antiochenum ſcilicet, & Alexandrinum ab Imperatrice invitatos fuiſſe addit. *Et Antiochia quidem Joannem illum magnum virtute & doctrina celebrem, non levibus ſanctitatis indiciis fulgentem, Patriarchæ Antiocheni quondam Sincellum, & Thomam Alexandrinum virum religioſum, & pietate inſignem, qui prius in Illyrico magnæ civitatis Theſſalonicæ Archiepiſcopus claruerat, ex illis locis abduxerunt*. Ideſt legati ab Taraſio cum ſuis litteris ſynodicis illuc miſſi, Joannem ex Antiochia, & Thomam Alexandria Nicæam ad concilium deduxere, cum earum eccleſiarum Patriarchæ adeſſe non potuerint, utpote ſub Seracenorum poteſtate, ſeu potius tyrannide conſtituti. Taraſii quidem Synodales epiſtolæ de ordinatione ſua, cum ejus fidei libello perierunt, at ex Hadriani reſponſione ſcimus, eas a Leone Presbytero delatas fuiſſe. Quid illæ continerent, quidve reſponſi dederit Hadrianus mox dicemus, poſtquam de Imperatorum litteris præcipua ſaltem adnotata fuerint, quas latinitate donavit Anaſtaſius Rom. eccleſiæ bibliothecarius, una cum actis Nicæni concilii ſecundi, ejuſdemque ſynodi actis inſertæ ſunt,

Conſtantini Imp. epiſt. ad Hadrianum Papam.

2. Ipſarum hæc eſt inſcriptio. *Divalis ſacra a Conſtantino & Irene AA. ad Sanctiſſimum Hadrianum Papam ſenioris Romæ*. Hoc autem initium. *Qui a Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro ſuſcipiunt, ſive Imperii dignitatem, ſive principalis Sacerdotii honorem, debent, quæ illi placita ſunt & cogitare & curare, & creditos ſibi ab illo populos ſecundum ejus volontatem regere & gurbernare Ergo debitum nobis & vobis, o ſanctiſſimum caput, hoc eſt, ut irreprebenſibiliter quæ ejus ſunt ſapiamus, & in ſuis verſemur, utpote ab ipſo nos quidem Imperium, vos vero prin-*

cipalis

cipalis ſacerdotii dignitatem ſuſcipientes. Incipimus ergo hinc ſermonem. Scit veſtra beatitudo quæ pridem facta ſunt in hac noſtra regia civitate propter venerabiles imagines, qualiter qui ante nos regnaverunt, eas deſtruxerunt, & in dehoneſtitatem atque injuriam poſuerunt. Utinam illis non imputetur: melius enim fuerat non mittere manus ſuas in Eccleſiam: & omnem populum, qui hic eſt immo Orientalem, eodem modo ſeduxerunt, & in propriam voluntatem retraxetunt, uſquequo Deus ſuſcitavit nos regnare in his quæ in veritate gloriam ejus... & tenere quæ tradita ſunt ab Apoſtolis ſuis, & omnibus ſimul doctoribus. Ac ut concilium CPoli celebrandum præſentia ſua dignaretur, vel ſaltem legatos mitteret enixe hortatur, ſecuritatem omnem, & honorem eidem, vel legatis ſuis ſe exhibiturum promittens. *Eaque de cauſa Conſtantinum Epiſcopum Leontinum Chriſto amabilis Siciliæ noſtræ inſulæ, quem melius noſcit Paterna veſtra beatitudo, adduximus ad nos, & facie ad faciem loquentes, direximus cum præſenti noſtra venerabili juſſione ad vos. Qui cum venerit ad vos, continuo abſolve eum, ut remeet ad nos, ſcribens nobis per ipſum adventum tuum, quibus diebus habet moveri illinc, & proficiſci ad nos. Porro ſanctiſſimum Epiſcopum Neapolitanum omnino tenere debet, ut cum ipſo aſcendat huc. Etenim iter veſtram per Neapolim, & Siciliam habet fieri, & ſuper hoc Stratego Siciliæ juſſimus, ut omnis requiei & honoris veſtri curam habeat, quo veniat veſtra Paterna beatitudo ad nos. Data quarto Kalend. Septemb. Indictione Septima a regia urbe.* JESU CHR. AN. 785.

3. Cum in Sicilia perveniſſet Dorotheus Neapolitanus Epiſcopus, & Conſtautinus Leontinus cum his litteris ad Hadrianum ab Imperatore miſſi, neſcio qua de cauſa CPolim redierunt juſſu Strategi Siciliæ Præfecti, eorumque loco Imperatoris juſſu Romam delegati ſunt Theodorus Catanæ Epiſcopus, & Epiphanius legatus Archiepiſcopi Sardiniæ, qui Romam ingreſſi Imperatoris litteras Hadriano obtulere, cumque de Imperatoris Orthodoxia certiorem fecerunt. Conſtant hæc ex actione ſecunda Nicenæ ſynodi, in qua hæc narrantur. *Joannes magnificentiſſimus Logotheta dixit. Hæc noverunt & honoribiliſſimi Siculi, Deo amabilis Theodorus Catanenſium Epiſcopus, & qui cum eo eſt Reverendiſſimus Diaconus Epiphanius, qui locum tenet Archiepiſcopi Sardiniæ. Ambo* Hadriani Papæ epiſt. ad Imperatores.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 785.

bo enim per juſſionem piorum Imperatorum noſtrorum profecti ſunt Romam cum Reverendiſſimo Apocriſario Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri. Theodorus Deo amabilis Epiſcopus Catanæ dixit: pio Imperio jubente per honorabiles juſſiones ſuas, mittere Leonem Dei cultorem presbyterum, qui una mecum eſt ſervus veſtræ Sanctitatis (nempe Taraſii quem alloquitur Theodorus) *ſimul cum pretioſa Epiſtola Sacratiſſimi Domini mei, ille qui colit Sanctitatem veſtram, Siculorum ſcilicet meæ Provinciæ Strategus miſit me Romam cum pia juſſione Orthodoxorum Imperatorum noſtrorum. Qui abeuntes, pii Imperii eorum fidem & Orthodoxiam denunciavimus. Et Beatiſſimus Papa audiens dixit: Quia ſi in diebus Imperii eorum factum fuerit hoc, magnificare habet Deus piam Imperium eorum ſuper priora Regna. Hinc & ſuggeſtionem, quæ lecta eſt* (Epiſtolam nempe Hadriani Papæ datam VII. Kal. Novemb. Indict. IX.) *tranſmiſit ad pios Imperatores noſtros una cum litteris ad ſanctitatem veſtram*, ideſt ad Taraſium, ad quem ibidem Theodorus ſermonem habet.

Quanta cum lætitia Imp. litteras Hadrianus acceperit.

4. Hadriani autem epiſtola ad Imperatores fuſiori ſtylo ſcripta, hæc ſummatim continet. *Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Dominis piiſſimis ac beatiſſimis victoribus Imperatoribus &c. Conſtantino & Irene Auguſtis. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere &c. Quantum relationibus veſtræ piiſſimæ tranquillitatis ad nos venientium didicimus: etiam ipſo auditu nimis noſter exultans relevatus eſt animus; & totum jucunditatis gaudium in cor noſtrum aſcendit, ut lingua humana explicare nullus ſufficiat ſermo: quia nimirum magis nobis lætitia de veſtris juſſionibus nunc orta eſt, quam dudum pro ſchiſmaticorum hæreſi mæror affecerat. De his quippe in his venerandis juſſionibus veſtris referebatur, quæ pridem facta ſunt in veſtra regali civitate propter venerabiles imagines, quas, qui ante vos regnaverunt, deſtruxerint, & in inhoneſtate atque injuria poſuerint. Utinam illis non imputetur: melius enim fuiſſet non mittere manus in Eccleſiam eorum. Et quia omnis populus qui ibidem eſt, immo in Oriente modo erraverunt, & ſua voluntate uſi ſunt illis, uſquequo Deus erexit vos regnare, qui in veritate quæritis gloriam ejus, & quæ tradita ſunt a ſanctorum Apoſtolorum, & omnium ſimul magiſterio tenere, quibus reſervantes, & venerabiles imagines ad veſtrum piiſſimum Imperium laudabiliter exaratas reperientes,*

tes, atque hæreticorum abjicientes veſaniam, ſeu in divinæ examinationis judicio Principum, qui manus miſerunt in Eccleſiam, piaculum deputantes, veſtram a Deo promotam in triumphis Imperialem potentiam inſontem eſſe ab eorum ſævitia prorſus credidimus. Unde omnipotentis Dei clementiam exorantes referimus grates ſine fine, tenenteſque ea, quæ veſtra ſanxit & cœpit ſerenitas, conſtantes eſtote. Quod ſi perſeverantes permanſeritis in ea, quam cœpiſtis Orthodoxa Fide, & per vos partibus illis in priſtino ſtatu erectæ fuerint ſacræ & venerabiles imagines: ſicut piæ memoriæ Dominum Conſtantinum, & B. Helenam, qui Fidem Orthodoxam promulgarunt, atque ſanctam Catholicam & Apoſtolicam ſpiritualem matrem veſtram Romanam Eccleſiam exaltaverunt, & cum cæteris Orthodoxis Imperatoribus, utpote caput omnium Eccleſiarum, venerati ſunt: Ita veſtrum a Deo protectum clementiſſimum nomen, novum Conſtantinum, & novam Helenam habentes, per quos in primordiis ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia robur Fidei ſumpſit, ad quorum inſtar vibrantiſſime, ac in toto orbe terrarum veſtra optatiſſima in triumphis Imperialis fama laudabiliter divulgatur. Magis autem ſi Orthodoxæ Fidei ſequentes traditiones, Eccleſiæ B. Petri Apoſtolorum Principis amplexi fueritis cenſuram, & ſicut antiquitus veſtri prædeceſſores ſancti Imperatores egerunt, ita & vos eam honorifice venerantes, ejus Vicarium ex intimo dilexeritis corde, poſtquam veſtrum a Deo conceſſum Imperium eorum ſecutum fuerit Orthodoxam, ſecundum ſanctam Romanam noſtram Eccleſiam, fidem, ipſe Princeps Apoſtolorum, cui a Deo ligandi, ſolvendique peccata in cœlo & in terra poteſtas data eſt, crebro vobis protector exiſtens, omneſque barbaras nationes ſub veſtris proſternens pedibus, ubique vos victores oſtendet. His nonnulla de Romanæ eccleſiæ primatu, & dignitate ſubdit, in qua imaginum cultum perpetuo viguiſſe pluribus declarat, eumdemque uti licitum ac Religioſum habitum perpetuo fuiſſe apertiſſime, oſtendit, ac Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmat Gregorii Niſſeni, Baſilii, Joannis Griſoſtomi, Cyrilli, Athanaſii, Ambroſii, Stephani Boſtrenſis Epiſcopi, & Hieronymi, quibus per plura expoſitis ſubdit. *Itaque hæc ipſa piiſſimi ac tranquilliſſimi Domini, prædicta teſtimonia ſanctorum Patrum tranſcripſimus breviter, ſed & divinæ ſcripturæ utriuſque Teſtamenti teſtatur hiſtoria de divini*

JESU CHR. AN. 785

cultus obſervatione, quod ad laudem Dei in Eccleſiis in memoriam piæ operationis, Dei nutu conſtituta ſunt, ſecundum traditionem ſanctorum Patrum. Sed & de ſtatu ſacrarum imaginum etiam a divinæ ſcripturæ hiſtoria ſatis promulgata ſunt, quemadmodum in hujus Apoſtolicæ ſuggeſtionis ſerie a Deo corroboratæ ſerenitatis veſtræ potentiæ, cum omni humilitate & ſinceritate cordis ſtuduimus intimare: unde & quod in diverſis & probabilibus Patrum teſtimoniis, qui ipſas ſacras imagines ſtatuerunt, ſubtiliter videri poteſt, ſicut in eorum libris reperimus, veſtræ clementiſſimæ potentiæ fore ſtuduimus intimandum, deprecantes cum magna cordis dilectione manſuetiſſimam veſtram clementiam, & tamquam præſentialiter humo ſtratus, veſtris veſtigiis provolutus, quæſo, & coram Deo depoſco & adjuro, ut eaſdem ſacratiſſimas imagines in ipſa a Deo conſervata regia urbe, & cæteris Græciæ partibus, in priſtinum ſtatum reſtituere & confirmare jubeatis, obſervantes traditiones hujus ſacroſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, abjicientes & reſpuentes antiquorum hæreticorum calliditatem, ut in hujus noſtræ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ac irreprehenſibilis Romanæ Eccleſiæ ulnis ſuſcipiamini. Hactenus quæ recitata ſunt in Actione ſecunda Nicæni Concilii, cum alioqui ipſa epiſtola ſit prolixior, pluraque habeat de ordinatione Taraſii præſumpta (ut videbatur) contra ſacros canones. Omiſſa ſunt ea referri in ſancta Synodo, quod ad rem non pertinerent, & potuiſſent præſentes Epiſcopos contra eumdem Taraſium concitare, quod inopportunum ſatis eſſe tunc videbatur. Anaſtaſius igitur, qui ipſam integram epiſtolam ex antiquo codice reſtitutam recitat, iſta ſubjicit: *Ab hinc uſque ad finem hujus epiſtolæ codex Græcus non habet: Græci namque, quia eodem tempore ex laicis Conſtantinopolitanus fuerat Patriarcha factus, ne publice ab Apoſtolica Sede argui videretur; & adverſus eum tamquam reprehenſione dignum hæreticis repugnandi occaſio præberetur, ac per hoc Synodi cui intererat, utilitas excluderetur: quæ ſive de non facienda laicorum promotione, ſive de cæterarum præſumptionum redargutionibus, in ſynodo nec recitari, nec actis inſeri paſſi ſunt.* Hucuſque Anaſtaſius, pergit vero ea exponere, quæ Hadrianus Papa litteris ſuis addiderat, ac primo, ut pſeudoſynodus CPolitana adverſus cultum ſanctarum imaginum olim celebrata coram legatis ſuis, ab Imperatore ceteriſ-

teriſque anathematizaretur, jubet. Deinde ut patrimonia Romanæ eccleſiæ ab Græcis uſurpata reſtituerentur, tertio ut Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, qui Romani Pontificis poteſtati ex antiqua conſuetudine ſuberant, ab ejuſque jurisdictione avulſi fuerant, ejuſdem poteſtati redderentur, ac tandem ut ab Oecumenici titulo CP.Epiſcopus abſtineret, præcepit Hadrianus Papa, iiſque conditionibus Romanæ eccleſiæ communionem & pacem CPolitanæ, ceteriſque Orientalibus ſe reſtituturum fore pollicetur, ac legatos ſuos litterarum harum delatores Petrum ſcilicet Archipresbyterum, & Petrum Abbatem atque Presbyterum monaſterii ſancti Sabæ Imperatori commendat, hæc & alia ibidem, quæ utpote ad quæſtionem in Nicæna ſynodo de imaginum cultu agitata, aliena, prætermiſſa ſunt. At ab Anaſtaſio in ſua verſione litterarum Hadriani relata. Ac data dicitur ſeptimo Kal. Novemb, Indictione nona. Jesu Chr. an. 785.

5. Cum legatis Imperatoris Conſtantini ad Hadrianum Papam, Leonem Presbyterum ad eumdem Pontificem cum litteris ſuis miſit Taraſius cum ſynodicis de ordinatione ſua litteris, & cum catholicæ fidei profeſſione, ſeu libello, ut ſupra ex Theophane adnotavimus, Theraſii quidem litteræ non extant, ſed ex Hadriani epiſtola, ad Taraſium data hæc conſtant, quæ hanc præfert inſcriptionem. *Dilecto fratri Taraſio Patriarchæ, Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, atque hæc præfatur, *Paſtoralibus curis quibus convenit nos paſcere populum Dei, & ſubtiliſſimis cogitationibus perpendentes, quemadmodum prædicationis vox ſana a præcone in omni tempore debeat prædicari, & qualis paſtor in compaſſione, & qualis in converſatione debeat eſſe, ut omnibus proximus in compaſſione fiat, & cunctis converſatione inſignis: quatenus & piam miſerationem ad ſe omnium infirmitatum transferat, & ipſe per ſummum reſpectum ſui ad divina tranſcendat: conſideravimus veſtræ dilectæ ſanctitati ſacra affari concordia, & ſubtiliter verbum manifeſtare in ſynodicis confeſſionis veſtræ fidei, quæ Apoſtolicæ Sedi noſtræ directa ſunt per Leonem reverendiſſimum prasbyterum veſtrum. Invenimus in initio primæ paginæ reverentiam veſtram ex laico ordine, & Imperatoria adminiſtratione ad ſacri gradus ſublimatam eſſe faſtigium, & vehementer in his anima noſtra mirata eſt, & niſi veſtram ſinceram & Orthodoxam fidem in prædictis Synodocis ſacri ſymboli ſecundum ritum ſanctarum ſex univer-*

Taraſii ad Hadrianum litteræ, & Hadriani ad Taraſium.

Jesu Chr. an. 785. *verſalium Synodorum, & de venerabilibus imaginibus bene te inveniſſemus habere, nullatenus auderemus hujuſcemodi obaudire Synodica, ſed quantum cor noſtrum triſtabatur de inepta veteri ex nobis diſtantia, tanto confeſſionem, & rectam fidem veſtram anima noſtra inveniens, lætata eſt. Invenimus autem in prædicta ſynodica epiſtola ſanctitatis veſtræ, poſt plenitudinem fidei & confeſſionem ſacri Symboli, & omnium ſanctarum ſex Synodorum, & de ſacris ac venerabilibus charaTeribus, miraculum laude ac veneratione digniſſimum contineri. Quin & ea quæ ſunt ejuſdem ſanctæ ſextæ Synodi ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ jure ac divinitus ab ipſa promulgatæ ſunt, inter quas continetur in quibuſdam venerabilium imaginum picturis agnus digito Præcurſoris exaratus, oſtenſus, qui in figuram præteriit gratiæ, verum nobis per legem præoſtendens Agnum Chriſtum Dominum noſtrum: Ergo veteres figuras & umbras ut veritatis indicia & præſagia Eccleſiæ traditas, amplectentes, gratiam præferimus & veritatem, hunc ut plenitudinem legis ſuſcipientes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in cunctorum vultibus depingatur agni Chriſti, qui tollit peccata mundi, ſecundum humanitatem, characterem & imaginem pro veteri agno depingi definimus, per ipſum Dei verbum humilitatis celſitudinem conſiderantes, & memoriam in carne converſationem, tam ſcilicet paſſionum ejus, quam ſalutarem mortem atque redemptionem, quæ hinc eſt mundo affecta, manu quodammodo reducentes.* Ejuſdemque fidem, & zelum laudat, quo Jeſu Chriſti, aut B. Mariæ Virginis, & Sanctorum imagines venerandas adorandaſque eſſe docebat, atque ut in bene cœptis perſeveraret, bonique paſtoris officia impleret, verbis, & exemplis excitat. His vero nonnulla in textu Græco defuiſſe quæ in litteris latinis, in archivio Rom. eccleſiæ ſervatis continebantur, adnotat Anaſtaſius.

De ſynodo Œcumenica celebranda. 6. Deinde de Œcumenica ſynodo in Oriente celebranda hæc ſubdit. *Perro poſt confeſſionem fidei voſtræ, notum factum eſt nobis, quod veſtra venerabilis ſanctitas poſtulaverit ab Orthodoxis propugnatoribus veritatis, piiſſimis videlicet Imperatoribus noſtris, qui ad gloriam Dei facti ſunt, quo fieret venerabilis Synodus, & repromiſerint coram omni Chriſtiano populo ſuo, ſupplicationi veſtræ pie annuentes, Synodumque in regia urbe fieri definientes. Nos autem, quemadmo-*

modum, & in ipſorum divina juſſione continebatur, dilectos nobis & approbatos atque prudentes ſacerdotes pro ſtatu ſacrarum imaginum, ut priſco illis in partibus ordine conſtituantur, cum magno deſiderio & maximo gaudio deſtinavimus. Sed veſtra ſanctitas iiſdem piiſſimis Imperatoribus & triumphatoribus alacriter ſuggerat, ut in primis pſeudoſyllogus (id eſt falſum collegium) ille qui ſine Apoſtolica Sede inordinate, & inſyllogiſtice factus eſt adverſus venerabilium Patrum traditionem contra divinas imagines, anathematizetur, præſentibus Apocryſariis noſtris, & omne zizanium eradicetur ab Eccleſia, & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſermo compleatur: Quia portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Ac rurſus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves Regni cælorum, & quæcumque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cælis: cujus ſedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Eccleſiarum conſiſtit. Unde idem B. Petrus Apoſtolus Domini præcepto paſcens Eccleſiam, nil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit ſemper & retinet principatum. Cui ſi adhærere cupit veſtra ſanctitas, & noſtræ Apoſtolicæ Sedi (quæ eſt caput omnium Eccleſiarum Dei) ſacram & Orthodoxam formam incorrupte & incontaminate ex profundo cordis & ſinceritate mentis cuſtodire ſtudeat, ut revera Orthodoxa & Dei cultrix conſiſtens, hoc primum omnipotenti Deo offerat, ut ex perſona noſtra prædictorum piiſſimorum ac a Deo coronatorum magnorum Imperatorum ſublimia obſecret, & ut in conſpectu Dei per terribile illos adjuret judicium, ut ſacras imagines in ipſa Deo conſervanda & regia urbe, & in omni loco in antiquum reſtituere & ſtabilire jubeant, conſervantes traditionem hujus ſacræ & ſanctiſſimæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & perſequentes ac abominantes malignorum hæreticorum errorem per certamen veſtrum & fidelem ſollicitudinem. Si autem ſacras ac venerabiles imagines illis in partibus non reſtitueris, conſecrationem veſtram modis omnibus recipere non audemus, & maxime ſi ſectatus fueris, eos, qui non credunt veritati. Quapropter cum ſummo labore & amore fidei atque agone in his omnibus indubitanter veſtram venerabiliſſimam ſanctitatem convenit ſacroſanctas imagines Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & S. ipſius Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ſeu SS. Apo-

JESU CHR. AN. 785. *Apoſtolorum, & omnium SS. Prophetarum, atque Martyrum ſimul & Confeſſorum illis in partibus in antiquo erigere ſtatu: quatenus uno conſenſu digne propheticum canamus canticum dicentes: Domine ſalvos fac piiſſimos Reges, & exaudi nos in die qua invocaverimus te: quia dilexerunt decorem domus tuæ & locum tabernaculi gloriæ tuæ. Dilectos autem noſtros Petrum ſcilicet Archipresbyterum ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Petrum monachum & presbyterum atque Abbatem, qui miſſi ſunt a nobis ad veſtigia tranquilliſſimorum ac piorum Imperatorum, rogamus propter amorem S. Petri Apoſtolorum principis, & propter nos, omni benigna ſuſceptione ac humanitate dignos apud vos judicandos pariter & habendos, quatenus & in hoc magnas referre gratias valeamus. Deus omnipotens dilectionem veſtram, ſi ſtabiliter permanſerit, conſervare annuat, & fructum, qui tibi creditus eſt, ſuper menſuram abundantiæ faciat abundare, atque in ſempiterna tranſire gaudia jubeat. Deus te incolumem conſervet, dilectiſſime frater.* Hactenus Hadriani ad Taraſium epiſtola, qua ejus electionis approbationem ea conditione (ut audiſti) ſuſpendit, ſi hæreſim Iconoclaſtarum profligando, Sacrarum imaginum cultum reſtituat in Eccleſiis. Quod ille facere jam aggreſſus, hiſce calcaribus, velociſſime currens, minime indigebat, quippe qui ad hoc agendum ſibi oppugnoraverat fidem Imperatoris, dum ſuæ ſe electioni minime conſenſurum publice fuerat conteſtatus, niſi ejuſdem erroris abolitionem polliciti iidem fuiſſent Imperatores.

Quanta cum devotione Hadrianum Papam rogaverit Conſtantinus Imperat.

7. Litterarum Imperatoris ad Hadrianum Papam meminit Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem ſcribens èidem exprobrans, quod in Romanum Pontificem, non ea, qua decebat ſubmiſſione, & veneratione ageret, cujus hæc ſunt verba. *Non hoc alius Conſtantinus, & Irene Auguſti dicunt, qui ad Hadrianum Papam ſcribentes, ajunt, rogamus veſtram paternam beatitudinem, magis quidem Dominus rogat, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ut det ſemetipſum, & nullam tarditatem faciat, & aſcendat*: & paulopoſt, ſi non potuerit, inquiunt, *aſcendere huc, eligat viros prætioſiſſimos & dirigat una cum ſyltabis. &c.* Hæc Nicolaus de litteris Imperatorum ad Hadrianum datis. In aliis vero litteris ad Photium CP. Epiſcopum, qui ordinationem ſuam ex laico in Patriarcham CP.,

Ta-

Taraſii exemplo excuſare conabatur, qua conditione Taraſii ordinationem Hadrianus probaverit, his verbis narrat. *De Taraſii ſiquidem promotione, qui ſimiliter ex laicali cœtu ad Patriarchatus extemplo culmen promotus eſt, quam & vos, quaſi in auctoritatem veſtræ defenſionis aſſumere vultis: Si ſanctam, quæ apud vos, tempore ſanctiſſimi viri Hadriani Papæ, celebrata eſt, Synodum diligentius ſcrutati fueritis, atque attentius intenderitis, invenietis quid in ea idem ſanctiſſimus vir conſultus decreverit: & quod dum ejus conſecrationis penderet actus, & mœrorem ſe pro tam præſumptiva factione nimium ſuſtinere profiteretur: dicit etiam: Quod niſi in erigendis imaginibus ferventius contra illarum depoſitores, atque illarum conculcatores, ut verus miles Chriſti reſiſteres: nequaquam veſtræ conſecrationi aſſenſum præberemus, aut in ordine Patriarchatus veſtram dilectionem ſuſciperemus.* Hæc Nicolaus Pontifex ad Photium, atque hæc de geſtis in hac cauſa, hoc anno, ideſt pro reſtituendo in eccleſia Orientali imaginum cultu ſatis ſint, cetera ſequentibus annis 786. 787. quo tandem Nicæni concilii auctoritate, debitus eiſdem honor reſtitutus eſt.

Mahades Seracenorum Calipha obiit cui Muſa ſuccedit.

8. Obiit hoc anno die tertia Auguſti Mahades Seracenorum Calipha, cum per annos decem, menſes aliquot eam dignitatem obtinuiſſet, ut ait Elmacinus, in hiſtoria Arabica ab anno ſcilicet 775. ad labentem, eique ſucceſſit Muſa, ſeu Moſes a Theophane, & Baronio dictus, cujus breviſſimum fuit Regnum, nam anno proximo vivere deſiit, ac Aronem Raſchidem Muſæ fratrem in Caliphatu, ſeu Regno ſucceſſorem habuit. Hi porro Seracenorum Caliphæ Mahadis, Muſa, & frater ejus Aron, etſi pacem cum Græcis hoc tempore ſervarent, Chriſtianis nihilominus infenſo animo fuerunt, ut de Arone Muſæ ſucceſſore his verbis adnotat Theophanes. *Hoc anno Moſe Arabum Duce*, ideſt anno ſequenti, *Aaron frater in ejus locum ſuffectus Imperium obtinuit, qui multa mala in chriſtianos exercuit.* Hinc cum Taraſius legatos ad Patriarchas de indicta ſeptima ſynodo, Antiochenum, & Alexandrinum cum litteris ſuis miſiſſet, quibus eos, ut ad eam venirent, hortabatur; cum in Paleſtinam perveniſſent, invenerunt Eliam Hieroſolymorum Patriarcham in exilium jamdiu a Seracenis miſſum, ac Theodorum, qui eam ſedem invaſerat jam defunctum, quam ob cau-

Jesu Chr. An. 785. cauſam diverterunt ad monachos ejuſdem regionis ſanctitate celebres, a quibus acerbiſſimam, quam paterentur Orientales ſervitutem intellexerunt, quamque periculoſiſſimum eſſet adire ſive Antiochenum, ſive Alexandrinum Patriarcham, nimirum ſi detecti eſſent, fore, ut non ipſi tantum Legati extremum ſubirent periculum, ſed in illud ipſum omnes Orientis fideles conjicerent. Quamobrem eos a propoſito revocarunt illuc proficiſcendi. Cæterum de illorum Fide Catholica firma atque ſecura iidem ſanctiſſimi monachi, quos penes ſe ipſorum libellos habebant, oſtenderunt, litteras videlicet eo argumento conſcriptas ad Theodorum Hieroſolymorum Epiſcopum, cum ab eo recens creato, ex more de Fidei Catholicæ profeſſione Synodalem epiſtolam accepiſſent. Sic igitur eo modo cum intercluſa videretur eſſe omnino via Patriarchas trium ſedium conveniendi, ne eos vacuos redire penitus finerent monachi illi, ſynaxim habuerunt, deque his mutuo agentes, una omnium ſententia illud decretum eſt, ut pro excuſatione Legatorum apologeticas ad Taraſium litteras redderent, quibus pariter de fide Catholica trium illorum Patriarcharum eumdem redderent certiorem. Ad hæc omnia confirmanda, & ut quomodocumque liceret, ſatisfacerent Taraſii Patriarchæ CP, atque Imperatorum petitioni, ſtatutum ab iis eſt, Legatos Conſtantinopolim ad Patriarcham, & Imperatores, mittere qui pariter intereſſe deberent Synodo celebrandæ. Cum autem in hac decernenda legatione conſultatio haberetur de iis, qui eo munere perfuncturi erant, delecti ſunt ad id opus duo ibi inventi ſanctiſſimi monachi, quorum alter Patriarchæ Antiocheni, Alexandrini alter Syncellus fuiſſet: primi eorum nomen erat Thomas, alterius vero Joannes, egregia virtute præditi, qui etſi idonei ſatis ad provinciam tantam ſubeundam videri poſſent; magna tamen animi demiſſione, ut qui ſe longe impares tanto oneri affirmarent, ſe excuſabant. Verum urgentibus illis, qui præfecturam gerebant, omni contradicendi nudati facultate, acquieverunt. Sicque dimiſſi ſunt una cum duobus illis legatis, qui CPoli ad eos, ſive ad Patriarchas, miſſi fuerant: conſtant hæc ex litteris, quas monachi, & Sacerdotes legatis ſuis ad Synodum proficiſcentibus tradiderunt, una cum Taraſii legatis, quibus ſynodalem Theodori epiſtolam addiderunt ad cæteros Patriarchas datam de ordinatio-

natione ſua, qua conſtabat eum catholicam fidem, & imaginum cultum retinuiſſe, ſicque fidem catholicam cum CPolitano, & imaginum cultum tres alios Orientis Patriarchas retinere apparebat, nam de Hieroſolymitana, Theodori ſynodica fidem faciebat, pro Alexandrino, & Antiocheno Joannes, & Thomas eorum Sincelli, & ad ſynodum legati.

Epiſt. Orientalium ad Taraſium.

9. Epiſtola autem, quam integram recitat Baronius, hæc præcipue continet. *Sanctiſſimo & beatiſſimo Domino Taraſio Archiepiſcopo CPolitano, & univerſali Patriarchæ Orientis ſummi Sacerdotes*, ideſt Epiſcopi, *& alii Sacerdotes in domino ſalutem. Sacratiſſimis ex divina Deitatis inſpiratione libellis Apoſtolicæ & paternæ ſanctitatis veſtræ perlectis, Beatiſſime, nos humiles, & eorum qui deſertum incolere geſtiunt ultimi, tremore pariter & gaudio ſumus detenti: tremore quidem propter timorem eorum, quibus ob peccata noſtra ſervire decreti ſumus, quique vere ſunt impii, & in circuitu (ſecundum quod ſcriptum eſt) impii ambulant, ac per ſingulos pene dies occaſiones exquirunt, ut nos morti tradant: gaudio vero propter veritatem Orthodoxæ Fidei, quæ fulget in eis ſolarium more radiorum, & luculentiſſimam explanationem Apoſtolicorum dogmatum & paternorum, de quibus ipſi genitorem Vocis Verbi, id eſt, Zachariam Prophetam ad memoriam reducentes, magna voce clamamus: Viſitavit nos Oriens ſplendidus ex alto: Theoreticæ & divinæ providentiæ illuſtratæ mentis, in tenebris & in umbra mortis maligni erroris, id eſt, Arabicæ impietatis ſedentes, ad dirigendos intelligibiles pedes noſtros in viam & ſemitas pacificæ conſtitutionis &c.* Ac ſe quammaxime lætatos fuiſſe addunt, cum ex eorum litteris didiciſſent, mutua Imperatorum, & Taraſii Patriarchæ ſollicitudine catholicam fidem in integrum reſtitutam fuiſſe. *Sacerdotium enim Imperii ſanctificatio eſt, & conſtitutio, & Imperium Sacerdotii fortitudo & firmamentum. Illud quidem adornans & regens cæleſtia, hoc vero gubernans iſta terreſtria. Hæc & his conſentientia ſcribere nos fecerunt divinitas exarata volumina veſtra, quæ, canonica moti lege & paternæ traditionis diſciplina, addentes his, qui Apoſtolicarum Sedium moderamen ſortiti ſunt per reverendam & Deo dilectam bigam*, duos ſcilicet Legatos *miſiſtis: qui pervenientes, & per Dei voluntatem ac nutum occurrentes Dei cultoribus fratribus noſtris viris ſanctis, qui*

 dede-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 785.

dederunt animas ſuas pro Eccleſiarum correctione, & recogniti & vera & antiqua converſatione, valde gaviſi ſunt, & maxime reperientes ambos in uno loco degentes, & modum Deo placitum proſequentes, & ſeſe revelantes oſtenderunt eis Ortodoxiæ veſtræ Deo decentes & dignos admiratione libellos, & referentes per ordinem Deo placitæ ſanctitatis tuæ mentis, & pium Deo conſervatorum Dominorum noſtrorum conſilium, ut communis omnium ſalutis expectationem, & circa Deum ſine confuſione ſpem.

Legatorum zelus, & labor laudatur

10. His vero de legatorum adventu, eorumque zelo nonnulla addentes, adnotant, quod cum propter Seracenorum ſuſpiciones, ſine eccleſiarum periculo ad Patriarchas ire non poſſent, ſe eorum, litteras accepiſſe, ac Joannem, & Thomam, ut eorum vices agerent, miſiſſe. Quos Teraſio commendant, ut eos confidenter Imperatoribus præſentaret. *Habebitis enim eos*, inquiunt, *liquido trium Apoſtolicarum ſedium continentem & concordantem Orthodoxiam, qui ſanctas & univerſales ſex ſynodus voce conſona prædicant. Aliam ad has, quam & ſeptimam quidam ſuſſurando noncupant.* (Ideſt CPolitanam ab Iconoclaſtis celebratam), *nullatenus admittentes, imo modis omnibus reſpuentes, nimirum ut dudum in Apoſtolicarum, & Magiſterialium traditionum depoſitionem, atque ſacrarum ac venerabilium imaginum interemptionem, & abolitionem, collectam &c.* His, aliiſque in eam rem additis, quod nullus ex tribus Orientis Patriarchis, aut Epiſcopi iis ſubditi, indictæ ſynodo perrexerint, ne gravate ferrent, admonent, cum eorum abſentia: *Non ex proprio eorum accidens propoſito, ſed ex tenentium, ſeu dominantium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis*. Quod etiam alias, cum ſexta univerſalis ſynodus celebrata fuit, accidiſſe addunt propter eamdem cauſam, ſeu ut ajunt, *propter obſcenorum obtinentiam*. Ideſt Seracenorum dominationem. *Sed nullum ex hoc*, adnotant, *ſanctæ adæſit ſynodo præjudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua ſtatuendi, & manifeſta faciendi recta dogmata pietatis, præcipue cum ſanctiſſimus, & Apoſtolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus ſit per apocriſarios ſuos, & nunc, ſanctiſſimi, hoc cum auxilio Dei ſimiliter fiet, nam ſicut tunc illius fides, in orbis terræ perſonuit fines, ita & ſynodi, quæ nunc per gratiam Dei congreganda eſt, per interventio-*

nem

Digitized by Google

nem veſtram, *& ejus qui moderatur Apoſtolorum Principis ſedem*, ideſt Romani Pontificis Hadriani, *Prèdicabitur in omni loco, qui ſub ſole eſt, videlicet quæ tirannice deſtructa ſint erigens, & in antiquam & Apoſtolicam reformans traditionem*. His Theodori Hieroſolymorum olim Patriarchæ epiſtolam ſynodalem Antiocheno Theodoro, & Coſmæ Alexandrino miſſam addiderunt, a quibus dum viveret, congruam, & Apoſtolicis traditionibus conſentientem reſponſionem accepiſſe addunt, ut ibidem videre eſt, nam hæc omnia actioni tertiæ ſynodi ſeptimæ lecta, & inſerta ſunt.

Jesu Chr. an. 785.

11. His rem miram hoc anno geſtam addimus, a Conſtantino Conſtantiæ in inſula Cypro Epiſcopo coram Patribus Nicænis anno 787. narratam: cum etenim ad confirmandum cultum ſacris imaginibus debitum, innumera ex ſanctis Patribus, & eccleſiaſticis ſcriptoribus miracula in medium prolata fuiſſent; quædam alia, quæ ipſe noverat, addidit, ac inprimis de bubulco quodam Conſtantinæ urbis, qui eccleſiam B. Virginis ingreſſus, cum imaginem B. Virginis depictam in pariete vidiſſet, dixit. *Hoc quid facit hic*. Et accepto ſtimulo ſuo effodit oculum imaginis dextrum, inde vero egreſſus, ut ad opus iret, boves pulſavit aculeo, quod dum ageret ſtimuli pars maxima in dexterum oculum bubulci ingreſſa obcœcavit eum. *Hunc ego novi virum*, ait Conſtantinus, *& novi luſcum effectum*. *Alius homo in civitate Citio* eccleſiam die 15. Auguſti feſto Virginis ingreſſus, ut eam velis ornaret, clavum fronti imaginis Sancti Petri infixit, eodemque momento, graviſſimo capitis dolore captus biduum tranſegit, uſque dum ab Epiſcopo correptus & admonitus ad eccleſiam rediit, & educto clavo, alleviatus eſt, quod ita fuiſſe cum juramento Citii Epiſcopus ibidem præſens teſtatus eſt, ac tandem hæc etiam Conſtantinus addidit. *Ante biennium navigaverunt viri Cyprii in duabus navibus in civitatem Syriæ quæ vocatur Gabala. Cum autem eſſent Gabalæ ſecundum conſuetudinem ſagittarii Agarenorum, deſcenderunt ad maritima; & venientes quidam eorum Gabalam, divertunt in quoddam templum civitatis. Porro unus ex Agarenis videns imaginem in pariete de calcalis, interrogavit quemdam Chriſtianum qui aderat. Quid prodeſt imago hæc? Ad quem Chriſtianus ait: Quia iis quidem qui eam honorant, prodeſt, his autem qui eam inho-*

Portenta pro imaginum cultu confirmando edita

 inhonorant, nocet. Et Sarracenus: Ecce ego, inquit, effodiam oculum ejus, & videbo quid mihi noceat. Hæc dixit, & extendens contum ſuum: imaginis oculum dextrum effodit, Protinus ergo & ſuus dexter oculus in terram exiliit, idemque ignea eſt febre detentus. Hi autem qui ſimul cum illo aderant, acute cum ægrotantem videntes, tulerunt, & ad civitatem ipſius reduxerunt. Hæc nobis retulerunt viri, qui remeantur ad Cyprum numero triginta duo. Hæc in plena Synodo Conſtantinus Epiſcopus. Sed ad res Occidentalis eccleſiæ ſtylum convertamus.

Saxones ad fidem convertuntur.

12. Nullus fere, ab anno hujus ſeculi 772. annus tranſierat, quo Carolus M. in Saxones arma feliciter non intuliſſet, ſed hoc tandem anno, ex tot præliis & victoriis uberiorem fructum recepit, cum ſuam tandem in fidem, & poteſtatem Vitichindum, & Abbionem Saxonum rebellium Duces recepit, qui etiam Chriſti fidem amplectentes, & a Carolo e fonte ſuſcepti, factum eſt, ut chriſtiana religio per aliquot annos perduraret. Rem geſtam Francorum Annales paſſim referunt, & celebrant. Ex his Annaliſta Metenſis hæc narrat. *Anno Dominicæ Incarnationis 785. Rex uſque ad Bojæ pervenit ſuper fluvium Viſaram, ubi confluit Vabarna, & propter nimiam inundationem aquarum inde reverſus eſt ad Eresburch caſtrum, ubi uxorem ſuam Fuſtradem cum filiis, & filiabus venire juſſit, ibique per totam hyemem manſit, ubi etiam Paſcha celebravit. Et multis vicibus exercitum ſuper Saxones miſit, & eorum caſtra deſtruxit, & in Majo ſynodum apud Paderbonam habuit, & inde iterum pergens, nullo contradicente, totam Saxoniam circumivit, & cum perveniſſet in Bardegavvi, miſit inde poſt Viſichindum, & Abbionem, & utroſque ad ſe fecit venire, quos ſacramento conſtrinxit, ut in Franciam ad eum venirent, qui acceptis obſidibus ad Regem in villa Attiniaco venerunt, ibique baptizati ſunt, & ſic tota Saxonica ſubjugata eſt Francis, & in eadem villa celebravit Rex Natalem Domini.* Hæc ſummatim de Caroli geſtis hoc anno. Hinc Saxonia, quæ per tot annos bello exarſerat, tandem pace ibidem reſtituta reſpirare cæpit, cum præſertim *Malorum auctor, ac perfidiæ incentor, venit cum ſociis ſuis in Attaniaco Palatio, & ibidem baptizatus eſt, & Rex ſuſcepit cum e fonte.* Ait Chronographus Moſſiacenſis. Hic autem Vitichin-

Digitized by Google

chindus, qui hactenus non ſolum Carolo, ſed Chriſto etiam colla ſubdere recuſaverat, hoc anno baptiſmum ſuſcipiens, in ſanctis operibus eo uſque perſeveravit, ut ejus memoriam Colonienſes Carthuſiani ad diem ſeptimam idibus Januarii celebraverint. At ut adnotat Pagius, an Romanæ eccleſiæ auctoritate inter divos habitus fuerit Vitichindus, ſe ignorare teſtatur Bollandus die ſeptima Januarii, encomium Vitichindi referens.

Carolus M. de ſubacta Saxonia Hadrianum certiorem reddit.

13. Tam fauſti eventus nuncium per Andream Abbatem miſit Carolus M. ad Hadrianum Papam, ut ex epiſtola ad eum data conſtat, qua etiam Hadrianum rogaverat, ut pro accepta victoria, & pro gratiarum actione Deo referrenda, unam, vel duas litanias, ſeu ſupplicationes fieri juberet. At non ſolum unam, aut alteram, ſed ternas ſe indixiſſe Hadrianus teſtatur, die ſcilicet 23. 26. & 28. Junii, in vigiliis ſcilicet B. Joannis Baptiſtæ, in Natali Sanctorum Joannis & Pauli, & Vigilia B. Petri Apoſtoli, ut ibidem ait Hadrianus.

Villebaldus & ſocii in Saxonia Evangelium prædicant.

14. Ut autem Saxones in ſuſcepta Chriſtiana fide confirmaret Carolus, naſcentemque vineam excoleret, dignos tanto operi adminiſtros illuc miſit, quorum primus fuit Villebaldus qui cum biennio ſolitariam vitam egiſſet, Carolum apud Eresburgum commorantem adiit, & ab eo rurſus in Saxoniam ad prædicandum evangelium miſſus, in iis provinciis, ubi antea Chriſti fidem prædicaverat, iterum publice ac ſtrenue prædicans, eccleſias deſtructas reſtauravit, probatoſque, viros, qui eam gentem docerent & regerent, ſingulis in locis diſpoſuit. *Sicque ipſo anno 785. Divino ordinante inſtinctu, gens Saxona fidem chriſtianitatis, quam amiſerat, denuo recepit, ſed & totius mali auctor incentorque perfidiæ Vitichindus, eodem anno Regi ſe ſubdens Carolo, baptiſmi eſt gratiam conſecutus, ſicque ad tempus ſedata ſunt mala, quæ illius fuerunt ingeſta pernicie.* Ait Anſcharius in ejus vita, quem biennio poſt Epiſcopum Bremenſem ordinatum fuiſſe ait; ut ibidem dicturi ſumus.

Saxonia oblata Sancto Petro.

15. Hoc autem loco opportune adnotandum eſt, ait Baronius, quod teſtatur Gregorius Papa ſeptimus in epiſtola ad Petrum Epiſcopum Albanenſem & ad Principem Salernitanum ab eo Legatos in Galliam miſſos, nempe ipſum Carolum Magnum conſcium, ſe ope Apoſtoli Petri tandem indo-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 785. indomitos domuiſſe Saxones, obtuliſſe eandem provinciam beato Petro, inſuper & nummum unum per ſingulas domos Galliarum omnium provinciarum perſolvendum Romanæ Eccleſiæ indixiſſe. Sed reddamus hic ipſius Gregorii epiſtolam ut hæc fiant omnibus notoria. Sic enim ſe habet. *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis noſtris P. Albanenſi Epiſcopo, & G.... Principi Salernitano Legatis noſtræ Apoſtolicæ Sedis in Gallias ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Vobis commiſſa negotia non latent, etiam vos ita ac ſi noſtra, immo quia noſtra ibi in vobis præſentia eſt, cuncta digne peragite. Dicendum eſt autem omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvant B. Petro, (ſi eum cognoſcunt patrem & paſtorem ſuum) more antiquo. Nam Carolus Imperator (ſicut legitur in tomo ejus, qui in Archivio Eccleſiæ B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad ſervitium Apoſtolicæ Sedis, ideſt, Aquiſgrani, apud Podium ſanctæ Mariæ, & apud ſanctum Aegidium, excepto hoc, quod unuſquiſque propria devotione offerebat. Idem vere Magnus Imperator Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio: Et poſuit ſignum devotionis & libertatis, ſicut ipſi Saxones habent ſcriptum, & prudentes illorum ſciunt ſatis.* Hæc Gregorius, quæ ad finem belli Saxonici adnotanda fuerant.

Virgilii Salisburgenſis Epiſc. obitus.

16. Mortuus eſt hoc anno Virgilius Salisburgenſis Epiſcopus, ſucceſſoremque habuit Arnonem, ut in annalibus Ratiſponenſibus a Mabillonio tom 4. analectorum publicatis legitur ad annum 785. *Virgilius Epiſcopus, & Opportunus Abbas obierunt*, tum ad ſequentem annum. *Arn Epiſcopus ordinatus eſt*. Ideſt Arno inter Salisburgenſes Epiſcopos ſextus, qui etiam Archiepiſcopi dignitatem promeruit, ut infra dicturi ſumus, qninto autem Kal. Decembris Virgilius obiit, cum annos quadraginta fere eam eccleſiam ſanctiſſime gubernaſſet, ac in Eccleſia Monaſterii S. Petri ab eodem ædificata ſepultus eſt, cujus hoc erat Epitaphium.

Hic pater & paſtor, humilis, doctuſque Sacerdos
Corpore Virgilius pauſat, quem Hibernica tellus;

Di-

Diſponente Deo, partes direxit iſtas
Quique regebat ovans præſentis culmina ſedis
Ferme quater denos, caris cum fratribus, annos.
A quibus ille & amatus erat, pie quos & amavit.
Interim & erexit pulchro molimine multa
Templa, loco quædam nunc qua cernunt in iſto.
Inſuper & miſeris largus, ſimul omnibus aptus,
Pro quo quiſquis legis verſus, orare memento,

Jesu Chr. an. 785.

Hadriani Papæ epiſtola Epiſcopis Hiſpaniarum.

17. Chronologicam Hadriani Papæ epiſtolarum ſeriem a Cennio earumdem editore ſtatutam ſectantes, celeberrima hoc anno ſe offert ejuſdem Pontificis epiſtola. *Omnibus Orthodoxis Epiſcopis per univerſam Spaniam commorantibus* inſcripta, qua primum de Egila Epiſcopo, ſua auctoritate olim Epiſcopo ordinato, quemque ei Vulcharius Galliarum Archiepiſcopus commendaverat, conqueritur, eo quod errores quoſdam Mingentii magiſtri ſui ſequens. *Extra catholicam diſciplinam, ut fertur, conatur docere, & alia plura capitula, quæ abſque norma eccleſiaſtica aliis ſuadere videtur.* Cujus deliria, ſeu inſaniam, ne eos ſequerentur, admonet. Deinde quæ ibidem ab Elipando, & Aſcarico, eorumque conſentaneis de adoptione Filii Dei, iis in provinciis vulgabantur, ſe accepiſſe addit. *Quod nullus e qualibet hæreſi antea talem blaſphemiam auſus eſt oblatrare niſi perfidus ille Neſtorius, qui purum hominem, Dei confeſſus eſt filium.* Quapropter ut ab ea hæreſi caverent, ſedulo graviterque eos admonet, quamplurima SS. Patrum teſtimonia referens, ad eam confutandam hæreſim apta. Athanaſii ſcilicet, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Joannis Chryſoſtomi, ex latinis vero Patribus Auguſtini, Hilarii Pictavienſis &c., ac adnotat. *Si enim ſanctorum omnium Orthodoxorum Patrum pro hujuſmodi opuſcula vobis exaraſſemus, antea chartæ & ſcriptores deficerent, quam divinus per eorum diſputationes ceſſaſſet ſermo &c.* Hiſque per plura prænotatis, ad varia eccleſiaſticæ diſciplinæ capitula, quæ correctione indigebant, tranſit Sanctus Potifex. Scilicet de Paſchali feſtivitate, & de ſanguine pecudum, & ſuillo, & ſanguine ſuffocato, cum nonnulli aperte dicerent, qui *ea non ederit, rudis & ineruditus eſt, quos ſub Anathematis vinculo obligatos, & ab Eccleſia extraneos eſſe dicit.* Hadrianus Papa; poſt hæc de Prædeſtinatio-

JESU CHR. AN. 785. ne Dei agit, eorumque ſententiam refellit, qui ajebant, quod ſi quis ad bonum prædeſtinatus eſſet, contra malum reſiſtere neceſſe illi non erat: ſi vero ad malum natus, bonum illi exercere nihil proderit, eoſdemque arguit, eo quod communem vitam cum Judæis, & non baptizatis paganis, tam in eſcis, quam in potu, nec non de filiabus eorum, quas populo gentili tradebant; de mulieribus etiam quæ vivente viro ad alia vota tranſibant, aliiſque corruptelis ibidem vigentibus graviſſimis his verbis epiſtolam claudens arguit.

Hadriani Papæ commonitorium ad Episcopos Hispaniæ. 18. *Quapropter oportet dilectiſſimi veſtram induſtriam ſolertiſſime vigilare, & ſicut decet Domini Sacerdotes, nulli veſtrum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare, quæ enim a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libito, licentia populis permiſſa frangatur? Unde conſtat, ut ſi qui de prædictis capitulis obnoxius reperietur, poſt unam & ſecundam adhortationem, ſi noluerit ſe corrigere, profecto is regulariter a conſortio fidelium Dei, utpote corruptor paternarum traditionum, extorris efficiatur, & in æterna condemnatione inveniatur. Cavendum ergo dilectioni veſtræ eſt, magnaque diligentia prohibendum, ne per ejuſmodi homines extincta dudum ſcandala ſuſcitentur, & de exciſo olim dogmate, aliquod in provincia ejuſdem mali germen oriatur, quod non ſolum in radicibus ſuis creſcat, ſed etiam ſanctæ Eccleſiæ ſobolem veneno ſui odoris inficiat. Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſuſpicione ſe purget, & obediendo vobis probent, ſe eſſe noſtros, quorum ſi quiſquam ſalubribus præceptis ſatiſfacere detrectaverit, ſive ille clericus, ſive ſit laicus, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur, ne perditor animæ ſuæ, ſaluti inſidietur alienæ &c.*

Hadriani ep. ad Carolum. 19. Epiſtola altera ad Carolum Magnum hoc anno data, narrat Hadrianus, ſe acceptis ejus juſſionibus obtemperaſſe. *Ad aures*, ait, *clementiſſimæ regalis excellentiæ veſtræ intimantes innoteſcimus, quia dum veſtra regalis in triumphis victoria præcipiendum emiſit, ut a partibus Ravennæ ſeu Pentapoleos expellerentur Venetici ad negotiandum, nos illico in partibus illis emiſimus veſtram adimplentes regalem voluntatem, inſuper & ad Archiepiſcopum præceptum direximus, ut in quolibet territorio noſtro, & jure ſanctæ Ravennatis eccle-*

Digitized by Google

eccleſiæ, ipſi Venetici præſidia atque poſſeſſiones haberent; omnino eos exinde expelleret, & ſic eccleſiæ ſuæ jura manibus ſuis teneret, Venetos vero negotiatores ex Pentapoli ejici juſſerat Carolus Magnus, quia iidem cum Græcis ut plurimum fœdera fovebant, eiſque aliqualem præſtabant ſervitutem; ne itaque, ad Italicum recuperandum Regnum, Venetis uterentur Græci, eos e finibus eccleſiæ Romanæ, & ſuis ejici juſſit. De Garamanno deinde Duca conqueritur Hadrianus, qui cum prædia, & poſſeſſiones Ravennatis eccleſiæ invaſiſſet, admonitus ut ea eccleſiæ reſtitueret. *Neque ipſas poſſeſſiones reddere voluit, ſed illicite eas detinere conatur*. Quare Carolum Magnum precatur, ut id ipſe contumaci Garamanno imperaret.

Jesu Chr. an. 786. Veneti negotiatores Ravenna, & Pentapoli ejiciuntur.

JESU CHRISTI AN. 786. HADRIANI PAPÆ 15.
CONSTANTINI IMP. 11. ET 7. IRENES IMP. AN. 7.
CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 13.

1. Hoc Chriſti anno 786., cum Irenes Epiſcopos undique ex Oriente CPolim evocaſſet, illucque Romanæ eccleſiæ legati, aliarumque Patriarchalium ſedium adeſſent. *Menſis Auguſti die decimo ſeptimo, nona indictione, in Imperatricis urbis, ſanctorum Apoſtolorum Templo*, ait Theophanes, Imperatoribus ſpectantibus, congregati Epiſcopi, de imaginum cultu propoſita dubia inveſtigare cœperunt, cum repente, ut idem ſubdit auctor, Iconoclaſtarum factione, & præcipue militum ſeditione, interruptum concilium fuit, ita ut illud opportuniori loco, & tempore differre neceſſe fuerit. *Scholariorum quippe, & Excubitorum copiæ, perverſi magiſtri ſui doctrina inbuti, & a propriis rectoribus incitati, nudatis gladiis impetum in eos fecere, mortemque tam ipſi Patriarchæ, quam & Orthodoxis Epiſcopis, & monaſteriorum Præpoſitis inferre minati ſunt. Imperio vero per aulicos alios Proceres, qui aderant, tumultum eorum reprimere conante, milites nequaquam paruere, quin potius convicia in eos conjecere. Exurgente demum Patriarcha, & in ſacrum Altaris tribunal cum Orthodoxis Epiſcopis, ac monachis ingreſſo, adverſæ factionis Epiſcopi, nefariæ ſententiæ doctores, in eos elatis vocibus inſiluerunt jactantes: Vicimus. At Dei gratia nemini damnum inſanientes & inhumani illi intulerunt:*

Synodus CP. indicta ſolvitur.

Jesu Chr. an. 786. *Ita ſynodo ſoluta, ſinguli quique domos ſuas repetierunt*. Hæc Theophanes de infelici indictæ ſynodi exitu, quæ fuſius in Taraſii vita ab Ignatio ejuſdem ſcriptore narrantur. De quibus idem Taraſius in epiſtola ad Hadrianum Papam data anno proximo hæc narrat: *Verum nos ante annum ſeſſionem colligere ſynodi ſtatueramus, cum improbi aliquot homines, & quorum mentes inſania tumultuabantur turbam in nobis cientes cathedram prohibuerunt, quamobrem coacti ſumus integrum annum a propoſito noſtro deſiſtere, nihilque quod ad eam rem attinebat tentare &c.*. Interea cum ad eccleſias ſuas Epiſcopi ut plurimum rediiſſent, Hadriani Papæ legati CPoli egreſſi, in Siciliam Romam redituri pervenerant, cum ibidem ſubſiſtere juſſi ſunt, opportunum tempus expectantes, colligendi iterum concilii, quod ſane anno ſequenti contigit, uti tunc dicturi ſumus: prudenti quippe conſilio, non tam tempori, quam armatis militibus cedere opportunum cenſuerunt Imperatores, uſque dum tumultuantium factio diſſiparetur, atque quietiori tempore & loco ſynodus celebraretur, quam ideo Nicæam congregari juſſerunt, poſtquam tumultuantes milites Arabici belli prætextu, urbe eductos, arma deponere coegit, & unumquemque in ſuam patriam transferri juſſit, ut ad annum ſequentem narrat Theophanes, & Anaſtaſius in prologo ad ſynodum ſeptimam, quo ibidem geſta fideliter narrat.

De militum ſeditione ob indictam ſynodum.

2. Cum itaque, ait, CPolim Hadriani Papæ legati cum litteris Pontificis adveniſſent Petrus Presbyter, & alter Petrus monachus, ab Oriente vero Joannes, & Thomas Patriarcharum legati, cum ceteris Epiſcopis ad ſynodum vocatis. *Pridie quam ſtatus dies adveniſſet, per meridiem commoti ſunt milites furore ferventes, inſaniamque ſpirantes, & venientes ad laterem ſanctæ catholicæ eccleſiæ, alud atque alud clamabant. Sed vox omnium in unum terminabatur, quia videlicet non eſſet permiſſum fieri ſynodum. Porro Patriarcha relata cauſa imperatoribus, nequaquam prohibitus eſt, quo minus fieret Epiſcoporum conventus in prædicto venerabili templo, factiſque quibuſdam allocutionibus tam a ſanctiſſimo Patriarcha, quam a Deo amabilibus Antiſtitibus, & lectis quibuſdam ſynodicis conſcriptis, quæ perhibent, non oportere aliquando ſynodum univerſalem fieri præter conſenſum ceterorum ſanctiſſimorum patriarcharum:*

cum-

cumque legerentur hæc, facta eſt turba militum, & ante januas venerandi templi ſimultatem & clamorem faciebant, qui ex ſummiſſione quorumdam Epiſcoporum, qui in ſynodo male ſentiebant, ad hoc moti, reperti ſunt eſſe. Quibus peractis, imperium per cubicularium omni ſynodo juſſit dicere: Interim abſcedite, ut populi inordinatum impetum evadamus & poſthac voluntas Domini fiet: taliter quod Antiſtitibus e templo egredientibus, quidam eorum veritati reſiſtentes cum turba concinnaverunt, & impie declamationem faciebant pſeudoſyllogi, ideſt ſynodi ab Iconoclaſtis celebratæ ſub Copronymo Imp., quam ſeptimam Iconoclaſtæ dicebant. Cum ergo jam. *Hora eſſet quaſi ſexta, Domum jam eſurientes abibant & ita commotio ſeditionis ſopita eſt. Tunc Imperatores juſſerunt milites exire, quaſi ſub prætextu quidem hoſtilis aciei, dantes famam, quod gens Agarenorum hoſtiliter fuiſſet egreſſa. In veritate autem eos foras pellebant de regia civitate. Ergo cum feciſſent iſti viam uſque ad Malegenam, per juſſionem eorum omnes expellebant pariter & aſpernabantur, ne horum cura fieret, jubentes ſingulos abire in patriam ſuam. Quibus ita peractis, manſit eccleſia anno uno quieta, tantummodo Patriarcha verbum veritatis omnibus prædicante. Et mox anno tranſacto, denuo præcipiebant piiſſimi Imperatores, ut fieret ſynodus in Nicænorum metropoli: & præceptum deveniebat in finem, Epiſcopis quaſi congregatis in unum, ſimiliter & Patriarcha cum vicariis Orientis & occidentis ad eamdem pervenit urbem: & facta eſt ſynodus beneplacito Dei ſecundum actiones, quæ, proferuntur*. At de ſynodi actionibus, ſive geſtis anno proximo.

3. Inter monaſteriorum Præfectos, qui una cum Epiſcopis indictæ ſynodo aderant, quique pro imaginum cultu reſtituendo fortiter pugnarunt, Plato recenſetur, qui e ſolitudine, ubi ſe abdiderat perſecutionis vitandæ cauſa, egreſſus, CPolim reverſus, ut ait Theodorus in ejus vita. *Cum circa quæſtionem de ſacris imaginibus in utramque partem multa jactarentur, ante multos, & cum paucis libere veritatem profitetur. Pugnat quantum poteſt contra Iconomachos, cujus rei argumentum eſt, quod in ea, quæ ad ſanctos Apoſtolos coacta eſt, ſynodo, ab eo, qui tunc erat Patriarcha*, nempe Taraſio, *electus ipſe ſit, qui poneretur in cathedra Metropolis omnium illuſtriſſima, & ſicut antea non timuerat minas*

S. Plato propugnator cultus ſanctorum imaginum.

Jesu Chr. An. 786.

minas faventium hæreſi, ſic neque tum formidavit prohibitionem incurſumque ordinis militaris, quando is impetum fecit in magnum illud Templum inſanis clamoribus, Patriarchæ obſtrepens, & pſeudoſynodum laudans olim adverſus imagines habitam. Paulo poſt cum diſſolutus eſſet cœtus ille, pro veritate ſtabilienda collectus, evaſit Imperatrix velut e medio Leonum facta, ut ſic loquar citra ſanguinem martyr, & Hegumenus noſter, ideſt Plato monachus, *Patriarcham ſequutus, propter ea, quæ fuerant audacter deſignata, non fuit perterritus, moxque inventus eſt in ſecunda Nicæna ſynodo, quia diſſipata tunc fuit plebs illa tumultuoſa, & pervicans.* At de his hactenus.

Caroli M. expeditio in Brittones, & victoria.

4. Confecto jam bello Saxonico, aut per annos aliquot ſopito, ut anno proximo diximus, in Brittones hoc anno arma contulit Carolus Magnus, qui cum eum ſingulis annis bello Saxonico implicatum viderent, adverſus eum rebellaverant, minoris ſcilicet Brittanniæ incolæ, quos uno fere prælio ſubegit, ut Eginhardus in ejus vita, ceterique Francorum annales narrant. Ex his Metenſis Annaliſta hæc adnotat. *Carolus Rex miſit exercitum ſuum in partibus Brittanniæ, cui præfecit Audulphum virum illuſtrem, qui victis Brittonibus totam illam regionem Francorum ditioni ſubegerunt; Principeſque Brittonum ſecum adducentes apud Vormatiam Regis obtutibus præſentarunt. Tunc Rex videns ſe ex omni parte pacem habere, Romam pergit orationis cauſa, & ut ibi cum miſſis Imperatoris, Irenes ſcilicet, & Conſtantini filii ejus, loqueretur, celebravitque Natalem Domini in Florentia civitate.* Cum paſcha in villa Attiniaco celebraſſet, ut ait Eginhardus, de ejuſdem adventu Romam, deque geſtis ibidem anno ſequenti.

Conjuratio in Carolum inita detegitur.

5. Extraneis undique profligatis hoſtibus, cum pacem ſe habere putaret Carolus, domeſticorum inſidiis pene periit. At conjuratione detecta, perfidos debita affecit pœna. Unde Eginhardus in ejus vita, cum conjurationem in Carolum anno 792. factam commemoraſſet, de hac altera hujus anni, hæc adnotat. *Facta eſt alia prius contra eum in Germania valida conjuratio, cujus auctores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti ſunt, neque ullus ex eis interfectus eſt, niſi tres tantum, qui cum ſe ne comprehenderentur, ſtrictis gladiis defenderent, aliquos etiam*

etiam occidiſſent, quia aliter coerceri non poterant, interempti ſunt. Harum tamen conjurationum Faſtradæ Reginæ crudelitas cauſa & origo extitiſſe creditur, & idcirco in ambabus contra Regem conſpiratum eſt, quia uxoris crudelitati conſentiens, a ſua naturæ benignitate, ac ſolita manſuetudine immaniter exorbitaſſe videbatur. In conventu porro ſeu ſynodo Vormatiæ habito, ubi hoc anno Brittonum Principes exceperat, rebellium cauſam cognitam fuiſſe, & pœnam ſtatutam narrat auctor appendicis ad chronicon juſſu Nihelungi Comitis conſcriptum his verbis. *Procedente autem tempore in menſe Auguſto apud Vormatiam ſynodum Epiſcoporum, & conventum magnificum inire fecit, ubi decernens, ut hi qui potiſſime in hac conjuratione devicti ſunt, honore ſimul, ac luminibus privarentur, atque exilio damnarentur. Eos vero, qui innoxii in hac conjuratione ſeducti ſunt, clementer abſolvit*. Unde patet mitiſſime ſane in eos egiſſe Carolum, dum neminem, niſi reſiſtentem extremo affecit ſupplicio, ac de auctoribus tantum ſupplicium ſumpſit, iis dimiſſis, qui in eam inviti pertracti, aut ſeducti fuerant.

Caroli leges in Italia vulgatæ.

6. Inter Caroli capitularia, ſeu conſtitutiones, quædam pro cauſis Regni Italiæ vulgatæ ſunt, quas idcirco dum in Italia eſſet, Carolum Magnum vulgaſſe communiter creditur, cumque pluries in Italia Carolus fuerit, quo anno hæc ediderit incertum eſt, hoc unum conſtat, poſt Hildegardis Reginæ obitum, eas editas fuiſſe, cum in capite 14. hæc legantur. *De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus, ut ſiant deſcriptæ breves, & ipſæ breves ad nos ſiant adductæ*, ideſt ad nos deferantur; nil itaque obſtat, quin hoc anno, dum Florentiæ ſubſiſteret Carolus, ubi hiemavit, ac Natale Domini celebravit, ut ſupra vidimus, eas vulgatas fuiſſe dicamus; Decem porro & ſeptem ſunt, quarum prima de Xenochiis pauperum agitur, ut qui ea poſſident, recte adminiſtrent, alioquin cum conſilio Epiſcopi regantur. 2. Ut eccleſias baptiſmales laici non poſſideant, rurales vero non negligant, ſed eas Sacerdotes regant. 3. Pro eccleſiaſtico honore & reverentia, Sacerdotes advocatos ſuos habeant. 4. Circa diverſas hominum generationes, qui in Italia commanent, ut unuſquiſque ſecundum ſuas leges judicetur, jubet, ideſt Romanus jure Romano, Longobardi juxta Longobardicas leges &c.. De Regis Italiæ juribus in exigen-

Jesu Chr. an. 786. gendis pœnis, vel rebus vindicandis, Xenodochiis, & Monaſteriis ſub Regia poteſtate retinendis, aliiſque, quæ ad jus unicuique reddendum ſpectant ſequentibus capitibus agitur, ut, Comites, exempli gratia Palatii, liberos homines ad opus ſervile non cogant. *Et de fugitivis, qui in partibus Beneventi, & Spoleti, ſive Bononiæ vel Pentapoli confugium faciunt, ut reddantur, & ſint reverſi ad propria loca &c.*

Hadriani epiſtolæ ad Carolum M.

7. Inter Hadriani epiſtolas ad Carolum Magnum hoc anno ſcriptas, prima ea eſt, qua cum eo de ejuſdem victoria, & Saxonum ad Chriſti fidem converſione, pro ut ab Andrea Abbate Romam a Carolo miſſo didicerat, gratulatur, ac ternas pro gratiarum actione Litanias, ſeu ſupplicationes ſe indixiſſe narrat, uti anno proximo diximus. Hanc ſequitur epiſtola altera, qua Caroli conſultationi reſpondet. *Veſtræ a Deo protectæ*, ait, *Regalis excellentiæ ſuſcipientes, Miſſos ſcilicet Itherium, & Magenarium religioſos Abbates, ſciſcitati ſunt nos interrogantes de Saxonibus, qui Chriſtiani fuerant, & ad Paganismum reverſi ſunt, qualem pœnitentiam eis Sacerdotes indicere debeant*, Hos autem non ſine pœnitentia recipiendos, ac ad eccleſiæ communionem admittendos eſſe, deceſſorum ſuorum auctoritate admonet. Quæ pœnitentia, *non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt*. Ita ut Sacerdotum, ſeu Epiſcoporum arbitrio ſit, *conſiderantes piaculum tam voluntatis, quam extra voluntatem coacti ad ſuum revertentes vomitum, & tunc canonica promere ſententia &c.* Hæc de his Hadrianus Papa, cum etenim alias a Carolo victis Saxonibus, eorum plurimi chriſtianæ fidei nomen dediſſent, paulo poſt a Carolo rebellantes, Chriſtianam quoque fidem abjecerant. Nunc vero in Caroli poteſtatem iterum redacti, quotquot fidem ſuſceptam abjecerant, ut in eccleſiam admitterentur, rogabant, quos ideo per congruam pœnitentiam recipiendos eſſe Hadrianus juſſit.

Hadrianus pallium Ermenberto Bituricenſi Epiſc. concedit.

8. Epiſtola altera narrat Hadrianus, quod cum Ermenbertus Bituricenſis Epiſcopus Romam a Carolo miſſus adveniſſet, ac Caroli nomine, ut Pallii uſum ſibi tribueret, poſtulaſſet, ne in alterius Metropolitani injuriam caderet, diligenter ſe inquiſiiſſe adnotat. At cum probaſſet Ermenbertus: ſe ſub nullius Metropolitani juriſdictione ſubeſſe, Caroli votis annuens. *Prædicto Ermenberto a noſtra Apoſtolica*

lica ſacratiſſima ſede atque auctoritate Archiepiſcopo conſtituto, in Metropolitanam civitatem, quæ Bituricas cognominatur, ſicut dudum mos extitit, ſub jure recordationis eccleſiæ degenti, uſum Pallii concedimus fruendi &c. . Quem etiam, ut libere munus ſuum exercere poſſet, Carolo commendat.

Hadrianus Papa trabes, & Stannum a Carolo poſtulat.

9. Hac altera epiſtola, cum D. Petri baſilica, aliaque Romæ vel in ruinam ruerent, vel ruere minarentur, ut trabes majores, ſeu longiores, Romam deferre jubeat, Carolum Hadrianus rogat, inſuper pro reſtauratione tecti baſilicæ S. Petri, ut ſtanni libras bis mille olim promiſſas Romam mitteret, exorat. *Quia ipſa eccleſia*, inquit, *fautoris veſtri B. Petri tempore verno ab aquis nimis invaluit, & unde aulæ tectum reſtauremus minime habemus. Sed obnixe petimus, ut per Comites veſtros, qui in Italia ſunt actores, ipſum jam dictum ſtannum dirigere jubeatis per unumquemque Comitem libras centum, utdignam pro hoc ab ipſo Dei Apoſtolo tributionem recipere mereamini*. Eaque epiſtola de bello, quod inter Beneventanos, & Neapolitanos gerebatur Carolum certiorem reddidit his verbis. *Porro & hoc veſtræ regali potentiæ innoteſcimus, quia Arichis Beneventanus Dux juſtitia de hominibus ſuis quærens, exercitum duxit ſuper Amalphitanos Ducatus Neapolitani, & undique eos circumvallans incendit omnes poſſeſſiones eorum, atque habitacula foris poſita, quo audito Neapolitani direxerunt in adjutorium ipſorum plures homines vincentes eos, interfecerunt plurimam multitudinem Ducatus Beneventani. Unde cum ceteros plures, tum Optimates captivos apud ſe habent, quod his vero partibus actum eſt, vobis enucleatius enunciare feſtinavimus*. Ut ſcilicet auctoritate ſua hæc comprimeret, cauſamque componeret.

Sera[illegible] Gerunda a Carolo ejecti.

10. Ad hunc quoque annum, Imperii ſui fines in Hiſpania Carolum Magnum dilataſſe narrant Francorum annales. Cum Gerumdam diu obſeſſam, inde Seracenis cum Duce eorum Machomete ejectis, in ſuam recepit poteſtatem, de quibus in chronico Moſſiacenſi hæc leguntur. *Gerundenſes homines Gerundam civitatem Carolo Regi tradiderunt*, idemque narrat vetus chronicon monaſterii Rivipullenſis his verbis. *Carolus dictus Magnus anno Domini 786. cœpit civitatem Gerundæ vincens in prælio Machometem Regem ipſius civi-*

Jesu Chr. an. 787. *civitatis, & dum cœpit ipſam civitatem, multi viderunt ſanguinem pluere, & apparuerunt acies in Cœlo, in veſtimentis hominum, & ſigna Crucis, & apparuit Crux ignea in aere ſupra locum, ubi nunc eſt altare Beatæ Virginis, & propter hoc mutavit ſedem, quæ tunc erat in eccleſia S Felicis, & in loco ubi nunc eſt*. Eorumdem prodigiorum, alia quoque chronica meminere, in quorum memoriam Arnaldus de Monterotondo Gerundenſis Epiſcopus, edita conſtitutione anno 1445. ſolemnia Miſſarum, & Horarum canonicalium officia inſtituit in honorem Caroli Regis, quas lectiones in ea feſtivitate recitandas juſſit, quibus eadem continebantur, ac uſque ad tempora concilii Tridentini idem officium in ea eccleſia recitatum eſt. Feſtum tamen Carolo Magno dicatum perſeveravit, atque ut ex Marca adnotat Pagius, inter Miſſarum ſolemnia, oratio Panegirica in Caroli Magni laudem recitari ſolet. Hanc Gerundenſem invaſionem, a Carolo factam in annalibus Francorum narrat Cointius tom. 6. pag. 259.

JESU CHRISTI ANNUS 787. HADRIANI PAPÆ 16.
CONSTANTINI IMP. 12. ET 8. IRENES IMP. 8.
CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 14.

Septima synodus Generalis Niceæ celebratur.

I. Septingenteſimo octogeſimo ſeptimo Redemptionis anno Generalis ſynodus, CPoli anno proximo congregata, & hæreticorum factione ſuſpenſa, Niceæ tandem celebrata eſt, præſentibus Romanæ ſedis legatis Petro Presbytero, & Petro Abbate, cum Joanne, & Thoma, qui vices agebant trium Patriarcharum, Apollinaris ſcilicet Alex., Theodori Antiocheni, & Eliæ Hieroſolymitani. Cumque æſtivo tempore Nicæam Epiſcopi undique vocati ſe contuliſſent, iiſque ſe adjunxiſſet Teraſius CPolitanus Patriarcha. *Sancta & univerſalis ſeptima Epiſcoporum ſynodus celebrata eſt*, ait Theophanes, *& eccleſia catholica nulla nova prolata doctrina, quinimmo ſanctorum Patrum aſſertionibus immotis ſtantibus, preſcriptoque hæreſi recens intruſa, antiquum ſuum ſplendorem recepit. At hæc falſi nominis Patriarchas tres Anaſtaſium dico, Conſtantinum, & Nicetam, ſectatoreſque eorum univerſos anathemate percuſſit. Primus autem Epiſcoporum conventus & conſeſſus in communi & primate Sapientiæ eccleſia Niceæ habitus eſt menſis Octobris die undecimo &c.* Una cum Epi-

Digitized by Google

Epiſcopis, adfuerunt etiam ex monachis celeberrimi viri, qui pro pietate, cultuque ſanctarum imaginum hactenus decertaverant, inter eos Plato, Theophanes, & Eutymius, quorum aut facta eſt mentio, aut infra occurret. Epiſcoporum autem numerum, qui Niceæ convenerunt, maximum fuiſſe conſtat, ita ut tercentos quinquaginta circiter, aut 370. etiam Epiſcopos Photius recenſeat, Baſilii autem menologium 365. ibidem fuiſſe adnotat.

Jesu Chr. an. 787.

De Epiſcoporum numero.

2. Antequam vero ipſa concilii acta exponamus, ſeu potius eorumdem compendium, quæ profert Anaſtaſius bibliothecarius in noncupatoria epiſtola ad Joannem Papam octavum de translatione a ſe ex Græco in latinum facta ejuſdem ſynodi ſeptimæ, nonnulla prænotanda ſunt, ac primum de Apoſtolorum canonibus ab ea adoptatis. *Sane notandum eſt* ait Anaſtaſius, *quædam in hac ſynodo ex Apoſtolorum & ſextæ univerſalis Synodi canonibus & ſententiis inveniri, quæ penes nos interpetrata nec habentur, nec admittuntur. Et certe de Apoſtolorum canonibus liquido novimus, quoniam iis quidam facile non præbuerunt conſenſum. Sed & prædeceſſor veſter beatiſſimus Papa Stephanus non ex iis plus quam quinquaginta recipiendos, ſynodice promulgavit, cum quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus aſſumpta eſſe videantur: Unde Apoſtolatu veſtro decernente, non ſolum illos ſolos quinquaginta canones Eccleſia recipit, ſed omnes eorum, utpote Spiritus ſancti tubarum; quoniam & omnium omnino probabilium Patrum, & ſanctorum Conciliorum regulas & inſtitutiones admittit illas dumtaxat, quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant; ſed nec Sedis Romanæ decretis admodum quid reſultant, quin potius adverſarios, id eſt, hæreticos potenter impugnent.* Sic igitur, ſi qui veteribus Romanæ Eccleſiæ inſtitutis & regulis contradicere reperiuntur, iidem canones exploduntur, utpote non Apoſtolorum, ſed ut adulterini partus ipſorum nomine ſuppoſiti: pergit vero dicere de canonibus ſextæ Synodi, quorum mentio in hujus Actis ſeptimæ frequens reperitur. *Ergo & regulas quas Græci a ſexta Synodo perhibent additas, ita in hac Synodo principalis ſedes admittit, ut nullatenus ex iis illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus vel decretis ſanctorum Sedis hujus Pontificum, aut certe bonis moribus inveniantur adverſæ. Quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ,*

De canonibus Apoſtolicis in Nicæna ſynodo citatis.

 quia

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 787.

quia nec interpetratæ, ſed nec in cæterarum Patriarchalium ſedium (licet Græca utantur lingua) reperiantur Archivis, nimirum quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans, aut conſentiens, aut ſaltem præſens inventa eſt, quamquam eoſdem Patres illas Græci promulgaſſe perhibeant, qui in ſexta Synodo ſunt inventi: ſed hoc nullis probare certis poſſunt indiciis. Hactenus de ſextæ Syuodi canonibus Anaſtaſius occaſione eorum canonum, qui in hac eadem Synodo citati reperiuntur. Monet & illud quod haud minoris momenti eſſe videtur, ſic dicens: *In eo ſane quod frequenter Univerſalem in hac ſynodo Græci Patriarcham ſuum inconvenienter appellant: Apoſtolatus veſter Græcorum adulationi veniam det, prælatis ſuis non ſine reprehenſione placere ſtudentium. Verum eum apud Conſtantinopolim poſitus, frequenter Græcos ſuper hoc vocabulo reprehenderem, & faſtus vel arrogantiam redarguerem: aſſerebant, quod non ideo Oecumenicum, quem multi Univerſalem interpetrati ſunt, dicerent Patriarcham, quod univerſi orbis teneat Præſulatum, ſed quod cuidam parti præſit orbis, qui a Chriſtianis inhabitatur: nam quod Græci οἰκούμενον vocant, a Latinis non ſolum orbis, a cujus univerſitate, Univerſalis appelletur, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur*. Ita tunc Græci frigide admodum excuſantes errorem, atque abſurde nimis. Etenim hac ratione, qua Oecumenicum dici poſſe ſuum ipſorum Patriarcham profeſſi ſunt, quod etſi non orbi, loco tamen & habitationi ejuſdem præeſſet: cæteri omnes Epiſcopi Oecumenici pariter dici poſſunt, cum quilibet eorum habitabili orbis loco præſit. At de hac voce alias nonnulla adnotavimus, in Gregorio ſcilicet hujus nominis primo, ſeu Magno.

De triplici versione septimæ synodi.

3. Id etiam cum Anaſtaſio adnotandum eſt ejuſdem ſeptimæ ſynodi tres ex Græco in latinum translationes factas fuiſſe. Primam quidem e verbo ad verbum adeo inconcinnam, & ineptam, ut nec eam librarii excribere dignarentur: quæ cum contemptui penitus haberetur, Anaſtaſius Bibliothecarius opportunus interpres occurrit, atque eam in Latinum vertit, ſenſa ſenſibus quam diligentiſſime reddens eamque inter alia Græco in Latinum translata Concilia Oecumenica in S. R. E. Archivio recondidit. Poſtremo qui Anaſtaſii verſionem ignoravit, primam reſpuens aliam elaboravit: hæc ipſa eſt, quæ cum aliis Conciliis in Conciliorum tomis

mis cuſa habetur, communi uſui expoſita. Cui quantum præſtet quæ Anaſtaſii eſt, intuebitur Lector ſi legat, ſimulque conferat. Nam plura apud Anaſtaſium inveniet, quæ inedita deſiderantur, & ea quidem haud parvi momenti. Sed de prima verſione, quæ ad Joannem Papam ſcribens Anaſtaſius habeat, ex verbis ipſius videamus: ait enim in ipſo ferme exordio epiſtolæ noncupatoriæ: *Indecorum, & inconveniens arbitratus ſum, ſeptimam univerſalem Synodum, quæ præſidente in vicariis ſuis beatæ recordationis prædeceſſore veſtro Hadriano, apud Nicæam ſecundo conveniens, ſub Irena, ſeu Conſtantino Imperatoribus celebrata eſt, non habere Latinos: Nam nulla ratione octava dici vel teneri poterit, ubi ſeptima non habetur; non quod ante nos minime fuerit interpretata, ſed quod interpres pene per ſingula, relicto utriuſque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum e verbo ſequutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix, aut numquam poſſit adverti, in faſtidiumque verſa legentium, pene ab omnibus hac pro cauſa contemnatur, unde a quibuſdam nec ipſa lectione, non dicam tranſcriptione, digna penitus judicatur. Quod ipſe intuens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante Domino, hanc niſus ſum interpretari, Latinis indicens & incongruum cenſens, veſtram maxime omnium magiſtram, Romanam videlicet Eccleſiam eadem Synodo defraudari.* Hæc Anaſtaſius, cum ab eodem Joanne Papa præfectus eſt bibliothecæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Synodi acta in compendium redacta

4. Nunc ad ſynodi geſta tranſimus, quorum ſummam lectoribus exhibemus, ne longioribus actis, monumentiſque in ea productis, ipſa eorum prolixitas faſtidio ſit. Convenientibus itaque Patribus in eccleſia præcipua Nicænæ civitatis Sanctæ Sophiæ dicta, prima ſynodi ſeſſio habita eſt octavo Kal. Octobris, indictionis undecimæ, ubi poſt expoſitam a Taraſio cauſam cogendæ Synodi, lectaſque Imperatorum litteras, actum eſt de lapſis Epiſcopis, quorum nonnulli ſponte ad fidem Orthodoxam reverſi, recipi in Eccleſiam petierant, obtinueruntque inter alios Epiſcopos ſedere, poſt condemnationem & anathematizationem ab ipſis voce prolatam, & ſcripto oblatam hæreſis, & hæreticorum Iconoclaſtarum, ac pſeudoſynodi adverſus ſacras Imagines ſub Copronymo celebratæ, eorumque omnium, qui ſpernerent magi-

Prima ſeſſio. Catholicam fidem profitentes Epiſcopi recepti ſunt.

Jesu Chr. an. 787.

magiſterium SS. Patrum, & antiquam traditionem Eccleſiæ Catholicæ. Reliquorum vero, qui diutius in hæreſi perſeveraverant, quorum fides haud adeo explorata erat, receptionem placuit in ſequentem actionem differri.

Seſſio 2. Hadriani Papæ epiſtolæ lectæ & laudatæ.

5. Quare convenientibus iterum Patribus ſexto Kalendas Octobris, habita eſt diligeus examinatio de fide Gregorii Neocæſarienſis Epiſcopi, qui anteſignanus ferebatur Iconoclaſtarum hæreticorum. Poſtea vero lectæ ſunt litteræ Hadriani Papæ ad Imperatores, & ad Taraſium, de quibus ſuperius egimus: eaque tam ab ipſo Taraſio, quam a reliquis Patribus, cum veneratione & elogio ſuſceptæ, & ſubſcriptione probatæ ſunt.

Seſſio 3. Taraſii Patriarchæ alioꝛumque litteræ lectæ, & receptæ ſunt

6. Tertia vero Actio habita eſt tertio Kalendas Octobris (ita corrigendum ex Anaſtaſii verſione, etſi vulgata habet ſexto Kalendas Octobris, qua die celebratam jam vidimus Actionem II.) ac in ea reſtitutus eſt in locum ſuum prædictus Gregorius Neocæſarienſis, poſtquam ſigna edidiſſet veræ pœnitentiæ. Lectæque ſunt litteræ Taraſii ad tres alios Patriarchas Orientales, nec non quas eorumdem nomine pro ſacris Imaginibus ei reſcripſerant monachi Palæſtinæ: Eæque probatæ, & ſubſcriptione firmatæ ſunt, illatumque anathema adverſus aliter ſentientes,

Seſſio 4. SS. Patrum teſtimonia de imaginum cultu exponduntur.

7. Poſt hæc Kal. Octobris, ut eadem Anaſtaſii translatio habet, quarto convenientibus Patribus allata ſunt ſacra volumina, ex quibus de cultu ſacrarum imaginum teſtimonia recitata ſunt: ex divina Scriptura tam veteris, quam novi Teſtamenti. Deinde vero ex SS. Patribus quamplurimæ decerptæ ſententiæ, allata exempla, & expoſita ingentia plane ac multiplicia miracula, pro cultu ſacrarum Imaginum diverſis locis & temporibus divinitus edita: quæ omnia tu majori otio perlegas adverſus hodiernos Iconomachos veterum illorum aſſeclas. Ad poſtremum S. Synodus inhærere ſe antiquis traditionibus, & Patrum ſententiis profeſſa, anathematiſmos contra Iconomachos promulgavit.

Seſſio 5. Iconoclaſtas anathemate ferit

8. Quinta Actio quarto Nonas Octobris habita, cum Taraſius oſtendiſſet eoſdem hæreticos Iconoclaſtas ſectatos eſſe Judæos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, & Manichæos, inſuper ad veritatis ſacrarum Imaginum comprobationem, alia teſtimonia, rerumque geſtarum hiſtoriæ juſſæ ſunt recitari, redargutis hæreticorum argumentis, quibus ſuam ipſorum

rum hæreſim confirmare niterentur. Deinde patefactæ ſunt fraudes eorumdem hæreticorum, quas tempore præteritæ perſecutionis admiſerant in corrumpendis, abolendis, & incendendis ſacris codicibus, in quibus de venerando cultu ſacrarum Imaginum mentio fiebat, ac denique iterati adverſus eos anathematiſmi.

Sessio 6. Hæreticorum ſynodum condemnat.

9. Rurſumque die ſequenti (nempe tertio Nonas Octobris, ut ex verſione Anaſtaſii liquet) in ſexta Actione recitata eſt definitio ab iiſdem facta in pſeudoſynodo Conſtantinopolitana, eidemque per ſingula capita, aptæ ex Patribus appoſitæ ſunt reſponſiones, atque in ipſo principio oſtenſum, nullum Epiſcoporum Conventum mereri nomen Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex vel per ſe, vel per legatos. Sed & confutatum inter alia, quod Iconoclaſtæ Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ Imaginem Chriſti vocaſſent, ac veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacramento contineri dictum eſt, & ab univerſa Synodo, variis Scripturæ auctoritatibus adnotatum fuit, Panem, & Vinum poſt conſecrationem nequaquam Imaginem dici debere, ſed vere ac proprie eſſe Carnem, & Sanguinem Chriſti, licet congruo ſenſu nonnulli ex Patribus, eadem ante conſecrationem *Typos & Antypa* vocaverint.

Sessio 7. Fidei definitio vulgatur.

10. Denique tertio Idus Octobris convenientibus Patribus in ſeptima Seſſione, ſancita eſt Catholicæ fidei definitio, in qua primum confirmatio facta eſt reliquarum ſex Synodorum Univerſalium: Deinde Catholicum Symbolum recitatum, cum hac de Spiritu Sancto profeſſione, Qui ex Patre, Filioque procedit. Ac demum definitionem fidei de cultu ſacrarum Imaginum his verbis conſcripſerunt. *Sequentes divinitus inſpiratum Sanctorum Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ traditionem Eccleſiæ, (Nam Spiritus Sanctus hanc eſſe novimus, qui nimirum in ipſa habetur). Definimus in omni certitudine & diligentia, ſicut figuram pretioſæ & vivificæ Crucis, ita venerabiles ac ſanctas Imagines proponendas, tam de coloribus, & taxellis, quam ex alia materia, congruetur in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis; ac veſtibus, & in parietibus, ac in tabulis, domibus, & viis, tam videlicet Imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam intemeratæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis ejus, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sancto-*

rum

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 787: *rum ſimul & almorum Virorum. Quanto enim frequentius per Imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: Non tamen ad veram Latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque, ſolum divinam naturam decet, impertiendam: Ita & iſtis, ſicuti figuræ vivificæ Crucis, & ſanctis Evangeliis, & reliquis ſacratis monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit: & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam,* (perſonam videlicet) *Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum noſtrorum doctrina, ideſt traditio Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ. quæ a finibus, uſque ad fines terræ ſuſcepit Evangelium. Sic Paulum qui in Chriſto locutus eſt, & omnem divinum Apoſtolicum cœtum, & priſtinam ſanctitatem ſequimur, tenentes traditiones quas accepimus &c.* Hinc ſubdunt Patres, quicumque aliter tenuerint. *Si Epiſcopi, vel Clerici fuerint deponi præcipimus; Monachos autem, & laicos a communione privari.* Hactenus definitio fidei ex verſione Anaſtaſii. Poſtquam addita eſt cunctorum Epiſcoporum ſubſcriptio, & ſubſecutæ ſunt fauſtæ Patrum acclamationes pro ſtabilita fide Orthodoxa, in laudem præcipue Imperatorum Conſtantini & Irenes, *quos novum Conſtantinum & novam Helenam* appellarunt: additique in hoſtes ſacrarum Imaginum, tam vivos, quam defunctos Anathematiſmi.

Quo ſenſu S. imagines adoratione dignæ dicantur.

11. Sed quod ad id ſpectat, quod Patres definierunt, Imagines ita venerandas eſſe & adorandas, ut tamen nullo modo coli debeant cultu Latriæ, qui ſoli divinitati competit: illud etiam ſuis ſcriptis ſæpius profeſſus eſt S. Joannes Damaſcenus, inter hæreticos numerans eos, qui Imagini cuilibet dicerent tribuendum eſſe cultum Latriæ, quos & nominat *Chriſtianocatagoros*, hoc eſt accuſatores Chriſtianorum, eo quod ipſorum cauſa Chriſtiani ab adverſariis dicerentur idolorum cultores, quaſi imagines ſicuti Deos colerent: ſicut & eamdem hodie calumniam ab Novatoribus Catholici patiuntur. Haud tamen in eorum claſſem conjecerimus Scholaſticos illos, qui Chriſti Imagini, atque Sanctiſſimæ Cruci, Latriæ cultum tribuendum eſſe dixere. Nam cum

cum & ipſorum conſtantiſſima ſit aſſertio, nulli creaturæ divinum cultum eſſe inpertiendum, utique non proprium per ſe exiſtentem Latriæ cultum imaginibus tribuiſſe noſcuntur. (Id enim eſſet revera idolatria): ſed illum tantum qui fit ob aliud, & per accidens, relative ſcilicet ad primum exemplar. Adeo ut definitioni Concilii, non re ipſa, ſed verbis tantum & modo loquendi diſcrepare cenſentur. Verborum autem diſcrepantiam non aliunde accidiſſe putamus, niſi quod, cum vera hujus Synodi ſententia iiſdem doctis viris minime innotuiſſet, calumniarenturque adverſarii (prout dicetur inferius) definitum in ea fuiſſe, cultum Latriæ Chriſti imaginibus deberi, hoc ipſi verum eſſe putantes, pro ea cauſam ſe agere putarunt, ſi quomodocumque; improprietate licet verborum, quam exiſtimarent ejus eſſe ſententiam tuerentur. Hactenus breviarium geſtorum ſynodi, quæ ultra medietatem tomi in folio excederent, ſi eadem annalibus integra inſerta fuiſſent. Cum autem in ſynodo multa a Patribus ibidem congregatis ad confirmandum cultum, & obſequium ſacris imaginibus debitum allata ſint exempla, relatæque ad id probandum hiſtoriæ, non inde tamen ſequitur, eamdem ſynodum in his omnimodam ſibi fidem, auctoritatemque vindicare. Nam ſynodi ſententia de cultu retinendo; quem antiquitus catholica eccleſia docuit, omnimodam fidem ſibi vindicat, ita ut illud tamquam, de dogmate ab univerſa eccleſia recepto, ſine ſalutis æternæ periculo, catholicorum nemo in dubium revocare poſſit. At exempla ad id confiirmandum, vel miracula a Partibus narrata, eam ſibi fidem vindicant, quam auctores, qui hæc narrant merentur, ſicque, ut multa prætereamus, hiſtoria, de imagine Crucifixi, quam Judæi illudendo transfigentes ſanguinem emiſiſſe traditur, quamque a numero 22. ad 35. exhibet Baronius, auctores plurimi ſuſpectam, & Apocrypham judicant: ſed hæc, ut diximus, nullum ſynodi definitioni præjudicium inferunt.

Jesu Chr. an. 787.

12. Præter fidei definitionem, canones quoque vigintiduos Nicæna ſynodus edidit, ad reſtaurandam eccleſiaſticam diſciplinam. Quorum primo antiquos canones confirmat, Apoſtolicos inprimis. Deinde canones aliarum ſynodorum generalium, tum demum localium ſynodorum. At Romana eccleſia quinquaginta tantum ex Apoſtolicis in ſuum

Synodi Nicænæ canones viginti duo.

Jesu Chr. an. 787. recepit Codicem, nonnulloſque etiam ab Orientalibus editos, numquam admiſit. Secundus canon ſtatuit ut nemo deinceps ad Epiſcopatum promoveatur, niſi qui Pſalterium memoria tenuerit pſallendique noverit ordinem, qui *ſcrutabiliter*, *& non tranſitorie*, legere ſciat *ſacros Canones*, *Evangelium*, *Divini Apoſtoli librum*, *& omnem Divinam Scripturam*, ideſt, qui hæc intelligat, & aſſiduo ſtudio magis ac magis ſcrutari valeat. *Ut ſecundum Dei mandata converſari poſſit*, *& docere populum ſibi commiſſum*. *Subſtantia enim ſummi ſacerdotii ſunt eloquia divinitus tradita*, *id eſt vera Scripturarum Divinarum diſciplina*: (ut ait magnus *Dionyſius*) Canon III. electionem Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi a Principibus factam reſcindit, ſecundum Canonem trigeſimum Apoſtolorum, & Canonem quartum Nicænæ Synodi. Quod intelligendum eſt de electione, quam Principes ſibi arrogant dominationis titulo, abſque eccleſiæ conſenſu, privilegio, vel conventione. Quartus, & quintus ſimoniam damnat, prohibetque ne munera pro ordinatione accipiantur, & ne aliquis ea ratione ad ſacros promoveatur ordines, eo quod facultates ſuas, vel earum partem eccleſiæ donaverit. Sextus ut ſaltem ſingulis annis ſynodus Provincialis celebraretur jubet; Septimus ſanctorum reliquias in Templis reſtituendas eſſe decernit, nec ſine iis conſecranda eſſe Templa, ſi Epiſcopus id neglexerit, deponitur. Octavus, Judæos, qui ſuſcepto baptiſmate chriſtianam fidem abjicientes judaizant, in eccleſia nequaquam ſuſcipiendos eſſe jubet, ſed impune dimittendos, neque pueros eorum baptizandos, aut ſervos emendos, vel acquirendos. Hic Canon unus ex iis eſt, *quos prioribus Canonibus*, *vel Decretis Sanctorum Sedis Romanæ Pontificum*, *aut certe bonis moribus adverſari*, ſcripſit *Anaſtaſius Bibliothecarius*, in Prefatione Synodi ad *Joannem VIII.* Pon. Max. Repugnat enim *Sancto Gregorio M.*, lib. 1. Epiſtola 45. lib. 4. epiſt. 6. & lib. 7. epiſt. 24. & Concilio Toletano IV., Can. 56. decernenti ut Judej ab Rege *Siſebuto* ad fidem & Baptiſmum coacti, *fidem*, *quam vi vel neceſſitate ſuſceperunt*, *tenere cogantur*, *ne nomen Domini blaſphemetur*, *& fides*, *quam ſuſceperunt*, *vilis & contemptibilis habeatur*. *Eos autem quos circunciderunt*, *ſi filii eorum ſint*, *a parentum conſortio ſeparari*, *ſi ſervi*, *pro injuria corporis*, *libertati tradi &c*: 13. Ca-

Reliquiæ in Templis collocandæ.

13. Canone nono ſtatutum eſt, ut hæreticorum, & Iconoclaſtarum libri retineantur: decimus Clericos ex eccleſia in eccleſiam tranſire vetat, qui in Magnatum oratoriis inſerviunt, ut puerorum, & famulorum curam gerant, ſynodus præcipit. Undecimus jubet, ut in ſingulis eccleſiis, vel monaſteriis Oeconomi deſtinentur. 12. Ne Res eccleſiæ ab Epiſcopis diſtrahantur, prohibet. 13. Monaſteria ab Leone, vel Copronymo Imp. prophanis uſibus deſtinata, in priſtinum reſtitui jubet. 14. tria docet, pueros ſcilicet abſque ullo ordine tonſuratos fuiſſe, lectores manuum impoſitione fuiſſe ordinatos, ac Abbates monaſteriorum in Oriente jus habuiſſe, ut minores ordines monachis ſuis conferrent. 15. Plura beneficia retinere, ſeu in duabus eccleſiis miniſtrare prohibet, eamdemque beneficiorum pluralitatem, abſque ulla diſtinctione: *Negotiationem, turpe lucrum, rem ab eccleſiaſtica conſuetudine alienam* dicunt. 16. Epiſcopos, & clericos admonet, ut modeſtiam, ſimplicitatemque veſtium retinerent. 17. Templa, vel ſacra ædificia ſive a laicis, ſive a clericis inchoari vetat, niſi ad ea perficienda ſumptus ſuffecerint. 18. Ut ſuſpicionis, vel peccati occaſio tollatur, fœminas in Monaſteriis, vel Epiſcoporum domibus habitare prohibet. 19. Nihil in ingreſſu monaſteriorum, vel pro monaſtica profeſſione exigendum eſſe docet. Quidquid ſponte oblatum fuerit, in monaſterii poſſeſſionem tranſeat. 20. Duplicia monaſteria, ideſt virorum, & mulierum fieri prohibet, multo magis monachos, & monachas in uno habitare monaſterio. Ex uno autem in alterum tranſire monaſterim canone 21. prohibetur. Ultimus tandem ab Chriſtianorum conviviis Thimelicos arcet, ideſt eos, qui lyris, cytharis, & cantibus animos ad mollitiem provocant. Clericos etiam, vel monachos cum mulieribus ſecreto convivari prohibet. Sed de Nicænæ ſynodi canonibus hactenus. Hunc itaque exitum Nicæna tandem ſynodus habuit, felicem ſane fauſtumque, ab ea quippe reſtitutus eſt ſacrarum imaginum uſus, confirmataque priſtina eccleſiæ traditio, ſimulque ſacrarum reliquiarum, & ſanctorum cultus: recepitque eccleſia nitorem ſuum hactenus murorum dealbatione lugubris, atque impuro nitore turpata. In cujus rei memoriam dies ipſa, qua ſynodus finem habuit, in tabulas eccleſiaſticas, anniverſaria memoria celebranda relata eſt, ut

Jesu Chr. an. 787. Reliqui canones Nicænæ synodi.

Beneficiorum pluralitas prohibetur.

JESU CHR. AN. 787.

Imperatores actis ſynodi ſubſcribunt.

ut in Menologio Baſilii videre eſt, die duodecima Octobris.

14. Cum vero CPolim Taraſius, alique Epiſcopi ex Nicæa tranſiiſſent, ſynodi acta ſecum deferentes, iis quoque Conſtantinus, & Irenes Imperatores ſubſcripſerunt, ut Theophanes, & Ignatius in vita Taraſii teſtantur. Cum itaque *Aures Imperatoris divinus impleſſet ſpiritus, audiebant enim eos in unum conveniſſe concentum, auxilio ejus, qui omnia continet, & in unam conſenſiſſe ſententiam, iidem admirati ſunt accurationem, & eſſe doctrinam divinæ inſpirationis, quæ ab eis decreta fuerant, ſapienter judicantes, penna & manu Imperatoria ea optime comprobant & confirmant, & non vilibus donis ſynodum proſequuti, unumquemque mittunt in ſuam civitatem, & ad greges rationis participes*, ideſt Epiſcopos in ſuas diœceſes dimiſerunt. Menſe Novembri Imperatricem urbem cuncti, qui Niceæ fuerant, *ingreſſi ſunt*, ait Theophanes. *Imperatoribus demum una cum Epiſcopis ad Magauram præſeſſum obtinentibus Decreti tomus lectus eſt, cui Imperator, & mater ejus ſanctorum patrum antiqua ſancita confirmaturi ſubſcripſerunt, ac tandem honoribus, & donis Sacerdotes cumulatos dimiſerunt.*

Synodales epiſt. ad Imperatores, ad Hadrianum & ad Clerum CP.

15. His geſtis ad Imperatores primum litteras Taraſius cum ſynodo Niceæ congregata dedit, quibus de geſtis hactenus certiorem reddidit, quodque ea ipſius juſſu, aut permiſſione congregati, hæc perficere potuerint, gratias agit: Unde in fine epiſtolæ addit Taraſius. *Ceterum omnium noſtrum Salvator, qui vobis coimperat, quique per vos eccleſiis pacem ſuam concedere voluit, per multos annos cuſtodiat, Regnum veſtrum cum Senatu, & Principibus, & fideliſſimo exercitu veſtro, atque univerſa Republica, donetque vobis victoriam &c.* Hanc ſequitur epiſtola altera ad Clerum CP., eademque ad omnes eccleſias, qua idem retractant argumentum, & præcipue concilium adverſus imagines ſub Copronymo CPoli celebratum diris devovent, maledictiſque inſectantur, tamquam Caiphæ conciliabulum. Alia extat ſynodalis epiſtola ad Hadrianum Papam data, quam nomine ſuo Taraſius dedit. Cujus hæc eſt inſcriptio. *Per cuncta Sanctiſſimo, & Beatiſſimo fratri, & comminiſtro, Domino Hadriano Papæ ſenioris Romæ, Taraſius miſericordia Dei Epiſcopus CPoleos novæ Romæ in Domino ſalutem*. Eaque quid geſtum tum CPoli anno proximo, cum Niceæ hoc anno nar-

Digitized by Google

narrat: quod legatos ad ſynodum miſerit gratias agit, quem propterea præſentem quodammodo fuiſſe adnotat, ac imagines ubique erectas fuiſſe addit. *Ipſi enim*, Imperatores ait. *In omni loco venerabiles imagines erexerunt, tam ſcilicet in celeberrimis Templis, quam in regalibus Palatiis ſuis &c.*.

De altera Taraſii ad Hadrianum epiſt.

16. Hanc altera Taraſii ad Hadrianum Pontificem epiſtola ſequitur, qua eum tamquam Simoniacæ labis pollutum arguit, ac ut eam ab Romana eccleſia peſtem tolleret, hortatur. Hanc tamen Taraſio ſuppoſitam falſo fuiſſe vel inde facile intelligimus, quod nemo vel leviter Hadrianum Pontificem Simoniacæ pravitatis arguerit, eamque primus vulgaverit Balſamon Rom. eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis. Cum tamen poſt celebratam ſynodum, totus in eo eſſet Taraſius, ut lapſos in eccleſiam non ſolum reciperet, ſed etiam ſuis gradibus & ordinibus reſtitueret, tanta ejus facilitas invidiam eidem peperit, præcipue apud monachos; itaut plerique ab ejus communione receſſerint, quaſi ſimoniace etiam ordinatos reciperet, aut ipſe ea labe tinctus eſſet, quam calumniam ut a ſe averteret Taraſius, ſimulque ut ab Orientali eccleſia tantum nefas arceret, totis viribus incubuit, ut in ejus vita narrat Ignatius. Hinc forte factum eſt, ut cum hujuſmodi calumnia Hadriano quoque apud Orientales comunis facta eſſet, falſo rumore deceptus Taraſius, ad ipſum eam dederit epiſtolam, ut ſic ſe ab hæreſi Simoniaca, eouſque alienum fuiſſe probaret, ut nemini, & nequidem Romano Pontifici parceret. Quid vero contra eamdem Nicænam ſynodum Galliarum Epiſcopi tentaverint, cum ad eos delata fuit, infra ſuo loco dicturi ſumus.

Carolus M. Romam proficiſcitur, deinde Beneventum.

17. Carolus interea, quem Florentiæ Natalem Domini celebraſſe anno proximo diximus, adveniente vere Romam tertio profectus eſt, ubi ab Hadriano Pontifice perhonorifice exceptus, ab eoque, ut veroſimile eſt, rogatus, in Arigim Beneventanum Ducem Romanæ eccleſiæ hactenus infeſtum, ut frequentes Hadriani epiſtolæ teſtantur, arma tulit, eoque Capua, & Benevento mulctato, Romam reverſus, Paſcha ibidem celebravit, ut paſſim Francorum annales referunt. Ex his annaliſta Metenſis hæc narrat. *Carolus Romam venit, & a Papa Hadriano honorifice ſuſceptus eſt, ubi per aliquot dies moratus eſt. Quod cum audiſſet Herigiſus*, ſeu Arigis, *filium*

Lugentem lacrymis populorum roſcida tellus
Principis hæc magni nobile corpus habet.
Hic namque in cunctis recubans celeberrimus heros
Præpollens Arighis, o decus, atque dolor &c.

Poſt plurima, quæ refert Baronius, dum integrum illud recitat. De Adalberga Arighis uxore, ac filiis ſuperſtitibus, Romualdo ſcilicet, & duabus filiabus, hæc addit.

Jam felix olim, nunc namque miſerrima conjux,
Regali in thalamo, quam tibi junxit amor:
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone,
Languida membra trahens, te moribunda dolet.
Viderat unius heu nuper funera nati,
Aſt alium extorrem Gallia dura tenes.
Huic geminæ natæ vernanti flore ſuperſunt,
Solamenque mali ſollicituſque timor:
Has cernens reddi vultus ſibi credit amatos
His trepida ſit, & fluctuabunda pavet &c.

Benevento autem obiiſſe, ibique ſepultum fuiſſe indicat his aliis verſibus.

Planctus ubique ſonat: te luget ſexus, & ætas
Omnis, & ante omnes tu Benevente doles.

Pauli Epitaphio hæc addita leguntur. *Vixit autem quinquaginta tres annos, obiit ſeptimo Kal. Septemb. anno ab Incarnatione Domini 787., & ex Donna Adalberga Principiſſa, filios Romoald, & Grimoald, Egiſiſum, Theoraldam, & Adelciſam ſuſcepit.* At ex filiis unus tantum ſuperſtes fuit; ideſt Grimoaldus, quem in Ducatum Beneventanum paulopoſt Carolus dimiſit.

20. Roma excedens hoc anno Carolus Magnus Romanos cantores in Gallias duxit, ut Romanum cantum, ſeu Gregorianum Gallos docerent, ut narrat Annaliſta a Pitheo editus, qui Monachus Engoliſmenſis a Pagio dicitur. *Rex piiſſimus Carolus celebravit Romæ Paſcha cum Domno Apoſtolico. Ecce orta eſt contentio per dies feſtos Paſchæ inter can-*

Carolus M. Cantores Romanos in Galliam ducit.

JESU CHR. AN. 787. *cantores Romanorum, & Gallorum. Dicebant ſe Galli melius cantare, & pulchrius quam Romani. Dicebant ſe Romani doctiſſime cantilenas Eccleſiaſticas proferre, ſicut docti fuerant a S. Gregorio Papa; Gallos corrupte cantare, & cantilenam ſanam deſtruendo dilacerare. Quæ contentio ante domnum Regem Carolum pervenit. Galli vero propter ſecuritatem domni Regis Caroli valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos ſtultos ruſticos, & indoctos velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam S. Gregorii præferebant ruſticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret: ait domnus piiſſimus Rex Carolus ad ſuos cantores: Dicite palam quis purior eſt, & quis melior, aut fons vivus, aut rivuli ejus longe decurrentes? Reſponderunt omnes una voce, fontem velut caput & originem puriorem eſſe, rivulos autem quanto longius a fonte receſſerint, tanto turbolentos & ſordidos, ac immunditiis corruptos: & ait domnus Rex Carolus: Revertimini vos ad fontem S. Gregorii, quia manifeſte corrupiſtis cantilenam Eccleſiaſticam. Mox igitur petiit domnus Rex Carolus ab Hadriano Papa cantores, qui Franciam corrigerent cantu: ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romanæ Eccleſiæ doctiſſimos cantores, qui a S. Gregorio eruditi fuerant, tribuitque Antiphonarios S. Gregorii, quos ipſe notaverat nota Romana. Domnus vero Rex Carolus revertens in Franciam, miſit unum Cantorem in Metis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ magiſtros ſcholæ, Anitphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare. Correcti ſunt ergo Antiphonarii Francorum, quos unuſquiſque pro arbitrio ſuo vitiaverat, addens vel minuens, & omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciſcam, excepto quod tremulas vel vinnulas ſive colliſibiles vel ſecabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces, quam potius exprimentes. Majus autem magiſterium cantandi in Metis civitate remanſit. Quantumque magiſterium Romanum ſuperat Metenſe in arte cantilenæ, tanto ſuperat Metenſis cantilena cæteras ſcholas Gallorum: Similiter erudierunt Romani ſupradicti Francorum cantores in arte organandi.* Ideſt pulſandi organa, quorum primum non multo ante, Pippini ſcilicet tempore, e CPoli in Gallias delatum fuerat, ut ſupra ſuo loco adnotavimus.

21. Præ-

21. Præter cantores, qui eccleſiaſticum cantum in Galliis docerent. *Artis Grammaticæ, & computatoriæ magiſtros a Roma ſecum adduxit Rex Carolus*, ait idem monachus Engoliſmenſis, ac addit. *Et ubique ſtudium litterarum expandere juſſit. Ante ipſum enim in Gallia nulli ſtudium fuerat liberalium artium*, Et ſane innumera ſuperſunt tanti Regis monumenta, quibus conſtat eum divinas, humanaſque litteras in Galliis pene extinctas, poſtliminio revocaſſe, ac non ſolum Epiſcopos Regni ſui, & Abbates ad id operis excitavit, ſed etiam undique in Gallias litteratos viros vocavit, ut ibidem ſacras, humanaſque litteras docerent; hinc merito ad eum ſcribebat Alcuinus. *Veſtram optimam ſollicitudinem Domine mi David*, ideſt Carole, *ſemper amare, et prædicare ſapientiam cognoſcebam, omneſque ad eam diſcendam exhortari, immo et præmiis honoribuſque ſollicitare, atque ex diverſis Mundi partibus amatores illius, veſtræ bonæ voluntatis adjutores convocare ſtuduiſſe, inter quos me etiam infimum ejuſdem ſanctæ ſapientiæ vernaculum de ultimis Brittanniæ finibus adſciſcere curaſtis &c.* Cum autem olim Epiſcopos, & Abbates excitaſſet, ut in eccleſiis cathedralibus, & monaſteriis, pro clericorum, vel monachorum inſtructione ſcholas aperirent, cum illæ utpote privatæ pro clericis, & monachis eſſent, atque ad eas laicis aditus facilis non eſſet, publicas quoque multis in locis aperiri juſſit, quæ omnibus paterent. Rem vero, non eo, quo cupiebat ſucceſſu, progredi cernens, in has aliquando querelas erupit, quas ſapientiſſima reſponſione Alcuinus ſedavit, ut his verbis narrat Monachus SanGallenſis, qui creditur eſſe Notkerus balbulus, cap. 12. *Generoſiſſimus Carolus per totum Regnum ſuum ſtudia litterarum florere conſpiciens, ſed maturitatem Patrum præcedentium non pervenire condolens, & plusquam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit. O utinam haberem duodecim clericos ita doctos, omnique ſapientia ſic inſtructos perfecte, ut fuerunt Hieronymus, & Auguſtinus, ad quod doctiſſimus Albinus, ex illorum comparatione merito ſe indoctiſſimum judicans, in quantum nullus mortalium in conſpectu terribiliſſimi Caroli audere præſumeret, maxima indignatione concepta, & parumper oſtenſa. Creator Cœli & terræ ſimiles illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim.* Injuria itaque Carolum conqueri docebat:

JESU CHR. AN. 787.
Carolus Grammaticæ magiſtros, & Rationarios in Galliam ducit.

JESU CHR. AN. 787. cebat: eo quod duodecim Hieronymo, & Auguſtino pares non haberet, cum Deus ipſe unum tantum Hieronymum, unumque Auguſtinum creaſſet.

Caroli hortatoria epiſtola ad Epiſcopos, & Abbates.

22. Hujuſcemodi pro inſtaurandis ubique diſciplinis ſollicitudinis teſtes ſunt litteræ ab eo ad Epiſcopos Regni ſui, & Abbates hoc tempore datæ, quibus eos hortatur, ut non ſolum ſedulo litterarum ſtudiis vacarent, ſed etiam ut eas docerent. Ex his unam Rangulpho Fuldenſi Abbati, totique ejus congregationi inſcripſit, quam commemorans in Annalibus ſui Ordinis Mabillonius. *Digna* quidem ait, *ut integra exhibeatur*. At brevitati ſtudentes, hæc tantum, prope finem epiſtolæ tranſcribimus. *Quamobrem hortamur vos litterarum ſtudia non ſolum non negligere, verum etiam humilima & Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, ut facilius & rectius Divinarum ſcripturarum myſteria valeatis penetrare.... Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem, & poſſibilitatem diſcendi, & deſiderium habeant alios inſtruendi &c.* His vero ſimilia ſunt, quæ ceteris Epiſcopis, & Abbatibus ſcripſit, ſed hæc adnotaſſe hoc loco ſufficiant.

Hadrianus Papa Taſſilonem cum Carolo reconciliare ſtudet

23. Dum Romæ Carolus eſſet, advenerunt illuc Taſſilonis Bojariæ ducis legati. Arno ſcilicet Salisburgenſis Epiſcopus, & Henrichus Abbas Manſenſis, *rogantes* Papam, ut ait Annaliſta Metenſis. *Ut pacem faceret, litemque terminaret inter Carolum Regem, & Taſſilonem Ducem: quod libenter ſuſcepit Papa. Rex autem ad poſtulata reſpondit, ſe hoc per multa tempora quæſiſſe, ſed minime obtinere potuiſſe. Ne tamen inobediens videretur eſſe monitis Apoſtolicis aſſeruit ſe in ejuſdem Papæ præſentia, cum eiſdem Miſſis pacem velle firmare. Illis autem renuentibus, & dicentibus, non ſe audere pro ſuo Domino difinitivam ſuſcipere ſententiam, neque ſe ad hoc deſtinatos eſſe, videns Apoſtolicus ficta mendacia, & cognoſcens inſtabilitatem Ducis, iratus anathematizavit ipſum Taſſilonem, & omnes illi faventes, niſi fidelitatem, quam Regi Pippino, & filio ejus Carolo promiſerant, per omnia obſervarent. Conteſtans per ſuos Miſſos Ducem & monens, ne per ejus perfidiam ſanguis Chriſtianorum funderetur, & terra vaſtaretur. Et ſi ipſe Dux obedire nollet, tunc Rex & exercitus ejus abſoluti eſſent a Deo & S. Petro, & quidquid in Ducatu ejus factum eſſet in incen-*

Digitized by Google

incendiis, & homicidiis, vel qualicumque malitia, totum hoc ſuper Taſſilonem & ſocios ejus verteretur, & Rex & Franci eſſent innoxii. His verbis Miſſi Taſſilonis abſoluti, ſeu dimmiſſi ſunt.

JESU CHR. AN. 787.

24. Interea cum Vormatiam tranſiiſſet Carolus, ac re infecta cum Taſſilonis legatis Roma diſceſiſſet, ingenti cum exercitu adverſus eum irruptionem fecit, cui cum reſiſtere non poſſet, ad Regem ſponte venit, fidemque ſuam, duodecim obſidibus, cum filio ſuo Theodone datis obligavit, renovavitque ſacramentum Pippino, & Carolo olim datum, ſicque in Franciam Carolus rediit, & celebravit Natale Domini in *Ingelheim*: ſeu *Ingelhemium* ait idem Annaliſta Metenſis, res a Carolo hoc anno geſtas in compendium referens.

Taſſilo Bavariæ Dux Carolo ſe ſubmittit.

25. Cumque Vormatiæ eſſet hoc anno Carolus Magnus ſynodum, ſive Procerum conventum celebravit, ibique quæ hactenus in Italia geſſerat expoſuit. Deinde Villebadum, quem biennio ante ad prædicandum in Vigmodia evangelium miſerat Vormatiam accerſivit, ibique eum tertio idus Julii Epiſcopum conſecrari juſſit, cujus jam antea officium per annos aliquot expleverat, ſicque primus Bremenſis eccleſiæ Epiſcopus recenſetur, qui Epiſcopali benedictione accepta, omnium virtutum ſplendore eam eccleſiam ornavit, ut apud Anſcharium ſeculi proximi, in Bremenſi eccleſia ſucceſſorem, vitæque Villebadi ſcriptorem videre eſt, quam Mabillonius ſeculo tertio Benedectino inſeruit.

Villebadus Epiſcopus Bremenſis ordinatur.

26. Bremenſem vero eccleſiam auctoritate Hadriani Papæ, & Lulli Mogontini Metropolitani Epiſcopi, erectam, privilegiis, & poſſeſſionibus Carolus auxit, cujus rei teſtis extat ejuſdem Caroli diploma, quo ſe Dei protectione munitum Saxones hactenus Deo, ſibique rebelles viciſſe narrat, ac ibidem, Epiſcopalem quoque ſedem in Bremon oppido erexiſſe addit, ac poſt aliqua. *Adhuc etiam ſummi et venerabilis Papæ Hadriani precepto nec non & Moguntiacenſis Epiſcopi Lullavis, omniumque qui affuere Pontificum conſilio, eamdem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendiciis Villebado probabilis vitæ viro coram Deo, & ſanctis ejus, commiſimus. Quem etiam primum ejuſdem Eccleſiæ, tertio Idus Julii, conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populis divini ſemina verbi, ſecundum datam ſibi ſapientiam fideliter diſ-*

Caroli M. diploma pro Bremenſi eccleſia.

JESU CHR. AN. 787.

penſando, & novellam hanc Eccleſiam canonico ordine, et monaſteriali compotentia utiliter inſtruendo iterum plantet et riget, quouſque precibus Sanctorum ſuorum exoratus incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam venerabilis vir ſerenitati noſtræ eam, quam diximus parochiam, propter barbarorum infeſtantium pericula, ſeu varios eventus, qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſive ſtipendia Dei ſervorum, inibi Deo militantium, minime ſufficere poſſe. Quamobrem quia Deus omnipotens in gente Freſonum, ſicut et Saxonum, oſtium fidei aperuit, partem prænominatæ regionis, videlicet Freſiæ, quæ huic contigua parochiæ eſſe dignoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ, ſuoque proviſori Willehando Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia caſus præteritorum, cautos nos faciunt in futurum: ne quis (quod non optamus) aliquam ſibi in eadem diœceſi uſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari: eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Haſalam, Vimarcham, Sneidbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridiſmoer, Quiſtinam, Chiſemmor, Aſchrorh, Viſerbroch, Bivernam, Uternam, iterumque Oſtam. Ab Oſta vero Bicinam uſquequo perveniatur ad paludem quæ dicitur Chaltenbanch. Deinde ipſam paludem uſque in Vemnam fluvium. A Vemna vero Bricinam Farſtinam uſque in Virraam fluvium. Dehinc ab Orientali parte ejuſdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Heſſevech, Sturmegoe, et Lorgoe, diſterminantem Sethbaſam, Alapam, Caldbova, iterumque Virraam. Ex Occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Folvech, Derve, et Lorgoe dividentem uſque in Hurtam fluvium. Deinde ipſum flumen et Amrinum Lucem ſilveſtrem, quem incolæ loci Vildloch nominant, Finolam, Valdeſmor; Bercpol, Eddindriad paludem, Emiſgoe, et Oſtrigoe diſterminantem Bruſtlabo, Biberlach, iterumque mare; firmos et intranſgreſſibiles circumſcribi juſſimus. Et hujus donationis ac circumſcriptionis auctoritas, noſtris futuriſque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus, et auli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Domini Caroli Regis invictiſſimi. *Hildibaldus Archiepiſcopus Colonienſis, et ſacri Palatii Capellanus recognovi. Data pridie Idus Julii, anno Domini Incarnationis ſeptingenteſimo*

Digitized by Google

mo octogeſimo octavo Indictione duodecima. Anno autem Domini Caroli vigeſimo primo. Actum in palatio Nemetenſi feliciter. Amen. Hactenus de fundatione Bremenſis eccleſiæ diploma, biennio poſt datum, cui clauſulam ultimam de anno Incarnationis, & Regni Caroli, Adamum Bremenſem canonicum in hiſtoria Bremenſis eccleſiæ addidiſſe adnotat poſt Mabillonium Pagius not. 10. an. 788. JESU CHR. AN. 787.

27. Villibaldi ordinationi adfuiſſe, aut ſaltem conſenſiſſe Lullum Mogontinum Archiepiſcopum in ſuo diplomate narrat Carolus Magnus, quem hoc anno, exactis in eadem ſede annis trigintaduobus, in monaſterio Herfeldenſi a ſe condito, obiit, ibique ſepultus eſt, die 17. Kal. Novemb. ait Mabillonius, adnotans nonnullos, anno ſuperiore 786., eum obiiſſe ſcripſiſſe, ac inter eos Pagius; Sub vitæ finem continuis morbis afflictus, ad Cœnam in Anglia Epiſcopum ſcribebat. *Aſſiduis corporis ægritudinibus, cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnoſa & periculis pleniſſima vita exire, redditurus pio & diſtricto judici rationem*, Cum multis dum viveret, virtutibus, & paſtorali ſollicitudine claruiſſet, die qua obiit, ejus memoria in eccleſia Mogontina recolitur, eximium ejuſdem zelum in diſciplina eccleſiaſtica retinenda, moribuſque corrigendis, probat ejuſdem epiſtola ad Svitham Abbatiſſam data, qua eam duriſſime increpat, quinimmo excommunicat, eo quod ex ſororibus duas extra clauſtra vagari permiſerat. *Pro hujuſmodi ſtultitia*, ſubdit poſt aliqua, *Excommunicatam te eſſe ſcias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum conſentiendo perpetraverunt, uſque dum digna ſatisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas & inobedientes ſupradictas fœminas, intra cellam veſtram non recipiatis, ſed foras monaſterium excommunicatæ ab eccleſia Chriſti ſedeant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane, & aqua, & vos ſimiliter abſtinendo ab omni carne, & ab omni potu, qui melle indulceratur &c.* Hæc & alia ibidem Lullus, cujus etiam elogium his verſibus contextum refert Malesburgenſis. Lulli Mogontini Epiſc. obitus.

Antiſtes Lullus, quo non eſt ſanctior ullus
Pollens divina, tribuens Deo medicina.
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

De

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 787.

De quo plura apud eum, vel apud Mabillonium in ejus vita ſeculo 3. parte 2. videri poſſunt.

De Hadriani Papæ epiſtolis ad Carolum M.

28. Reſtat nunc, ut de epiſtolis ab Hadriano Papa ad Carolum Magnum hoc anno datis, nonnulla adnotemus, quarum prima de incolumnitate Caroli, & Ildegardæ uxoris ejus, filiorumque gratulatur, ac pro Cruce Romam ab eo miſſa gratias agit, ac tandem rogat, ut Miſſos ſuos in Italiàm dirigat, quorum opera civitates Romanæ eccleſiæ donatas, tam in Thuſcia, quam in Ducato Beneventano reciperet. *Hoc magnopere poſcimus*, inquit, *& ſicut per anteriores noſtras ſyllabas veſtram poſcimus regalem potentiam, ita perficere dignetur, uti denuo eos miſſos ſuos dirigere jubeat, qui nobis contradere debeant fines Populonienſes, & Roſcellenſes, ſicut ex antiquitus fuerunt, nam ex parte nobis ex ipſis finibus non tradiderunt. ſed quæſumus ut veſtræ regalis oblationis donatio ſine tenus maneat inconvulſa, præſertim, & partibus Ducatus Beneventani idoneos dirigere dignetur miſſos, qui nobis ſecundum veſtram donationem ipſas civitates ſub integritate tradere in omnibus valeant &c.*

Hadriani ep. altera pro eadem cauſa ſeu pro obtinendo Ducatu Beneventano &c.

29. Epiſtola altera, idem pertractat argumentum Hadrianus, cum ad eum Caroli Magni legati adveniſſent Roro Capellanus, & Retto; eaque narrat Atalgiſum Deſiderii quomdam Italiæ Regis filium, qui CPolim belli tempore, ut ſupra diximus, aufugerat, illuc tempus recuperandi Italici Regni expectans, in Italiam rediiſſe, ac in Calabriæ partibus ſubſiſtens, res Italiæ eouſque turbaverat, ut ſi Kal. Maii ad Kal. Septembris exercitum Carolus in Italia non emiſiſſet, Græcorum opera, maximas ibidem conturbationes futuras eſſe prævidebat. Nam ſubdit Hadrianus. *Nos de ipſo Athalgiſò audivimus per fideliſſimum miſſum veſtrum Arvinum Comitem, vobis intimare non omiſimus, ut . . . . Domino opitulante, atque B. Petro Apoſtolorum Principe comitante, præcipua veſtra regalis providentia prudentiſſima, ſuam noſtramque ſalutem procuret.* Et iterum paulopoſt. *Nempe quidem ſcimus, quia ipſe iniquus, & perfidus Adalgiſus pro nulla alia cauſa in iſtis declinavit partibus, niſi tantummodo pro veſtra, noſtraque contrarietate. Unde oportet, ut firmiſſima veſtra ſacra partibus Beneventanis emittere, veſtra præcelſa Regalis Excellentia nitatur, ut undique per veſtrum Regalem amminiculum imperturbati pariter maneamus.* In iiſdem

iiſdem litteris Hadrianus *Carolo* ſignificat, conſulendum in primis Benevento, num ſcilicet in fide jurata, manerent Beneventani, ac dubium non eſſe quin *Athalgiſus*, ſive *Adalgiſus* res novas in Italia moliretur, Francis & Apoſtolicæ Sedis paratus inferre damna, niſi Regis exercitus inter Kalendas Maii uſque ad Septembrem adeſſet, additque ſe didiciſſe a Leone Epiſcopo conſilium *Adalbergæ* Aragiſi relictæ hoc eſſe, ut ſtatim ac Grimoaldus ejus filius ad Beneventanos fines acceſſerit, duas ſuas filias, orationis ſpecie, ſecum ad Eccleſiam S. Michaelis in monte Gargano conſtructam ducere, ac inde pergat Tarentum, *ubi & theſauros ſuos reconditos habet, quia tantum octoginta millia diſtat a Sancto Angelo uſque Tarantum. Sed in hoc minime veſtra a Deo promota Excellentia conſiderare debeat, quod pro noſtra aviditate ipſas Civitates adquirendum; quas Beato Petro Apoſtolo; & nobis condonaſtis, talia vobis inſinuare ſtuduimus*. Denique Hadrianus, quemadmodum in Tuſcia Suanam, Tuſcanam, Biternum, Balneum Regis, aliaſque Civitates cum finibus, ac territoriis obtinuerat, ita Regiorum Legatorum opera juſtitias ſibi fieri de Populonio, & Roſellis, Urbeſque Beneventani Ducatus ab eodem Carolo nuper Apoſtolicæ Sedi conceſſas, reddi poſtulavit: *Ita in eo modo Civitates in partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis, ut dum miſſi veſtri veſtros ſuſceperint Regales firmiſſimos affatus, ſine qualibet interpoſita dilatione nobis eas contradere ſub integritate valeant, ut nullus ſit, qui poſſit extinguere veſtrum illibatum ſacrificium*. Hæc & alia ibidem Hadrianus Papa, qui eamdem cauſam iterum agere, litteraſque ſcribere anno proximo coactus fuit, ut ibidem dicturi ſumus.

Jesu Chr. an. 787.

30. His altera Hadriani Papæ epiſtola addenda eſſet, quam ex Floriacenſi bibliotheca acceptam, annalibus ſuis inſeruit Baronius, Bertherico Viennenſi Archiepiſcopo data, dum adhuc Romæ Carolus eſſet, niſi eam apochrypham eſſe nos admonuiſſet Pagius, quam etiam Francorum Annalium ſcriptores præterierunt, Sammarthani in Gallia chriſtiana, Cointius in annalibus Francorum, aliique; eaque Metropolitanorum in Galliis auctoritatem illæſam ſervandam eſſe jubet, nil obſtante, quidquid in contrarium pro temporum incuria, & tempore incurſionis barbaricæ neglectum, vel immutatum fuerit, quod etiam ſe ſervaturum, præſtito ſupra cor-

Hadriani Papæ epiſtola ad Berthericum Viennenſem Epiſc. ſuppoſititia.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 788. corpus B. Petri juramento, Carolus Magnus promiſerat, ut ibidem Berterico narrat ejuſdem epiſtolæ auctor ignotus.

JESU CHRISTI annus 788. Hadriani Papæ 17. Constantini Imp. 13. et 9. Irenes Imp. 9. Caroli Magni Italiæ Regis 15.

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum de Arigiſii, & Adalgiſi conatibus.

1. Ob Caroli Magni adventum Romam anno proximo, obque fidem ab Arigiſio Beneventano Duce eidem datam, pacatiores Italiæ, & Romanæ eccleſiæ res futuras impoſterum ſperaverat Hadrianus Papa, quas nihilominus gravius turbari didicit, ut in litteris ad Carolum hoc anno datis teſtatur, quarum altera ex relatione Gregorii Capuani Presbyteri narrat, quod cum vix ab urbe Capuana, anno præterito diſceſſiſſet, *Arighis Dux ſuus*, ideſt Capuanus, ſeu Beneventanus, *ad Imperatorem*, ſeu ad Conſtantinum, *Deo ſibi contrario emiſit miſſos, petens auxilium, & honorem Patriciatus una cum Ducatu Neapolitano, ſub integritate, ſimul & ſuum Cognatum Athalgiſum cum manu valida in adjutorium ſibi dirigi, promittens ei tam in tonſura, quam in veſtibus uſu Græcorum perfrui, ſub ejuſdem Imperatoris ditione. Hæc audiens autem Imperator, emiſit illi ſuos Legatos, ſcilicet Spatarios duos, in ditionem Siciliæ ad Patricium eum conſtituendum, ferentes ſecum veſtes auro textas, ſimul & ſpatam, vel pectinem, & forcipes, ſicut illi prædictus Arichiſus indui & tonderi, pollicitus fuerat, petentes Ramualdum, ejuſdem Archiſi filium in obſidiatum, de Athalchio vero cognato, emiſit ei dicens: Quia nunc illum non dirigimus, quem apud illum nunc dirigimus, ſed eum dirigimus cum exercitu in Terviſio, aut Ravenna, qui venientes, Dei nutu, per ſuffragia Apoſtolorum, malignantium conſilia diſſipata repererunt. eo quod Arichiſum Ducem, vel ipſius filium Valdonem defunctum invenerunt*, uti anno proximo diximus. Deinde quanto cum honore Conſtantini Imp. legati excepti ubique fuerint, ac in Ducatu Neapolitano, & Beneventano, turbatæ res fuerint, ac ad rebellionem paratæ, his verbis addit. *Dum ibidem Salerno Atto fideliſſimus veſter miſſus fuiſſet, Beneventani ipſos Græcos minime recipere voluerunt, ſed poſt reverſionem prædicti Attonis Diaconi, tunc eos, terreno itinere, a finibus Græcorum deferentes, Salerno receperunt, & cum Athalberga, relicta Arichis, ſeu optimatibus Beneventanis, tri-*

tribus diebus perſiſtentes conciliati ſunt, ſuadentes ipſi Beneventani prædictis Miſſis Græcorum dicentes: Quia nos ad Regem Carolum emiſimus Miſſos noſtros, petentes ab eo Grimoaldum Ducem noſtrum recipere. Inſuper & per Attonem Diaconum, ipſo nobis pollicente, rogam emiſimus, ut penitus eum ducem conſequenter ſuſciperemus, ſed propter hoc morari vos Neapoli convenit, dum uſque ipſum Grimoaldum recipere poſſimus Ducem: & quod genitor ejus Arigiſus minime valuit adimplere; Grimoaldus ejus filius, dum culmen genitoris ſui adeptus fuerit, prorſus imperialem voluntatem cum omni ditione, ſicut cum ſuo conſtitit genitore, in omnibus adimpleat, pariter nobis promiſſa explentibus. Quapropter terreno itinere uſque Neapolim eos, cum magno deduxerunt honore, qui Neapolitani ipſos Græcos cum bandiis & ſignis ſuſcipientes, ibidem degentes prædictæ rei præſtolantes adventum, non deſinunt cum Stephano Epiſcopo, & Conſtantino civibus Neapolitanis, adverſa perpetrantes tractare, mittentes ipſi Græci ad Imperatorem, de obitu Arichiſi, filiique ejus denunciantes, & ab eo expectant conſilium, quid agere debeant. De inſidiis vero ſtructis Caroli miſſis, Maginario Abbati, Joſepho, & Loderico Comiti, atque Gotheranno hoſtiario, ex ejuſdem Gregorii Presbyteri litteris nonnulla addit, eos ſcilicet Benevento aufugientes Spoletum rediiſſe. *Eo quod tale conſilium Beneventani cum Neapolitanis, & Surrentinis, atque Amalfitanis habuerunt, ut foris civitate Salernitana, juxta mare veſtros miſſos applicare facerent, & noctе repentino curſu ſuper eos ruentes Beneventani cum Neapolitanis illos interficerent &c.* Hæc & alia ibidem Hadrianus Papa, qui Epiſtola altera hoc eodem anno data, idem pertractans argumentum, ſuum conſilium ab Caroli legatis ſecutum non fuiſſe, narrat.

Hadriani ep. ad Carolum qua de legatis Caroli conqueritur.

2. Cum etenim de turbis in Ducatu Beneventano, & Neapolitano excitatis, ab Hadriano admonitus fuiſſet Carolus, legatos ſuos Romam direxit, Attonem ſcilicet Diaconum, & Goterannum Oſtiarium. Deinde Maginarium Abbatem, & Joſephum Diaconum, quos ſequebatur Luthericus Comes, iiſque juſſerat Carolus, ut Hadriani Papæ conſilia ſequerentur, cui cum non obtemperaſſent, in deterius res ibidem prolapſæ ſunt. Nos quidem, ait Pontifex. *Tale conſilium illis præbuimus, ut nullo modo ſe alter ab altero ſepa-*

Jesu Chr. an. 788. *ſepararet, ſed praeuntes Atto, & Goteramus in oppido Valvæ ibidem expectarent, tam Maginarium, & Joſeph, quam Luidericum, quem ſocii ejus apud nos morantes expectabant, qui præcedentes, ſcilicet Atto cum Gotteramno, nullo modo noſtris accommodaverunt conſiliis; ſed relinquentes penitus Maginarium ſeu Joſeph, & Liudericum, abierunt ſingulariter Benevento, unde poſt tergum eorum euntes Maginarius cum Joſeph, & Luiderico in Benevento, jam Attonem & Gotteramnum nullo modo invenire valuerunt, eo quod in Salernum perrexerant ad Albergam relictam Arichis ducis, ubi dum Maginarius eum ſociis ſuis a fidelibus veſtris audiſſent, ſicut nobis ipſi intimaverunt, eo, quod infideliter agerent tam relicta prædicti Archiſi Ducis, quamque cæteri Beneventani, erga veſtram regalem Excellentiam, atque noſtrorum Apoſtolatum: iniqua atque adverſa tractare non deſinunt, fugam arripientes Maginarius cum Joſeph, & Liuderico, una cum Gotteramno, qui ad eos adloquendum venerat a Salerno, introjerunt in finibus Ducatus Spoletini in præfato Oppido Valvæ, & ibidem morantur uſque ad veſtrum regalem in triumphis diſpoſitum. Atto vero audiens, ut fertur, fugiens intus in Eccleſiam Salerni, præ timore, ejuſdem Eccleſiæ altare tenuit. Ipſi autem Beneventani ſuadentes, ut reor, et ſimulantes eum mitigaverunt, & veſtrum clericum ficte miſerunt, ſe ipſos fideles in omnibus commendantes, quæ ſane pro amore, & obſequio ei debito, nullo modo valemus prætermittere* ait Hadrianus, ac ſubdit, quod cum Romam adveniſſet idem Gregorius Capuanus Presbyter, cum ſociis nonnullis: *Intimaverunt nobis, quod dum Atto Diaconus ad veſtram reverſus eſt Excellentiam, ſtatim miſi Græcorum duo Spatharii Imperatoris, cum Diucitin, qui latine diſpoſitor Siciliæ dicitur, in Lucaniæ Acropoli deſcendentes, terreno itinere, Salernum ad relictam Aregeſi Ducis peragrantes, tertio decimo Kal. Febr. pervenerunt, qui ibidem cum ipſis tres dies conſiliantes, Beneventani poſt tertium diem uſque Neapolim deduxerunt. Neapolitani vero cum magno obſequio cum ſignis et imaginibus ſuſcipientes, Neapolim ingreſſi ſunt, pariter et uſque hactenus cum ipſis Neapolitanis, atque Stephano Epiſcopo ejuſdem Neapolitanæ eccleſiæ, pertractantes exiſtunt.* Quare ne tantam Beneventanorum perfidiam, qua fidem anno proximo Carolo datam fregerant, impunitam relinqueret,

ret, hortatur. *Sed veſtra regalis potentia*, ſubdit, *ſic illis in triumphis præire ſatagat, ut et illorum protervìam proculdubio imminentem ſub pedibus ſuis conculcet, et ſua exaltatio in toto profametur Mundo, tam de ſui prudentiſſima regali victoria, quamque de ſacratiſſima oblatione, quam in partibus ipſis Beneventanis B. Petro fautori ſuo puro corde ob nimium amorem atque ſempiternam memoriam condonavit &c.* Pro quibus ſe preces continuas in confeſſione B. Petri fundere teſtatur.

Hadriani Papæ epiſt. altera ad Carolum, qua gratias pro acceptis beneficiis agit.

3. Cum binas Hadriani Papæ epiſtolas accepiſſet Carolus, quarum primam Arvinus Comes detulerat, alteram Roro., & Betto miſſi regii, iis reſpondens de prudenti conſilio gratias egit. Hadrianus vero his acceptis alteras continuo Carolo reddidit, gratias ei reddens, eo quod Arvino, & ſociis in Italiam redeuntibus juſſerit, ut Campaniæ civitates, fineſque Populonii, & Boſellarum Rom. eccleſiæ traderent, juſſa nihilominus Caroli nequaquam ab miſſis ejus hactenus impleta fuiſſe conqueritur. Unde poſt plurima. *Reperimus* ait Pontifex *in ipſis veſtris apicibus embolum*, ideſt mandatum, *de civitatibus in partibus Beneventanis, quas B. Petro Apoſtolo, & nobis devota obtuliſtis mente, de Roſellis, & de Populonio Arvino Duci juſſiſtis, qualiter cum ceteris fidelibus veſtris Miſſis, ita omnia complere debeat, ſicut Deo placeat, & B. Petro Apoſtolo, & nos propterea in his, pro veſtra benevola Excellentia, non deſinimus divinam exorare clementiam. Sed quid Miſſis veſtris contigit, veſtra noluerunt adimplere de hujuſmodi juſſa, neque de Roſellis, & Populonio, neque partibus Beneventanis. Unde Creſcentem, & Adrianum Duces, cum fideliſſimis Miſſis veſtris in partibus Beneventanis direximus, veſtra regalia ſuſcipientes vota, ſed nulla alia illis tradere voluerunt, niſi Epiſcopia, Monaſteria, & curmines publicas, ſimul claves de civitatibus ſine hominibus, & ipſi homines eorum poteſtate introeuntes & exeuntes manent, & quomodo non ſine hominibus, civitates illas habere potuerimus, ſi habitatores earum adverſus eas machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, ſicut cæteras civitates in partibus Tuſciæ donis veſtris regere, & gubernare eos cupimus omnem eorum habentes legem. Unde petimus veſtram excellentiam, ut nullus hominum ſit, qui veſtra ſacra vota impedire valeat &c.*

 4. Cum-

Jesu Chr. An. 788.

Grimoaldus in Beneventanum Ducatum remiſſus

4. Cumque eodem tempore accepiſſet Hadrianus Grimoaldum Aregiſii Beneventani ducis filium, quem obſidem in Gallias Carolus duxerat, poſt patris obitum in Campaniam ab Carolo miſſum fuiſſe, ut Patris Ducatum obtineret, his ſe hactenus reſtitiſſe ait non alia ratione. *Niſi propter inimicorum veſtrorum, atque noſtrorum machinationes, atque inſidias*. Et ſane ejus in Campaniam reditus, ne civitates in ea provincia Rom. eccleſiæ ab Carolo donatas, redderentur, obſtabat. Unde poſt alia ſubdit Hadrianus. *Petimus veſtram excellentiam, ut nullus hominum ſit, qui veſtra ſacra vota impedire valeat, & ne meliorem faciatis Grimoaldum filium Arigiſii, quam fautorem veſtrum B. Petrum Clavigerum Regni Cælorum, eo quod ipſe Grimoaldus in Capua præſentibus miſſis veſtris laudabat ſe dicens, quia Dominus Rex præcipit, ut qui voluerit homo meus eſſe, quam vel cujus voluerit, quæ ut noſtris evenit auribus, Optimates Græcorum in Neapoli ſedentes, inſultantes fremebant dicentes, Deo gratias, quia eorum promiſſa ad nihilum redacta ſunt. Sed eorum cachinnos, & ſubſannationes, pro nihilo reputamus, quamvis ipſi Græci referebant, quia miſſi Apoſtolici jam duabus vicibus ſine effectu reverſi ſunt &c.* Quem hæc exitum habuerint, non conſtat, hoc unum ſcimus, temporis tractu Beneventanum Ducatum in Romanæ eccleſiæ poteſtatem tranſiiſſe, cujus adhuc Metropolim, cum oppidis nonnullis poſſidet, quibus autem conditionibus in paternum Ducatum Grimoaldum remiſerit Carolus, narrat anonymus Salernitanus, Erchembertus a Baronio dictus, quarum præcipua erat, ut in ſubjectionis, & obedientiæ ſignum Carolo debitæ, Caroli effigiem, & nomen in nummis, publiciſque inſtrumentis inſcriberet, & ut *Longobardorum mentum tonderi faceret*, ita ut ipſe cum ſuis Longobardis, gentis ſuæ conſuetudine relicta, qua longiorem nutriebant barbam, unde Longobardorum nomen iis inditum fuerat, Gallorum, ſeu Italorum more tonderentur.

Calchutenſe concilium in Anglia celebratur.

5. Dum pro augendo Rom. eccleſiæ patrimonio ſollicitus erat Hadrianus Papa, quæ Apoſtolici officii erant, nequaquam neglexit. Hinc cum in Anglicana eccleſia varios irrepſiſſe abuſus cognoviſſet, Legatos ſuos illuc miſit Gregorium ſcilicet Oſtienſem, & Theophilactum Tudertinum Epiſcopum, ut congregatis in unum ejuſdem inſulæ Epiſcopis,

pis, antiquum eccleſiarum ſplendorem, fidei integritatem, moreſque chriſtiana religione dignos, reſtituerent. Illuc vero cum poſt multa pericula perveniſſent Hadriani Papæ legati, iiſque ſocium dediſſet Carolus Rex Francorum Vigbodum Presbyterum & Abbatem, Hienbarchum Dorovernenſem, ſeu Cantuarienſem Epiſcopum adierunt, ac inde ad aulam Offæ Merciorum Regis tranſierunt: *At ille cum ingenti gaudio ob reverentiam B. Petri, & veſtri Apoſtolatus honorem ſuſcepit tam nos, quam ſacros apices a ſumma ſede delatos*, ajunt Hadriani Papæ legati in epiſtola ad eum data, qua legationis initæ rationem reddunt. Chniulphum quoque VeſtSaxonum Regem ſe adiiſſe addunt, quorum opera inſulam pæne totam peragrantes, Regum conſenſu & conſilio, Epiſcoporum concilium congregarunt, ad quod, ut iidem teſtantur. *Omnes Principes regionis convenerunt, tam eccleſiaſtici, quam ſeculares*. Canones autem 20. in eo concilio editi ſunt, quorum primo cautum eſt, ut Nicæna fides teneretur, & ſex univerſales ſynodos cuncti amplecterentur. 2. Ut baptiſmum juxta canones adminiſtraretur. 3. Ut Epiſcopus bis in anno ſynodum cogeret, & ſemel Diœceſim viſitaret. 4. Ut vita, & habitus Canonicorum juxta canones, & decreta Rom. Pontificum ſervaretur. 5. Ut probatæ vitæ viri monaſteriorum Præpoſiti eligerentur. 6. Ut Presbyteri, vel Diaconi ii tantum ordinarentur, qui vitæ ſanctitate, & doctrina fulgerent, nec quiſquam alienum clericum ordinaret. 7. Ut horæ canonicæ cum ſuo ordine recitentur. 8. Ut privilegia a Rom. Pontifice conceſſa ab omnibus ſervarentur. 9. Ut eccleſiaſtici cibum privatim non ſumerent. 10. Ne Presbyteri nudis cruribus celebrarent, neque Cruſtam pro pane offerant, neque Calice, aut patena utantur ex bovis cornu facta, & ne Epiſcopi ſecularibus ſe negotiis immiſceant. 11. De Regum, & Sacerdotum officiis, & dignitate agit. 12. De regum ordinatione, eorumque dotibus agit, quibus obſequium & obedientiam præſtandam eſſe jubet. 13. Ut juſta judicia fierent, cautum eſt. 14. Ne fraudibus, rapinis, vel injuſtis tributis eccleſiæ vexentur, jubet. 15. Inceſtuoſa conjugia prohibet. 16. Spurii & illegitimi ab hæreditatibus capiendis arceantur. 17. Ut decimæ ſolvantur, jubet. Uſuræ vel injuſta pondera, vel menſuræ prohibentur. 18. Vota fideliter reddenda eſſe ſtatuit. 19. Ut Paganorum reli-

Canones ibidem vulgati

Jesu Chr. An. 788.

reliquias quislibet abjiciat. 20. Tandem de peccatorum converſione, confeſſione, & pœnitentia agit. Cumque hæc coram omnibus ſtatuta, & lecta fuiſſent, unanimi conſenſu iis ſubſcripſerunt. Omnium primus ſubſcripſit Acnvaldus Transhumbranæ gentis Rex. Deinde Dilbertus Auguſtadenſis eccleſiæ Præſul, poſtea Eubaldus Eboracenſis Epiſcopus cum aliis quinque Epiſcopis: Deinde Presbyteri, Diaconi, & Abbates, cum Ducibus, Optimatibus & judicibus ut ibidem videre eſt. *Hæc decreta beatiſſime Papa Hadriane*, ajunt ejus legati, *in concilio publico coram Rege Aelfovado, & Archiepiſcopo Enbaldo, & omnibus Epiſcopis, & Abbatibus regionis, ſeu Senatoribus, & Ducibus, & populo terræ propoſuimus, & illi, ut ſuperius fati ſumus cum omni devotione mentis juxta poſſibilitatem virium ſuarum, adjuvante ſuperna clementia, ſe in omnibus cuſtodire devoverunt, & ſubſcripſerunt.*

Cantuariæ eadem decreta confirmantur.

6. His coram Aefvvaldo Rege, & Æcbaldo Eboracenſi Archiepiſcopo geſtis, in aliam Brittaniæ partem legati Hadriani Papæ tranſierunt, ideſt Cantuariam, ubi lectis iterum canonibus antea editis coram Offa Merciorum Rege, & Epiſcopis, iiſdem ii quoque ſubſcripſerunt, ut his verbis narrant Romanæ ſedis legati. *His peractis, & data benedictione perreximus, aſſumptis nobiſcum viris illuſtribus legatis Regis, & Archiepiſcopi Malvinum videlicet, & Piſſtel lectores, qui una nobiſcum pergentes, & ipſa decreta deferentes ſecum in concilium Merciorum, ubi Rex Offa cum Senatoribus terræ, una cum Archiepiſcopo Samborchio ſanctæ eccleſiæ Dorovernenſis, & ceteris Epiſcopis regionum convenerant, & in conſpectu concilii clara voce ſingula capitula perlecta ſunt, & tam latine, quam Theutonice, quo omnes intelligere poſſent, dilucide reſerata ſunt. Qui omnes conſona voce, alacri animo, gratias referrentes Apoſtolatus veſtri admonitionibus promiſerunt ſe divino adminiculante favore juxta qualitatem virium promptiſſima voluntate in omnibus ſtatuta hæc cuſtodire &c.* Quibus Rex, Principes, & Epiſcopi cum Ducibus, Optimatibus, & Abbatibus ſubſcripſerunt, quorum nomina ibidem leguntur; ac Regis ſubſcriptionem, Saemberti Dorovernenſis Epiſcopi, ſeu Cantuarienſis ſubſcriptio præcedit, ſicque non unum tantum, ſed duo concilia ibidem celebrata fuiſſe conſtat, circa hæc tempora, cujus epocham anno 785. quidam

dam figunt, alii ſequentibus annis 787. vel 788.. Sed de his hactenus. *Jesu Chr. an. 788.*

7. Narbonenſem ſynodum hoc anno in Galliis celebratam, ac a Baluzio editam, exhibent conciliorum editores, aliqui ſcriptores, cujus hæc eſt Præfatio. Anno Incarnat. Dominicæ 788., indict. 12., glorioſiſſimo quoque Domino Imperatore Carolo Regnante anno 23. quinto Kal. Julii, *Dum pro multis, & variis eccleſiaſticis negotiis, præſertim pro Felicis Urgellitanæ ſedis Epiſcopi peſtifero Dogmate, monente per ſuæ auctoritatis litteras Domno Apoſtolico Hadriano, ac Domino Imperatore per miſſum ſuum nomine Deſiderium conveniſſemus Urbem Narbonem &c.* In eaque de Narbonenſis Diœceſis finibus actum eſt, ac ſynodi decreto Epiſcopi adſtantes, numero 27. poſt Danielem Narbonenſem Metropolitam ſubſcripſerunt: hanc nihilominus ſynodum, apochrypham, ac ſuſpectam vel ipſa præfatio reddit, qua Carolus Imperatoris titulo exornatur, quo ante annum 800. numquam uſus eſt, quam etiam temporariæ quoque notæ ibidem additæ, ac Felicis Urgellitani ſubſcriptio cum ceteris Epiſcopis ſuſpectam reddunt. De cujus peſtifero dogmate, ſe acturos eſſe in præfatione teſtantur, ne verbum tamen de ejuſdem erroribus, aut palinodia in ea occurrit, ac uſque ad concilium Ratiſponenſe anno 792. *Quanta potuit pertinacia Felix pravitatem intentionis ſuæ defendere curavit*, ait Eginhardus. Cointius quidem in annalibus etſi concilium Narbonenſe genuinum habuerit, notas nihilominus temporarias, ac Imperatoris titulum, tamquam recentioris ævi additamenta rejecit, ac ad annum 791. alligat. Pagius vero nonniſi decreta ibidem de finibus, juribuſque Narbonenſis eccleſiæ uti genuina eſſe probabilius cenſet. Cetera vero quæ ibidem de Felicis dogmate, de Hadriani admonitione, Imperatoris titulo, cum notis temporariis, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus adſcititia cenſet, eademque tradunt Madriſius, & Forbenius in diſſertatione ad hiſtoriam Felicianæ hæreſis.

De Narbonenſi ſynodo an legitima ſit.

8. Adalgiſum Deſiderii Longobardorum Regis filium, poſt patris captivitatem, & Longobardici Regni excidium CPolim aufugiſſe anno 774. adnotavimus, ut opportunitatem Regni paterni recuperandi, ſi fortuna faviſſet, expectaret: eumque hoc anno cum nonnullis Græcorum copiis

Græci a Francis, & Longobardis in Calabria victi.

in

Jesu Chr. An. 788. in Calabriam transfretaſſe ſatis aperte Hadriani Papæ epiſtolæ hoc anno ad Carolum datæ teſtantur. Cum etenim de Caroli victoriis totus perſonaret orbis, eumque non ſolum Longobardorum in Italia Regnum penitus evertiſſe, Irenes, & Conſtantinus Imperatores accepiſſent, ſed Beneventanum quoque Ducatum, qui tribus ampliſſimis provinciis tunc conſtabat, Apulia ſcilicet, Calabria, & Samnio, in ſuam poteſtatem redegiſſe, ſibi jam periculum inſtare prævidentes, qui non ſolum Siciliam adhuc tenebant, ſed quamplurima etiam Campaniæ, & Calabriæ oppida, quæ præſertim in Adriæ littoribus erant, ac tantam Caroli potentiam ſuſpectam habentes, apud quos teſte Eginhardo, in proverbio erat, quod omnium temporum experientia confirmavit. *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas*. Quare ut tantum a finibus ſuis hoſtem repellerent Græci, bellum eidem inferre conati ſunt, miſſo ut diximus in Italiam Adalgiſo Deſiderii Regis Longobardorum filio, cum copiis ſuis, quos facile Carolus junctis viribus cum Beneventano, & Spoletano Ducibus, qui ſibi fidem juraverant, ab eoque Ducatum obtinuerant, vicit. De quibus hæc Theophanes. *Miſit inſuper Irene Joannem ſacellarium, & militiæ Logothetam in Longobardiam*, ſeu potius Calabriam, *cui expeditionis ſocium Theodorum, majoris Longobardiæ nuper Regis filium* ideſt Aldegiſum Deſiderii Regis filium, *adjunxit tentatura, ſi Carolum forte ulciſci, & ab ejus fidei incolas aliquot, poſſet ſubducere. Illi cum Theodoro, Patricio Siciliæ Duce viribus conjunctis prælium conſerverunt cum Francis, a quibus ipſe Joannes captus, acerba morte occiſus eſt*. Francorum victoriam fuſiori, & accuratiori ſtylo narrant Annales Francorum. *Commiſſum eſt bellum* inquit Annaliſta Loiſellianus, *inter Græcos, & Longobardos, ideſt Duce Spoletino nomine Hildebrando, ſeu Duce Grimoaldo, quem Dominus Rex Carolus poſuit Ducem ſuper Beneventanos, & fuit miſſus Vinechiſus cum paucis Francis, ut præviderent eorum omnia, quæ geſiſſent, & auxiliante Domino victoria eſt facta Francis, ſeu ſupranominatis Longobardis*. Cum Grimoaldo quippe, quem in Beneventanum Ducatum miſerat Carolus Vinechiſum cum Francis aliquot miſerat, ut eum in officio, & fide data continerent. Eginhardus vero in Annalibus de eadem victoria

ria hæc adnotat. *Conſtantinus Imperator Theodorum Patricium Siciliæ Præfectum cum aliis Ducibus ſuis fines Beneventanorum vaſtare juſſit Qui cum imperata exequerentur, Grimoaldus, qui eodem anno, poſt mortem patris Dux Beneventanis a Rege datus eſt, & Hildebrandus Dux Spoletanorum cum copiis, quas congregare potuerunt, in Calabria eis occurrerunt, habentes ſecum Legatum Regis Vvinigiſcem, qui poſtea in Ducatu Spoletano Hildebrando ſucceſſit. Commiſſoque prælio, immodicam ex eis multitudinem ceciderunt, ac ſine ſuo, ſuorumque gravi diſpendio victores facti magnum captivorum, ac ſpoliorum numerum in ſua caſtra retulerunt.* Ejuſdem victoriæ mentio fit in Grimoaldi epitaphio his verſibus.

Cum Danais bellum felici ſorte peregit.
Finibus & populis belliger, ipſe ſuis,
(Expulit ſcilicet)

Conſtantinus nuptis cum Rotrude ſponſalibus Mariam uxorem ducit.

9. Ob bellum autem inter Conſtantinum Imp. ſeu potius Irenem ejus Matrem, & Carolum exortum, nuptiarum fœdera inter Conſtantinum, & Rotrudem Caroli filiam alias inita, irrita facta ſunt, & alteram Conſtantinus Imp. ideſt Mariam uxorem hoc anno duxit. *Interea Imperatrix Irene*, ait Theophanes, *fœdera cum Francis inita ſolvit, & miſſo Theophane Protoſpathario puellam ex Armeniacis nomine Mariam Amnia oriundam accepit Conſtantino filio ſuo conjugem locavit, quamvis id Conſtantinus ægerime ferret, nec propter conceptum erga Francorum Regis Caroli filiam, quam ſibi deſponſaverat, affectum, conſenſum præbere vellet Nuptiæ tamen menſe Novembri, indictione duodecima celebratæ ſunt.* Ideſt hoc anno, cum a ſeptembri indictio duodecima in curſu eſſet. Hinc mutuæ diffidii cauſæ exortæ ſunt, & odii inter matrem, & filium, quæ utriſque infauſtæ fuerunt, ut ex dicendis conſtabit.

De Sancto Philareto ejusque pietate.

10. Mariæ autem Conſtantini uxoris Sanctus Philaretus conſobrinus fuit, cujus nomen die ſecunda Decembris in Menologio Baſilii, cum hoc elogio perſeverat. *Sub Imperatrice piiſſima Irenes fuit hic beatus a Paphlagonia, cum autem ex labore ſuo dives fuiſſet, Diabolica invidia factus eſt pauper, nec tamen eleemoſinarum oblitus eſt. Ex hoc autem facto ipſius in omnibus miſericordiam oſtendemus.*

Jesu Chr. An. 788. *Defecit aliquando vicini bos, qui veniens ad ſanctum in agello deprehendit eum cum tenui jugo ſerentem, qui videns ipſum mœrentem, ſolutum e duobus bovem alterum ipſi tradidit, ipſe vero cum altero jugum ſubiit. At Deus conſpicatus viri virtutem, fecit, ut Irene Imperatrix neptem ipſius Mariam filio ſuo Conſtantino jungeret in matrimonium, ex quo ille factus dives & copioſus in miſericordia, ſenex migravit ad Dominum.* Hæc occaſione nuptiarum Mariæ cum Conſtantino Imperatore.

Taſſilo Dux Bavariæ fit monachus.

11. Cum Ingelhemii eſſet Carolus, ubi hoc anno Paſcha celebravit, ut narrat Regino, *Synodum in præfata villa celebravit, ibique venit Taſſilo. Cœperunt autem eum Bavari accuſare, quod fidem promiſſam violaſſet, ſuadente uxore Leudburga*, quæ Deſiderii Longobardorum Regis filia erat. *Objecta vero Taſſilo denegare non potuit, ſed convinctus eſt ad Avaros tranſmiſiſſe, & in vitam fidelium Regis conciliatum fuiſſe (ideſt inſidiatum.) Ad ultimum tamen confeſſus eſt ſe dixiſſe, ſi decem filios haberet, omnes mallet amittere, quam ita manere, ſicut juraverat. Ex iis & aliis multis, ab omnibus dijudicatus eſt ad mortem. Et cum omnes capitalem ſententiam proclamarent, Rex miſericordia motus, eo quod conſaguineus ejus eſſet, obtinuit ab ipſis Dei & ſuis fidelibus, ne moreretur. Interrogatus ergo a Rege quid agere vellet, terræ proſtratus licentiam in Monaſterium intrandi expetiit, ut ibi peccata ſua deplorare potuiſſet. Similiter & filius ejus Theodo fecit. Igitur attonſi ſunt, & in Monaſterium miſſi. Pauci Bajoarii, qui cum Taſſilone ſenſerant, in exilium ſunt miſſi.* Eadem narrant Eginhardus in annalibus, aliique Francorum Annaliſtæ. De monaſterio, in quo Taſſilo cum filio ſuo Todone monaſticam vitam profeſſus eſt, variæ ſunt eruditorum opiniones ait Mabillonius, eumdemque vitæ genus ſuſcepit Liutburga Taſſilonis uxor, cum filiabus duabus.

Hunni a Carolo victi.

12. Hunni vero ab Taſſilone adverſus Carolum incitati, *ſicut promiſerant*, ait Eginhardus, *Duobus exercitibus comparatis, uno Marchiam Forojulienſem*, ut in Italiam Carolo ſubditam irrumperent, *altero Bojariam aggreſſi ſunt, ſed fruſtra, nam in utroque loco victi fugatique ſunt*, cumque acceptam cladem ulciſci vellent, iterum victi, *fugam incipientes, multa ſtrage ibidem facta eſt occidendo, & alii in*

in Danubio fluvio vitam amiſerunt. Sicque ubique victor Carolus de Græcis: & Hunnis hoc anno triumphavit. Jesu Chr. an. 789.

JESU CHRISTI an. 789. Hadriani Papæ 18.
Constantini Imp. 14. et 10. Irenes Imp. an. 10.
Caroli Magni Italiæ Regis an. 16.

1. Saxonibus, Bojariis, Hunniſque deviđis, cum Voiſilſis iterum pugnare hoc anno coactus eſt Carolus Magnus. *Anno* 789. ait Annaliſta Nazarianus. *Carolus Rex una cum Francis, ſeu ceteris gentibus in patriam Vviſiorum hoſtiliter perrexit, ipſamque patriam conquiſivit, & Regem eorum nomine Dragoidum adprehendit*. De ea expeditione loquens Eginhardus in vita Caroli. *His motibus* (*nempe Bojoaricis, quibus anno ſuperiori finis impoſitus eſt*) *ita compoſitis, Sclavis, qui noſtra conſuetudine Vvilſi, proprie vero, hoc eſt ſua locutione, Vvelezabi dicuntur, bellum inlatum eſt, in quo & Saxones velut auxiliares inter cæteras nationes, quæ Regis ſigna juſſæ ſequebantur, quamquam ficta & minus devota obedientia militabant*. Belli autem hanc cauſam dederant. *Quod Abodritos, qui cum Francis olim fœderati fuerant aſſidua incurſione laceſſebant, nec juſſionibus coerceri poterant*. Ait idem auctor.

Caroli M. bellum, & victoriæ de Vvilſis.

2. Quam pro Regno ſuo tuendo, & dilatando ſollicitudinem gerebat Carolus, eamdem quin etiam majorem pro catholica fide tuenda, & eccleſiaſtica diſciplina reſtauranda habebat: hoc autem anno Aquiſgrano, ubi hyemavit, & Paſcha celebravit, convocatis Regni ſui Epiſcopis, & Magnatibus, capitulare in octoginta capita diſtinctum vulgavit, iiſque Epiſcopos, & Proceres ſubſcribere, & pro viribus, in ſuis Diœceſibus, & provinciis, ſingulos obſervare juſſit, quibus hæc præfatio eſt. *Regnante D. N. J. Chriſto in perpetuum. Ego Carolus gratia Dei, ejuſque miſericordia donante Rex & rector Regni Francorum &c. omnibus eccleſiaſticæ pietatis ordinibus, ſeu ſeculari potentiæ dignitatibus*. Eos ad ſe convocaſſe narrat, & ut Deo pro acceptis hactenus beneficiis gratias agerent, & ut quæ vel in fide, vel in moribus corrigenda erant, emendarent. *Quapropter placuit nobis*, ajebat, *veſtram rogare ſolertiam Paſtores eccleſiarum Chriſti, & doctores gregis ejus, & clariſſima Mundi luminaria, ut vigili cura, & ſedula admonitione populum Dei per*

Synodus Aquiſgranæ celebratur capitula 80. ibidem vulgata.

JESU CHR. AN. 789. *per paſcua vitæ æternæ ducere ſtudeatis, & errantes oves bonorum operum exemplo, ſeu adhortatione, humeris intra eccleſiaſticæ firmitatis muros reportare ſatagimini &c.* Et iterum poſt aliqua. *Quapropter & noſtros ad vos direximus miſſos, qui ex noſtri nominis auctoritate una vobiſcum corrigerent, quæ corrigenda eſſent. Sed & aliqua capitula ex canonicis inſtitutionibus, quæ magis vobis neceſſaria videbantur, ſubjunximus &c.* Quod opus Joſiæ Regis exemplo ſe ſuſcepiſſe addit. Nil tamen capitula ibidem addita novi continent, quin ex conciliorum præcedentium canonibus deſumpta ſunt. Quorum ſumma capita exſcribere ſufficiet, ne per plura ſtylus noſter diſtrahatur. Itaque primum eſt. De his, qui ab Epiſcopo proprio excommunicantur. 2. De his qui ad ordines admittendi erant. 3. De Clericis fugitivis & peregrinis. 4. & 6. De presbyteris,aliiſque clericis eorumque officiis agit. 5.De Uſuris agit.7. De his qui a Synodo, vel a ſuo Epiſcopo damnati ſunt.8. De Suffraganeis Epiſcopis. 9. De Chorepiſcopis. 10. De Epiſcopis, vel quibuslibet ex clero. 11. De ordinationibus aliiſque negotiis. 12. De cura Epiſcoporum. 13. De provincialibus Epiſcopis. 14. De monachis & Clericis, 15. De die Dominica, qualiter ſervanda eſſet. 16. De ignotis angelorum nominibus. 17. De mulieribus, ne ad altare accedant. 18. De maleficis vel incantatoribus. 19. De Epiſcopis, ubi non oporteat eos conſtitui. 20. De libris canonicis. 21. De Epiſcopis ordinandis, vel quibuslibet ex clero. 22. De monachis, Clericis, & Presbyteris. Et de ſervis alterius non ſollicitandis. 23. De ſtabilitate Epiſcoporum, vel Clericorum. 24. De Presbyteris non abſolute ordinandis. 25. De propoſito Monachorum, & Clericorum. 26. De monachis qui ad Clericatum provehuntur. 27. De negotio clericorum inter ſe. 28. De conſpiratione clericorum, vel monachorum. 29. De accuſatione laicorum contra Epiſcopos. 30. De monaſteriis Deo dicatis. 31. De fide Sanctæ Trinitatis prædicanda. 32. De avaritia. 33. De his qui ſe convertunt ad Deum. 34. De his qui non ſunt bonæ converſationis. 35. De his qui excommunicato communicaverint. 36. De ſubjectione Presbyterorum. 37. De Clericis eccleſiaſtici ordinis. 38. Ut Clerici non ſint uſurarii. 39. De virginibus Deo dicatis. 40. De principali cathedra Epiſcoporum. 41. De falſis nominibus Sanctorum. 42. De uxore a viro dimiſſa.

43. De

43. De judicibus a Metropolitano probatis. 44. De accuſatione vilium perſonarum. 45. De Virginibus velandis. 46. De oblatis pauperum. 47. De jejuniis a ſacerdotibus conſtitutis. 48. De his qui contra naturam peccant. 49. De Presbyteris, quo tempore ordinentur. 50. De Sponsa alterius. 51. De monachis, & Virginibus vota ſua non ſervantibus. 52. De pace danda. 53. De nominibus recitandis. 54. De canonum inſtitutis a Presbyteris non ignorandis. 55. De clericis alterius Epiſcopi. 56. De ſervis alterius. 57. De Sacerdotibus contra decretalia agentibus. 58. De viduis, ne velentur. Item alia Capitula. 59. De fide catholica, & primo præcepto legis. 60. De pace & concordia ſervanda. 61. De judicibus. 62. De perjuriis. 63. De auguriis vel aliis maleficiis 64. De odio vel invidia. Et de avaritia, vel concupiſcentia. 65. De homicidiis. 66. De furtis, & injuſtis connubiis, & falſis teſtimoniis. 67. De honore parentum. 68. De Presbyterorum vita ab Epiſcopis diſcutienda. 69. De honore Eccleſiæ Dei. 70. De miniſtris Altaris Dei, & de ſchola. 71. De voto monachorum, & de clericatu. 72. De menſuris & ponderibus. 73. De ſuſceptione hoſpitum. 74. De Abbatiſſis contra morem Eccleſiæ Dei facientibus. 75. De clericis qui ſe fingunt eſſe monachos. 76. De pſeudografiis & dubiis narrationibus. 77. De mangonibus & nudis cum ferro. 78. De cantu Romano a monachis peragendo. 79. De operibus ſervilibus, quæ diebus Dominicis non ſunt agenda. 80. De prædicatione Epiſcoporum, & Presbyterorum. Hactenus capitula a Carolo Epiſcopis, & Magnatibus data, quæ ſane multa notatu digna continent ad ejuſdem ætatis diſciplinam cognoſcendam. Jesu Chr. an. 789.

3. Aliud deinde capitulare eodem hoc anno datum ſequitur, ſexdecim capitibus diſtinctum, quibus monaſtica diſciplina in melius reformatur, ac primum de monachis Gyrovagis, & Sarabaitis. 2. De anachoretis, melius eſt ut hortentur in congregatione permanere, ne tentationibus variis obnoxii ſint. 3. Ut non parvipendentes ſint paſtores animarum ſibi commiſſarum, nec majorem curam habeant de lucris terrenis, quam de animabus ſibi commiſſis. 4. De obedientia quæ Abbati debet exhiberi, & ut abſque murmuratione fiat. 5. De Decanis, & Præpoſitis, ut eorum mutatio ſecundum regulam fiat. 6. De cellera- Capitulare alterum de monaſtica disciplina.

lerariis monaſierii, ut non avari mittantur, ſed tales quales regula præcipit. 7. Ut ubi corpora ſanctorum requieſcunt, aliud oratorium habeatur, ubi fratres ſecrete poſſint orare. 8. De eulogiis. 9. De ſuſceptione hoſpitum, ſicut regula continet. 10. De veſtimentis monachorum, & ut quod ſuperfluum eſt, tollatur, & ubi minus augeatur. 11. De noviter venientibus ad converſionem, ut ſecundum regulam probentur, & non antea ſuſcipiantur, niſi ſicut regula jubet. Et nullus cogatur invite repromittere. Et de obedientia & de ſtabilitate permanendi, ſicut regula habet. 12. De filiis nobilium qui offeruntur. 13. De ordinando Abbate. 14. De fratribus in via directis. 15. Ut nullus Abbas pro ſuſceptione monachi prœmium quærat. 16. Ut diſciplina monachis regularis imponatur, non ſecularis, *ideſt non orbentur*, ut in laicis non ſemel pro delicto fiebat, *nec Mancationes* (ideſt mutilationes) *alias habeant, niſi ex auctoritate regulæ*.

Tertium Caroli M. capitulare.

4. His alterum etiam 21. uno capitibus conſtans additum eſt. Quorum primo cautum eſt, Ut Comites pupillorum, & orphanorum cauſas primum audiant, & in venationem non vadant illo die quando placitum debent cuſtodire, nec ad paſtum. 2. De ſacramento fidelitatis cauſa quod nobis, & filiis noſtris jurare debent, quod his verbis conteſtari debet. *Sic promitto ego ille partibus Domni mei Caroli Regis, & filiorum ejus quia fidelis ſum, & ero diebus vitæ meæ, ſine fraude vel malo ingenio*. 3. De monaſteriis minimis, ubi nonnanes ſine regula ſedent, volumus ut in uno loco congregatio fiat regularis, & Epiſcopi prævideant ubi fieri poſſit, & ut nulla Abbatiſſa extra monaſterium exire præſumat ſine noſtra juſſione, nec ſibi ſubditas facere permittat, & earum clauſtra ſint bene firmata, & nullatenus ibi vuinileodes ſcribere, vel mittere præſumant, & de pallore earum propter ſanguinis minuationem. 4. De tabulis vel codicibus requirendis, & ut nullus in Pſalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus ſortire præſumat, nec divinationes aliquas obſervare. 5. Ut nullus glorietur per injuſtam rationem aut conquirere aliquid, aut retinere. 6. Ut illæ diſciplinæ, quæ propter legem conſervandam ſunt conſtitutæ, propter præmium non dimittantur. 7. Ut audiant Epiſcopi baptiſterium Presbyterorum, ut ſecundum morem Romanum baptizent: 8. De calciamentis ſecundum Romanum uſum. 9. Ut

Ut in diebus feſtis vel Dominicis omnes ad Eccleſiam veniant: & non invitent Presbyteros ad domos ſuas ad Miſſas faciendas. 10. Omnino prohibendum eſt omnibus ebrietatis malum. Et omnes conjurationes quas faciunt per ſanctum Stephanum, aut per nos, aut per filios noſtros, prohibemus. Et præcipimus ut Epiſcopi, vel Abbates non vadant per caſas miſcendo. 11. De eo quod Miſſi noſtri providere debent, ne forte aliquis clamor ſuper Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam, vel Comitem, ſeu ſuper qualemcumque gradum ſit, & nobis renuntiare. 12. De injuſtis teloneis. 13. De manu leproſi. 14. Ut monachi, & qui in Sacerdotali ordine conſtituti ſunt, ad ſecularia negotia non tranſeant. De reliquis tonſuratis detur ſpatium uſque in ſynodum noſtram. 15. Ut Epiſcopi, & Abbates, & Abbatiſſæ cupplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores. 16. De Pauperibus in plateis vel in quadruviis jacentibus, ut ad Eccleſiam veniant, & illorum confeſſiones donentur. 17. Ut ſuper Altaria teguria fiant vel laquearia. 18. Ut clocas non baptizent, nec chartas perticas appendant propter grandinem. 19. Ut Miſſi noſtri provideant beneficia quomodo ſint condirecta, & nobis renuntiare faciant. 20. De leproſis, ut ſe non intermiſceant alio populo. 21. Et omnino Miſſis noſtris præcipimus, ut bona, quæ aliis per verbum noſtrum facere docent, factis in ſe ipſis oſtendant.

Epiſtola Hadriani Papæ ad Carolum de electione Episc. Ravennatis.

5. Inter epiſtolas ab Hadriano Papa ad Carolum Magnum hoc anno datas, de electione Epiſcopi Ravennatis prima agit, Miſſo quippe Romam Ermenberto, cum Hadriano conqueſtus fuerat Carolus, eo quod mortuo Gratioſo Ravennatenſi Epiſcopo, in ſucceſſoris electione Miſſorum ſuorum præſentiam non exquiſierint Ravennates, aut expectaverint, fruſtra tamen de his & injuria eum conqueri probat Hadrianus Papa, cum id juris clero, & populo Ravennati eſſet, ut Epiſcopum ſibi eligerent, electique confirmationem, & conſecrationem ab Romano Pontifice peterent, nam facta electione, & electionis decreto ab omnibus ſubſcripto: *Ad noſtram Apoſtolicam ſedem*, ait Hadrianus, *occurrebant, proprium ſibi Antiſtitem conſecrandum, ſicut & nunc canonice factum eſt, petentes*. Neque Ravennatium juribus, aut Rom. eccleſiæ obſtabat, quod olim cum Sergius Archiepiſcopus obiiſſet, in ſucceſſoris electione Pippini legatus

JESU CHR. AN. 789. gatus illuc miſſus fuerit, quod ideo factum eſt. *Quia per ſuam arrogantiam Michelius præſumptor invadere auſus fuit eccleſiam Ravennatem, & per auxilium Deſiderii ſæviſſimi Regis, ipſam enormiter invadens eccleſiam, diu detinebat, & a ſuo proprio rectore deſtituta atque viduata manebat, tunc ad deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Domnum Stephanum Papam, prædictus Hucbaldus a veſtra directus regali excellentia pro ceteris cauſis, ab eodem præfato domino Stephano Papa, per veſtram a Deo roboratum regale adminiculum, Ravennam miſſus eſt, ut eumdem præfatum Michelium invaſorem, ex ipſa Ravennate eccleſia expelleret, & huc Romam tamquam tranſgreſſorem ſacrorum canonum deferret.* Quæ ſane in exemplum adduci non poſſe teſtatur, ac tandem ne facile iis aures præberet, qui diſſidia Carolum inter, & ſemetipſum, vel Rom. eccleſiam ſerere conabantur, admonet. *Nam pro honore veſtri Patriciatus nullus homo eſſe videtur in Mundo, qui plus pro veſtra regalis excellentiæ decertare moliatur exaltatione, quam noſtra Apoſtolica aſſidua deprecatio &c.* Hæc, & alia, ſuum his verbis erga Carolum obſequium obteſtans.

Hadrianus Conſtantinum & Paulum falſo accuſatos fuiſſe dicit.

6. Epiſtola altera narrat Hadrianus Conſtantinum, & Paulum Duces apud ſe conqueſtos fuiſſe, eo quod a perverſis hominibus apud Carolum falſo accuſati fuiſſent, quaſi minus fideles Rom. eccleſiæ, aut Carolo eſſent, quorum cauſam ibidem agens, eoſdem ab omni criminis ſuſpicione alienos eſſe teſtatur Hadrianus, ac Paulum, quem Carolo mittebat, ut. *Eum benigne ſuſcipere jubeamini, & familiarem apud veſtram regalem potentiam commendatum habere dignemini*, rogat.

Hadrianus Papa Offæ Anglorum Regis legatos benigne ſuſcepiſſe narrat.

7. Hanc quoque alteram Hadriani Papæ epiſtolam ad hunc annum refert Cennius, qua ſanctus Pontifex acceptis a Carolo Magno litteris, quibus eum, reſque ſuas cum tota familia bene valere didicerat, impenſius cum Carolo gratulatur, gratiaſque plurimas reddidit, ac addit. *Nempe quidem credere dignemini, quia nullo modo noſtra Apoſtolica deſinunt ſuffragia in confeſſione B. Petri clavigeri Regni Cælorum, divinam pro vobis exorare clementiam &c.* Legatos vero Offæ Anglorum Regis ad ſe miſſos, ac ab Carolo ſibi commendatos peramanter benigneque ſuſcepiſſe addit. Eos autem ad Hadrianum Offa Anglorum Rex miſerat, ut falſum ru-

mo-

morem, a neſcio quibus malignis hominibus ſparſum dilueret, quaſi ipſe apud Carolum Regem egiſſet, ut ejuſdem opera, ipſe Hadrianus ab Apoſtolica ſede, & Pontificatu dejiceretur, ut alterum ſuæ nationis ideſt Gallicæ, in Romanam ſedem collocaret. *Porro in ipſis regalibus apicibus veſtris referebatur*, ait Hadrianus, *quod Offa gentis Anglorum Rex veſtræ direxiſſet regali excellentiæ ſignificandum indiculum, ut aliqui æmuli veſtri, ac ſui ad noſtra Apoſtolica veſtigia indicarent, quod idem Offa Rex vobis ſuggeret, ut per ſuam videlicet adhortationem, atque ſuaſionem, nos a Sede ſancta dignitatis noſtræ, quod abſit, ejicere deberetis, & alium ibidem de gente veſtra inſtitueretis rectorem, quod valde nefandiſſimum ac contrarium in oculis veſtris apparuit ſcriptum, & hoc omnino falſum eſſe a veſtra excellentia pro certiſſimo dignoſcitur, quia nec ipſe Offa hanc hortationem minime vobis fecit, & nullatenus in corde aliter aſcendit, niſi ut paternitas noſtra, per Dei miſericordiam ejus temporibus, ſanctam Dei eccleſiam regere & gubernare valeat, ad profectum videlicet omnium chriſtianorum, in quibus nos omnino procul dubio de veſtra regali potentia confidentes exiſtimus &c.* Hæc, & alia ibidem. Itaque ut eam a ſe calumniam repelleret Offa Rex Anglorum, ad Carolum legatos miſit, eoſdemque cum commendatitia ſua Carolus ad Hadrianum Papam remiſit. *Quos libenti animo ſuſcipientes, congrue hilari vultu ſuper eos, pro veſtra inclita excellentia reſpeximus, eorum explentes vota &c.* ait Hadrianus.

Villebadi Bremenſis Episc. obitus

7. Biennio ante, ideſt anno 787. Villebadum Bremenſem Epiſcopum ordinatum fuiſſe diximus. *Manſit autem in Epiſcopatu Beatus Villebadus electus Domini Pontifex annis duobus, menſibus tribus, diebus 26.*, ait Anſcharius in ejus vita, de cujus geſtis & pietate cum multa adnotaverit, de ejus obitu ſubdit. *Pia devotione vir Domini Cœlo ſemper intentus, & orationis ſuæ ad Deum jugiter vota præmittens, ſexto idus Novemb. die Dominico, poſt ſolis ortum confeſſor Domini prætioſus in Chriſti requievit nomine.* Ideſt die octava Novembris labentis anni, quæ cum Dominica concurrebat.

Abderames Seracenorum in Hiſpania Rex moritur, cui Iſan ſuccedit

8. Hoc, vel ſuperiori anno Abderamus Seracenorum in Hiſpania Calipha ſive Rex obiit, cum ibidem annos trigintaduos cum menſibus aliquot regnaſſet, ut narrat Elmacinus in hiſtoria Seracenorum lib. 2. cap. 6., ſucceſſoremque habuit

Jesu Chr. an. 790.

habuit Iſen, ſeu Iſan unum ex filiis ſuis, cui fratres ejus duo reſtiterunt. At eos victos in Africam transfretare Iſen coegit, ut pluribus narrant Rodericus in hiſtoria Arabum, & Elmacinus.

JESU CHRISTI annus 790. Hadriani Papæ 19.
Constantini Imp. 15. et 12.
Caroli Magni Italiæ Regis 17.

Diſſidia Conſtantini Imp. cum Irene matre ſua.

1. Labente Chriſti anno 790. ob diſſidia Conſtantini Imp. cum matre ſua Irene Orientale Imperium graviter concuſſum eſt, cnm etenim haſtenus Irenes ſola Imperium adminiſtraſſet, ac filio ſuo Conſtantino, qui ætatis annum vigeſimum exceſſerat, nonniſi Imperatoris nomen reliquiſſet, ambo ab adulatoribus excitati, ut alter alterum ab Imperii ſocietate excluderet incitati ſunt, cum autem Conſtantini factio prævaluiſſet, ab exercitu Imperator ſalutatus, Irenem matrem ad privatam vitam redegit. *Hoc anno Diabolus concepto in Imperatorum religionem odio, ſceleſtos homines concitavit, qui matrem in filium, ac filium adverſus matrem committerent*, ait Theophanes, qui matri favebant. *Non eſt*, ajebant, *a Deo conſtitutum, ut filius tuus Imperium teneat, illud quodcumque eſt, tuum eſt, & a Deo commiſſum*. Illa vero muliebri levitate, & ambitione mota, iis aures præbuit, At Conſtantinus annum vigeſimum ſuperans, cum ab Sturacio Patricio & Logotheta matris nomine Imperium adminiſtrari cerneret, conſilio cum familiaribus ſuis inito. *Matrem detinere, ac ſubinde in Siciliam relegare, ipſe vero rerum omnium ſummam propria auctoritate adminiſtrare ſtatuit*. At conjuratione detecta, Stauracius Irenem in filium concitavit. *Mox ipſa domeſticis manibus injectis, cunctos diris verberibus cæſos, & tonſos cum Joanne Protoſpathario & Bajulo, cui Picridius cognomentum, ad inferius remotos imperii fines in Siciliam uſque relegavit exules. Magiſtrum etiam Petrum dedecore contumeliiſque affectum domi ſe continere, quemadmodum etiam Theodorum Patricium Camulianum juſſit. Ad hos Patricium Damianum verberatum tonſumque in Caſtrum Appoloniadem deportavit. Filium denique pari verberum mulctæ & contumeliarum ignominiæ ſubjectum domi detinuit, ita ut per plures dies in publicum non prodierit, eoque tandem exercitum ſuis importunitatibus adegit, ut milites in con-*

ſilium

filium hoc adduceret: Filium tuum imperare, donec vixeris, non patiemur, juraruntque ita omnes, cum nullus circa iſtud ei omnino repugnare auderet. Jesu Chr. An. 790.

2. At diu in data Ireni fide non ſteterunt milites, nam menſe Septembri indict. 14. Armeniæ exercitus, fidem Ireni tantum prommittere recuſavit, addentes. *Irenes nomen Conſtantini nomini præponi unquam patiemur, ſed Conſtantinum, & Irenem, quod ab initio præſtitimus ſemper appellabimus*. His auditis Imperatrix Alexium Spatharium ad eos miſit, ut ſe ſolam Imperatricem ſalutare cogeret. At ii econtra exaſperati, *Conſtantinum ſolum Imperatorem elatis vocibus celebrarunt*, quorum exemplum ceteri undique milites ſecuti ſunt, *ac propriis Ducibus fugatis Conſtantinum Imp. ſolum pari ſufragio prædicaverunt. Quare Menſe Octobri indict.* 14. *legiones Thematum cunctæ apud Atroam collectæ, Conſtantinum viceſimum tunc annum agentem ſolum Imperatorem agnoſci poſtulaverunt. Quare exercitus impetum Irene formidans filium tandem dimiſit. Conſtantino in Imperii ſede confirmato, matrem omni poteſtate milites abdicarunt. Imperator ſubinde Michaelem Lachanodraconem, & Joannem Bajulum ſuum, & Protoſpatharium miſit, qui Armeniacorum fidem accepto ab eis ſacramento devinceret, ne matrem amplius Imperatricem agnoſcerent: Alexiumque eorum Ducem confirmavit. Menſe vero Decembri in Urbem reverſus Imperator Stauracium cæſum & capillis tonſum in Armeniacorum provinciam, quo magis ipſis gratum faceret. Aetium quoque Eunuchum Irenes Protoſpatharium, & Intimum, reliquoſque omnes Eunuchos ejus domeſticos relegavit. Ipſam vero matrem in Palatio, quod ad Eleutherium ſtruxerat, in quo magnam opum vim repoſuerat ſecuram & commodam vitam agere præcepit*. Ait Theophanes, atque is tragœdiæ finis fuit, qua ambitioſa mulier, dum Imperii clavum ſola tenere cupiens, ab ejuſdem adminiſtratione omnino excidit. Conſtantinus matre dejecta ſolus Imperat.

3. Dum urbs Regia, totaque aula in factiones diviſa, domeſtico diſſideret incendio. *Eodem menſe*, Decembri, ait Theophanes. *Contigit incendium, quo Patriarchii triclinium, Thomaites dictum, Quæſtorium, & ad Milium uſque plures ædes conflagrarunt*. Eodemque anno cum Arabum claſſis adverſus Cyprum vela ſolviſſet, ac in eos Ro- Aliæ Orientalis Imperii calamitates.

JESU CHR. AN. 790. Theophili claſſis Præfecti martyrium. manorum naves adveniſſent, *Theophilus Cibyrrhæotarum Dux vir robuſtus, & militiæ idoneus, animo nimium confidens, ceteris omnibus retro relictis hoſtes aggreſſus, ab ipſis captus, ad Aronem adductus eſt.* Seu Ambronem Saracenorum Calipham, quem cum religionis ſuæ deſertorem facere Calipha ſuaſiſſet. *Is cum oblata quæque reſpueret, ac magis & magis pollicitationibus & minis ſollicitatus non acquieſceret, tandem gladii pœnam perpeſſus, inſignis Martyr evaſit.* Ait Theophanes, cujus memoria undecimo Kal. Auguſti martyrologio Rom. celebratur.

Joannes Protospatharius ad eccleſiam confugit. 4. Dum in filii ſui amicos acerrimas Irenes Imperatrix quæſtiones ageret, accidit, ut Joannes Protoſpatharius non ſemel ad quæſtionem vocatus, & tortus, ad eccleſiam confugeret, quem cum inde per inſidias milites extraxiſſent, Teraſius Patriarcha anathematis ſententiam in ſacri azili violatores tulit, ut auctor vitæ ejus narrat. Cum etenim Joannem aræ ſupplicem, altareque tenentem circumdarent milites, non audentes quidem eum per vim inde extrahere, ſed prohibentes, ne quiſquam ei cibum ferret, aut loqueretur. Cum hæc ad aures Taraſii perveniſſent. *Eum repleverunt maxima animi ægritudine, ut qui viderat contemptionem divinorum ſacramentorum movere ad indignationem datricem Dei benignitatem, ſed videte a miſericordi Patre ſuppeditatum tunc ei auxilium, & admiramini prudentiam. Eo enim tempore, quo oportebat cibum ſumere, eum qui affligebatur, ſacra veſte ſe induens, proficiſcebatur ad adytum, & dexteram portam ingrediens, quæ ad reficiendum virum erant neceſſaria, ſuppeditabat, abunde ex ſe afferens, & deinde abibat eum relinquens. Si quando autem venter, cui negari non poteſt, eum cogeret facere, quæ ſunt requiſita naturæ: ex alto rurſum deſcendens, & eum ad ſeceſſum adducens & expectans, & eum poſtea manu capiens, reſtituebat tribunali, idque non ſemel & bis in die faciebat, ſed quoties evocatus erat ad hoc miniſterium ab eo qui graviter periclitabatur. Hanc inſatiabilem divini viri demiſſionem admirantes milites, & fieri non poſſe cogitantes, ut qui ſupplex erat, caperetur quamdiu juſti manus eum regeret: improbum in eum ſtruunt conſilium, quod ſuperabat omnem fraudem & aſtutiam. Clam enim per alium aditum collocant inſidias, ut quando ex ſacris adytis ovem*

paſtor

JESU CHR. AN. 790.

paſtor traheret naturæ ſervientem, eam inſtar luporum raperent: quod etiam factum eſt. Nam cum Sanctus vir, ut ſolebat, curam gereret, & ad requiſita naturæ eum duceret: ii, qui ſecure latebant in inſidiis, per aliam portam irrumpentes, eum rapiunt & ad Regiam per vim trahunt. Poſtquam autem ſceleratam infelicium machinationem in eum adunatam cognovit Paſtor ſanctiſſimus, ira & dolore arreptus, nulla utens dilatione, ad Eleutherii aulam regiam (illic enim tunc forte contigit degere Imperatricem) accedit. Cum ii vero Patris adventum ſenſiſſent, & ejus præſentiam in ipſos futurum zelo plenam, & inſtar acuti gladii ſuſpicarentur, eum ſiverunt extra Regiam, ne ſermone quidem dignati. Ille videns ſuum adventum nihil ſibi profuiſſe. Eccleſiaſticæ pœnæ vinculis omnes communiter alligat, pronuntians indignos communione Chriſti ſacramentorum, ſi ullo gravi damno afficerent eum, qui confugerat ſupplex ad Eccleſiam. Cum hæc ergo tamquam ex Apoſtolica auctoritate libere dixiſſet, eſt reverſus. Illi anathematiſmi laqueis adſtricti, cum non poſſent effugere ſacra retia pœnæ Eccleſiaſticæ, de reo quidem non amplius habuere quæſtionem tormentis, ſed verborum ſolis examinationibus, de quibus agebant pecuniis trutinam exinanientes, tamquam innocentem eum abſolvunt. Hæc Ignatius de Taraſii Patriarchæ in vindicanda eccleſiæ immunitate egregio facinore:

Caroli M. geſta hoc anno

5. Cum hactenus adverſus Saxones, Bojarios, Longobardos in armis fuerit Carolus M., nullam hoc anno militarem expeditionem ſuſcepit, ait Eginhardus. *Sed in Vormatia reſidens legatos Hunnorum & audivit, & ſuos viciſſim ad eorum Principes miſit. Agebatur de confiniis inter eos Regnorum ſuorum, quibus in locis eſſe deberent. Hæc contentio & altercatio, belli quod poſtea cum Hunnis geſtum eſt, ſeminarium & origo fuit.* Quod anno proximo cœptum eſt. Ac per annos plures vario marte geſtum fuit, ut infra dicturi ſumus. Carolus interea. *Ne per otium torpere, ac tempus terere videretur, per Moſam fluvium ad Sale palatium ſuum in Germania juxta Salam fluvium conſtructum navigavit, atque inde iterum per eumdem amnem ſecunda aqua Vormatiam reverſus eſt.* Ubi & Natale Domini celebravit. ait ſupracitatus auctor.

Hadrianus Papa in extir

6. Dum ab armis hoc anno vacaret Carolus M., ut in extir-

Jesu Chr. an. 790. pandis abuſibus ab Carolo opem poſtulat. extirpandis abuſibus, qui in Italia, ac in finibus Longobardorum præcipue irrepſerant, auxilium ſibi præberet, eum Hadrianus Papa rogavit, ac primum ut Epiſcopos ſuæ Diœceſis limitibus contentos eſſe juberet. Unde ajebat. *Si in rebus ſecularibus ſuum cuique jus, & proprius ordo ſervandus eſt, quanto magis in eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia locum inveniat, unde pacis debent procedere, quod hac veneratione ſervabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Perlatum ſiquidem ad nos eſt, quod Longobardorum Epiſcopi, alter alterutrum invadentes opponant periculum, ſimulque eccleſiaſtica ſtatuta enormiter depoſcentes conantur invadere, & aliorum partes illicite detinentes, in priſtino errore perſeverare moliuntur &c.* Quare Carolum rogat: ut earum regionum Epiſcopis jubeat, ut unuſquiſque. *Suam Diœceſim Sacerdotali moderamine teneri, atque diſponere eccleſiaſtico officio valeat, & ſicut termini ſeculares pro territoriis exiſtunt, atque judicio ſub jure civitatis, & dictionis actoribus diſponuntur, ita ejuſdem civitatis eccleſiæ Epiſcopo Diœceſis atque Parrochiæ non omittantur &c.*.

Ut illicitas monachorum nuptias prohibeat, rogat. 7. Graviora ſunt, quæ his verbis Carolo exponit. *Porro & hoc veſtræ ſuggerentes regali Excellentiæ innoteſcimus errorem illum, qui in eadem gente Longobardorum callide regnare in ſtupris & ſpurcitiis diaboli non deſinit, ſemel quippe Deo ſe voventes, & veſte fuſca monachico habitu induentes, iterum retrorſum revertentes, quod dici nefas eſt, ſeculares veſtes circumferentes, illicito copulari matrimonio perbibentur: quatenus pro hoc ſæpius ammonuimus per Guntfridum, & alios gaſindos veſtros (ideſt familiares) epiſtolas dirigentes Raginaldo & Rangibaldo, ut tam deteſtabile ſtuprum devitarent, ſed ipſi nolentes adquieſcere, per eorum contumaciam, filiam Ermenealdi Monachico habitu circumdatum, ſuo nepoti nomine Nazario, diabolica verſutia copulaverunt, & noſtris Apoſtolicis adhortationibus aſſenſum tribuere noluerunt, & eorum adimplentes iniquam præſumptionem, miniſtri diaboli effecti ſunt, & plures in Italia, eorum imitari exempla non deſinunt, prorſus nempe freti exiſtimus, quia pro hoc Canonicas diſpoſitiones veſtro a Deo protecto regali culmini incognitas non eſſe credimus, qualiter talia tetra connubia eorum vetantes gladii ancipitis ſanctionibus feriunt, & idcirco petimus,*

mus, ut noſtris, veſtriſque temporibus canonice in omni Chriſtiano populo nobis a Deo commiſſo tale illicitum ſcelus emendetur, ut pro hoc vos amplius dignos cultores Omnipotentis domini demonſtretis &c. Eique ſalutem plurimam cum Regina uxore, filiiſque dicit.

Jᴇsᴜ Cʜʀ. ᴀɴ. 790.

Hadriani Papæ epiſt. altera ad Carolum.

8. Epiſtola altera, acceptis a Bernardo Epiſcopo, & Rhodone protonotario & Abbate Caroli litteris, quibus res cunctas eidem proſpere hactenus ceſſiſſe, eumque cum tota familia ſoſpitem incolumenque eſſe cognoverat Hadrianus Papa Carolo reſpondens, gratias plurimas Deo reddidit, pro eoque continuas ſe ad Petri confeſſionem preces fundere teſtatur, quare ne umquam mendacibus, fraudulentiſque linguis aures præbeat, admonet, quaſi ab ejuſdem amicitia, aut benevolentia defeciſſet. *Quin*, ſubdit, *ſi talia adverſus nos mentiens inventus fuerit, noſtris Apoſtolicis obtutibus una cum miſſis veſtris dirigere dignemini, etſi mendax apparuerit, ſecundum ſua perverſa merita puniatur.* Deinde de continendis intra ſuos limites Longobardiæ Epiſcopis, iterum agit. Ermenaldi vero filia, quæ poſt religioſam profeſſionem nupſerat, quamque Carolus Romam deduci juſſerat canonice judicandam. *Prorſus minime ad nos properavit*, ait Hadrianus.

Epiſcoporum ordinationes prævio examine Hadrianus agere teſtatur.

9. Epiſcoporum autem ordinationes in Italiæ, & Thuſciæ partibus, quin etiam Ravennæ per ſimoniacam labem fieri conqueritur. *Unde multæ pecuniæ per talem nefandam dationem alienatæ eſſe cernuntur, ut aurum, & argentum jam non habentes, jam ipſæ res eccleſiarum immobiles, per Emphyteuſes manu conſcriptas exiſtant alienatæ. & per nefandam dationem afflictæ & depopulatæ eſſe cernuntur.* Se autem ab his quammaxime abhorrere teſtatur. *Abſit*, ait, *a nobis, ut ſuper tales viros veritate comperta manus conſecrationis reponeremus*, ſed nec ad audiendum aures inclinaremus, etiamſi quælibet nobis poteſtas *tales Acanoniſtos viros*, ideſt canonum violatores, *popoſciſſet conſecrari*. Quin canonice a clero, populoque electum, nonniſi prævio examine ad conſecrationem admittere his verbis teſtatur. *Noſtris Apoſtolicis præſentatus, ipſum deducentes electum, enucleatius eum de ſingulis indagantes capitulis ſingillatim Orthodoxæ ſidei, atque divinorum voluminum interrogamus an habeat peritiam, & poſtquam nobis fidelem reſponſionem edixerit, & a cæteris olitanis capitulis, quæ a ſacerdotibus*

caven-

Jesu Chr. An. 790.

cavenda ſunt, mundum ſe eſſe perhibuerit, maxime hæreſi ſimoniaca, obteſtantes ſciſcitamur videlicet, aliquam promiſſionem cuiquam, aut dationem fecerit, quia ſimoniacum & contra canones eſt, & dum coram omnibus a nobis interrogatur, reſpondit: Abſit, & nos dicimus: Tu videris, & ſi conſcii ſunt, capiti eorum reſpiciat periculum. Unde ſimili modo ſub jusjurando in ſcriptis reſpondent, numquam ſe aliquid accepturos de manus impoſitione &c. Carolum deinde rogat, ut Ravennates, & Pentapolenſes; ſicuti præterito anno ſcripſerat, ſibi remittat, eoſque Pontifici obedientiam præſtare cogeret, & ne confugientes ad Carolum abſque ſua licentia reciperet, ſed potius in urbem ad Pontificis judicium remitteret. Nam ſicuti ſe ſollicitum eſſe ait de Patriciatu in Carolum collato ſervando, ita & eum oportere de Patriciatu B. Petri ſollicitum eſſe, propterea ſicuti ex Francia nemo Romam ſine Regio permiſſu veniebat, ita quoque abſque Pontificis licentia, neminem in Gallias tranſire oportere. Utrinque autem advenientes monendos eſſe, ut in fide & charitate erga ſuum Principem maneant. Similiter & miſſos regios, & Pontificios ultro citroque abeuntes in prætio habendos, ac honore debito afficiendos. Hæc & alia ibidem Hadrianus Papa, debitum ſibi, Romanæque eccleſiæ obſequium venerationemque vindicans.

De Patriciatus nomine, & dignitate.

10. De Patriciatus autem honore, quem ſibi integrum ſervari ab Carolo hac epiſtola poſtulat Hadrianus, ſicut ipſe Carolo Patriciatum, ſervabat. *Honor Patriciatus veſtri nobis irrefragabiliter conſervatur, etiam & plus amplius honorifice honoratur. Simili modo ipſe Patriciatus B. Petri fautoris veſtri, tam a ſanctæ recordationis domno Pippino magno Rege genitore veſtro in ſcriptis in integro conceſſus, & a vobis amplius confirmatus, irrefragabili jure permaneat.* Ajebat Hadrianus, ad quem locum, ut adnotat Pagius, fruſtra Patriciatus vocem in Exarchatum mutavit Labbeus hanc epiſtolam referens, quaſi Patriciatus nomine, B. Petro collati, quem ſibi integrum utpote a Pippino, & Carolo donatum ſervari jubebat, nil aliud niſi Exarchatum Ravennatenſem intelligeret, eam ſcilicet provinciam intelligens, quæ olim Græcis Patriciis, ſeu Exarchis ſubjecta erat. Multa etiam de Patriciatus titulo, & dignitate ad rem minus apta, & a veritate aliena adnotat de Marcha, cum præcipue duos

Digitized by Google

duos eodem tempore Patricios Romanorum fuiſſe ſcribit, itaut tunc temporis Roma duobus Patriciis, Romano ſcilicet Pontifici, & Francorum Regibus ſubdita eſſet, quæ ſane quam abſurda ſint, nemo non videt. Hinc merito in commentario prævio ad epiſtolas Hadriani adnotavit Cennius. De Patriciatus dignitate, ejuſque indole plura congeſſit Ducangius in gloſſario, quæ ad rem non faciunt, plurima etiam Pagius ad annum 740. num. 4. & ſeqq.. Petri præſertim de Marcha opiniones adoptans ſuper Patriciatu Romanæ eccleſiæ; ea vero nil moror, quia falſa admiſcentur veris, & quæ vera ſunt, exagerantur. Quapropter qui ejuſmodi Patriciatui aliud tribuunt, præter Romanæ eccleſiæ defenſionem, magno in errore verſantur, & qui Romanum Pontificem non vident Principem fuiſſe Reipublicæ, cujus defenſionem contra Græcorum impietatem, & Longobardorum invaſiones, collata Patriciatus dignitate Rom. Pontifex commiſſit Franciæ Regibus, corporeis oculis, mentiſque acie capti eſſe videntur, ait Cennius.

Manregato Hiſpan. Regi Alphonsus ſuccedit.

11. Ad hæc tempora, ſive ad hunc annum Mauregatus, qui annos quinque, nulla re geſta, in Aſturiis regnaverat, obiit, cui Veremundus Diaconus, eo quod eo ordine inſignitus eſſet, ſucceſſit. Is vero maximam ſibi comparavit laudem, dum Alphonſum caſtum, e Regno ab Mauregato ejectum, in Regno reſtituit, chriſtianorum rebus bene conſulens, nam Alphonſus longa annorum ſerie in Hiſpania regnans, Aſturiarum Regnum, reſque chriſtianorum iis in provinciis pene collapſas, mirifice reſtituit, ut Tudenſis, aliique Hiſpaniæ hiſtorici narrant.

Ethelredus in Regno reſtitutus.

12. Eamdem ſortem cum Alphonſo, in deperditi Regni reſtitutionem, hoc anno promeruit Ethelredus olim in Anglia Nortumbriæ Rex, nam ut ſcribit Simeon Dunelmenſis in ſua hiſtoria de geſtis Regum Anglorum. Anno 790. *Ethelredus de exilio liberatus eſt, & iterum per gratiam Chriſti Regni ſolio eſt ſubtronizatus. Oſredus autem Rex dolo ſuorum Principum circumventus & captus ac Regno privatus, attonſus eſt in Eboraca Civitate, & poſtea neceſſitate coactus exilium petit*. Idem habent alii Hiſtorici Anglorum, docentque Northumbrios *Oſredum* averſatos, Ethelredum, quem ante annos duodecim ejecerant, Regem revocaſſe, illumque iterum regnaſſe. De ejus Regni exordio ita Alcuinus apud Males-

JESU CHR. AN. 791. burienſem lib. de Geſt. Reg. Ang. pag. 26. *Benedictus Deus qui facit mirabilia ſolus, nuper Athelredus filius Athelwoldi de carcere proceſſit in Solium, & de miſeria in Majeſtatem: cujus Regni novitate detenti ſumus, ne veniremus ad vos.*

JESU CHRISTI AN. 791. HADRIANI PAPÆ AN. 20.
CONSTANTINI IMP. 16. ET 12.
CAROLI MAGNI ITALIÆ REGIS 18.

Infelix Conſtantini expeditio in Bulgaros.

1. Hoc Chriſti anno, Menſe Aprili Imperator expeditione in Bulgaros ſuſcepta. *Ac Caſtrum quod probati dicitur juxta S. Gregorii rivum venit, ubi cum in Cardanum Bulgariæ dominum incidiſſet, levi pugna veſpere commiſſa, Romani timore perculſi, per noctem in fugam ſe dederunt, atque ita cum dedecore reverſi ſunt*, ait Theophanes, qui ſubdit *Bulgari etiam exterriti in provinciam ſe receperunt.*

Caroli M. de Avaris ſive Hunnis victoria.

2. Felicius in Occidente adverſus Avaros, ſive Hunnos Carolus Magnus hoc anno, Hunnici belli primo, pugnavit, cujus geſta his verbis narrat Eginhardus. *Tranſacto vere, circa æſtatis initium Rex de Vormatia movens Bojariam profectus eſt ea meditatione, ut Hunnis factorum ſuorum vicem redderet, & eis quamprimum poſſet bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni Regno ſuo quam validiſſimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cœpit. Cujus partem Thederico Comiti, & Meginfredo cubiculario ſuo committens, eos per Aquilonarem Danubii ripam iter agere juſſit. Ipſe cum parte, quam ſecum retinuit, Auſtralem ejus fluminis ripam, Pannoniam petiturus, occupavit, Bajoariis cum commeatibus exercitus, qui navibus devehebantur, per Danubium ſecunda aqua deſcendere juſſis &c.* Ac immiſſo in eos exercitu, totam fere Hunnorum regionem ferro, & igne vaſtavit, ac ſalvo & incolumi exercitu Francorum in Bojariam ſe recepit. Ait idem auctor, & addit: *Facta eſt autem hæc expeditio ſine omni rerum incommodo, præter quod in illo, quem Rex ducebat exercitu, tanta equorum lues exorta eſt, ut vix decima pars de tot millibus equorum remanſiſſe dicatur. Ipſe autem cum dimiſſis copiis Reginum Civitatem* (nunc Ratiſponam), *quæ nunc Reganesburg vocatur, veniſſet, in ea hyematurus conſediſſet, ibi Natalem Domini celebravit.* De hac Avarica victoria agit Carolus in epiſtola ad Fulradam uxorem, quam Ratisbonæ reliquerat, data: eaque nar-

narrat Italicas copias decimo Kal. Septemb. in Avariam perveniſſe, tantaque felicitate pugnaſſe, ut ingentem Avarum multitudinem Itali proſtraverint, additque *Tribus diebus Litaniam fecimus, ideſt nonis Septemb., quod fuit lunæ dies incipientes, & Martis, & Mercurii Dei miſericordiam deprecantes*. Et ſane hoc anno nonæ Septemb., cum die lunæ concurrebant, qua litaniæ cœptæ ſunt.

3. Lamberti Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis Epiſcopi obitum hoc anno alligat Simeon Dunelmenſis in hiſtoria de geſtis Regum Anglorum, eique Elheiredum, ab aliis Ethelardum dictum ſucceſſiſſe addit, quem mirifice his verbis laudat Malesburienſis. *Ethelardus vir poſt primos doctores, ſummis Pontificibus comparandus, & pene dixerim præferendus, atque haud ſcio ſi dicto delinquo, cum profecto excellentius videatur reſtauraſſe dignitatem amiſſam, quam conſervaſſe partam: quamvis & illud nonnullæ laudis habeatur*. Offa etenim Merciorum Rex, eo quod cum Cantuarienſibus graves inimicitiæ intercederent, Lambertum primatu ſpoliaverat, & ab Hadriano Papa Lichfeldenſem Epiſcopum Pallio donari impetraverat, ſed Ethelardus a Leone III. Hadriani Succeſſore res in priſtinum ſtatum reſtituendas curavit. Cum ad Dorovernenſem Eccleſiam eum evectum fuiſſe Alcuinus accepit, ſcripſit ad eum Epiſtolam, quæ in ejus operibus ordine eſt 28., in qua varia ſalutis officiique monita interſerit, ac inter cetera adnotat. *Legitur in libro Gildæ Bretonum ſapientiſſimi, quod iidem ipſi Bretones propter rapinam & avaritiam Principum, propter iniquitatem & injuſtitiam Judicum, propter deſidiam & pigritiam prædicationis Epiſcoporum, propter luxuriam, & malos mores populi, patriam perdiderunt. Caueamus hæc eadem noſtris temporibus vitia inoleſcere, quatenus benedictio Divina nobis patriam conſervet in proſperitate bona, quam nobis in ſua miſericordia perdonare dignata eſt*.

Lamberti Cantuarienſis Epis. obitus, cui Ethelardus ſuccedit.

4. Anno Hadriani Papæ 20., die 15. Menſis Decembris, aquarum copia exundans Tiberis, in urbem ingreſſus, portam Flaminiam *a fundamentis evellens, uſque ad arcum, qui dicitur tres facciculas eam deduxit*, ait Anaſtaſius. Muros etiam tranſcendens porticum Palatinum ſubvertit, & per plateas ſe extendens. *Uſque ad pontem Antonini, ipſumque evertens murum, egreſſus in ſuo ſe iterum univit alveo, ita ut in via lata amplius quam duas ſtaturas ejuſdem fluminis*

Tiberi inundat. Hadriani ſollicitudo in ſublevandis pauperibus.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 792. *aqua excreviſſet, atque ad portam B. Petri, uſque ad pontem Milvium aquæ deſcenderant, juxta remmiſſam vim ipſius fluminis reddidit. Domos itaque evertit, agros deſertavit, evellens & eradicans arbuſta, & ſegetes*. Quo tempore non ſolum præcibus Dei iram avertere conatus eſt Hadrianus Papa, ſed etiam cum urbs aquis detineretur invaſa. *Per navicula morantibus via lata cibos advexit, ut non fame necarentur, eo quod minime ſuis domiciliis exire nequibant præ nimia altitudine aquarum*, ait Anaſtaſius.

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum.

5. Interea cum ad ſacra Petri limina ex Galliis ad eniſſet Hucbertus Epiſcopus, litteraſque Caroli detuliſſet, quibus ſe pro exaltatione Rom. eccleſiæ maximam, continuamque ſollicitudinem gerere teſtabatur, quammaximas Deo gratias S. Pontifex reddidit, æternamque remunerationem Carolo pollicitus eſt, ac S: Gregorii Sacramentarium, ſeu Sacramentorum librum, quo liturgiæ Ordo continebatur, a Carolo petitum, ſe jam per Joannem monachum & Abbatem Ravennatem miſiſſe addit. Is porro unus idemque ſacramentorum liber, Leoninus, Gelaſianus, & Gregorianus dictus eſt, utpote a Leone primo Pontifice collectus, ac deinde a Gelaſio, & Gregorio Magno auctus, & emendatus, quem Gallicanis quoque eccleſiis commune effecit Carolus Magnus, ita ut cum hactenus, Galliarum eccleſiæ vario uterentur ritu, ut ex Gregorii M. epiſtola ad Auguſtinum, & Zachariæ ad Bonifacium conſtat. Poſt hæc tempora Romanam liturgiam ab Gallicanis eccleſiis adhibitam fuiſſe ſcimus. Sed de his plura vide apud Mabillonium, Thomaſium, Jacobum Acami, alioſque qui de Gallicana liturgia, vel de ſacramentario Leonino, Galaſiano, & Gregoriano ſcripſerunt.

Sacramentarium S. Gregorii ad Carolum miſiſſe teſtatur.

JESU CHRISTI annus 792. Hadriani Papæ 21.
Constantini Imp. 17. et 13.
Caroli Magni Italiæ Regis an. 19.

Infelix Conſtantini Imp. expeditio in Bulgaros.

1. Binas hoc anno militares expeditiones Conſtantinus Imp. ſuſcepit, quarum prima adverſus Arabes irrita fuit, nam profectus menſe Septembri, *Tarſum Ciliciæ urbem perrexit, ad turres autem Anidras ita dictas veniens, re prorſus infecta remeavit menſe Octobri indict.* 15. ait Theophanes, altera in Bulgaros inita infauſta fuit, nam cum Cardamus Bulgariæ Dux collectis copiis in loca munita conſiſte-

ſiſteret, Conſtantinus Imp. Juvenili ardore abreptus, & a falſis vatibus victoriam ei promittentibus, ſeductus, die 20. menſis Julii. *Inconſulte & agminibus incompoſitis pugnam conferens, gravi clade afficitur*, ac multis non ſolum ex gregariis militibus, ſed ex Ducibus etiam amiſſis, *Urbem fugiens repetit*, ait Theophanes, ac inter eos Pancratium Aſtronomum & falſum vatem, qui victoriam Conſtantino prædixerat. Quare *Bulgari impedimentis, facultatibus, equis, & tentatorium omnium apparatu cum univerſa Imperatoria ſupellectile potiti ſunt*.

Conſtantinus in patruos ſuos ſævit.

2. Graves quoque in urbe Regia hoc anno tumultus exorti ſunt, atque inprimis die 15. Januarii ab ipſa Irene matre, & optimatibus exoratus Conſtantinus matrem ſuam iterum Imperio ſociavit, cujus voluntati, cum Armeniæ milites reſtitiſſent, Alexium eorum Ducem ad ſe revocatum, eo quod Armeniaci multo ardore eum expetiiſſent, eumque Imperatorem mox futurum in vulgus proclamaſſent, Conſtantinus *verberibus cæſum, & capillis detonſum in Prætorium detruſit*. Cumque poſt infauſtam expeditionem CPolim rediiſſet Conſtantinus, Militares ordines Nicephorum. *Excæſarem educere, & Imperatorem conſtituere conſiliati ſunt. Conſtantinus conjuratione patefacta, qui Conſtantini avi ſui filium utrumque ad ſancti Mamantis locum educerent, miſit: ac Nicephorum quidem oculorum orbitate damnavit: Chriſtophoro vero, Nicetæ, Anthimo, & Eudocimo linguas præſcindi juſſit: cum eis quoque Alexium, quem diximus, Patricium oculorum uſu privavit, maternis maxime, & Stauracii Patricii, de quo hucuſque frequens ſermo, conſiliis inductus, qui iſtum niſi oculis orbaretur, in Imperatorem electum iri aſſerebant. Supplicium itaque menſe Auguſto, Sabbati die, indictione decima quinta, hora nona, eis irrogatum. In ſpatium tamen haud diutinum, injuſtum hujuſmodi facinus inultum divina juſtitia diſtulit. Solius etenim quinquenii exacto intervallo ejuſdem menſis, & Sabbati die a propria matre Conſtantinus ipſe oculis orbatus eſt*, ait Theophanes.

Georgius Syncellus geographiã vulgat.

3. Hoc circiter anno Georgius Syncellus Geographiam ſuam ab Adamo ad Diocletianum publicavit, quod opus Theophanes, qui ei familiaris fuit, uberiori ſtylo continuavit. Georgius autem ſeptimæ ſynodo Oecumenicæ interfuit, & ut ait Anaſtaſius in præfatione hiſtoriæ eccleſiaſticæ. *Tam pro*

Jesu Chr. An. 792. *pro fidei conſtantia, quam pro multarum virtutum inſignibus, ſanctæ memoriæ Taraſii regiæ urbis Præſulis Sincellus effectus eſt*. Cujus chronographiam Jacobus Goar ex ordine prædicatorum, adjecta latina verſione vulgavit, notiſque illuſtravit.

Saxones ad Idololatriam reverſi.

4. Ut Carolum Avarico, ſeu Hunnico bello implicatum viderunt Saxones, ab eo victi, & ad Chriſti fidem amplectendam adducti, uti ſupra diximus. Dum Carolus Rex in Bojaria eſſet, & apud Raganisburg, ſeu Ratiſponam, ubi Paſcha celebravit. *Appropinquante æſtivo tempore*, ait auctor chronici Moſſiacenſis. *Saxones æſtimantes, quod Avarorum gens ſe vindicare voluiſſet, hoc quod in corde eorum diu latebat, manifeſtiſſime oſtenderunt. Quaſi canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic reverſi ſunt ad Paganiſmum, quem primum reſpuerunt, relinquentes iterum Chriſtianitatem, conjungentes ſe cum Paganis, qui in circuitu eorum ſunt. Sed & Miſſos ſuos ad Avaros tranſmittentes conati ſunt rebellare in primis contra Dominum, deinde contra Regem. Eccleſiaſque, quæ in finibus eorum erant, incendentes, vaſtabant: rejicientes Epiſcopos, & Presbyteros, qui ſuper eos erant, & aliquos ex iis comprehenſos occiderunt, & pleniſſime ad culturam idolorum ſe converterunt*. Eadem narrant cæteri Annaliſtæ Francorum.

Pippini conjuratio adverſus Carolum.

5. Saxones armorum vi in ſuam poteſtatem redactos, auctoritateque ſua ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam pene coactos, non ſemel adverſus Carolum rebelaſſe, nemini fortaſſe mirum erit. At adverſus eum, tanta virtute præditum, tantaque ſapientia ornatum, Pippinum filium conſpiraſſe, mirari ſatis quiſque non poterit, niſi nos rerum humanarum inſtabilitas, & hominum protervia ſuaderet. Nam Carolus nec ſapientior, vel fortior David fuit, cujus domeſtica diſſidia, funeſtæque tragœdiæ de filiis Ammone, Abſalone, & Adonia notiores ſunt, ut expoſitione non indigeant. Itaque cum Caroli filius Pippinus dictus, ex Humiltrude priori uxore genitus, ſeu ut aliis placet, concubina, diverſus plane ab altero Pippino quem Carolus Italiæ Regem conſtituerat. Cum is itaque fratres ſuos regnare cerneret, Carolum in Neuſtria, & Ludovicum in Aquitania, alterum vero Pippinum in Italia, ſe vero ſpretum, privatæ vitæ pertæſus, Francorum plurimis in conſilium adſcitis, adverſus patrem, Abſalonis exemplo rebellavit, quem etiam, cum fratribus ſuis inter-

Digitized by Google

interficere deſtinaverat. *In ipſo anno inventum eſt conſilium peſſimum*, ait auctor chronici Moſſiacenſis, *quod Pippinus filius Regis ex concubina Hilmiltrude matre genitus, contra Regis vitam, ſeu filiorum ejus, qui ex legitima geniti ſunt, qui voluerat Regem, & ipſos occidere, & ipſe pro eo, quaſi Abimelec in diebus Judicum Iſrael, regnare, qui occidit fratres ſuos ſeptuaginta viros ſuper petram unam, & regnavit pro Gedeone patre ſuo, cum malitia tamen, & odio. Sed cum cognoviſſet Rex conſilium Pippini, & eorum qui cum ipſo erant, coadunavit conventum Francorum, & aliorum fidelium ſuorum ad Reganesburg. Ibique univerſus populus, qui cum Rege aderant, judicaverunt ipſum Pippinum, & eos qui conſenſerant, ut ſimul & hæreditate, & vita privarentur. Et ita de aliquibus adimpletum eſt. Nam Pippino filio ſuo, quia noluit Rex ut occideretur, indicaverunt Franci, ut ad ſervitium ejus inclinare debuiſſet, & ita factum eſt. Et miſit eum jam Clericum in Monaſterium*. De hac, aliaque in Carolum conjuratione Eginhardus in Vita Caroli agens, utriuſque cauſam in Faſtradam Reginam rejicit: *Horum tamen conjuratione Faſtradæ Reginæ crudelitas cauſa & origo extitiſſe creditur. Et idcirco in ambabus contra Regem conſpiratum eſt, quia uxoris crudelitati conſentiens, a ſuæ naturæ benignitate ac ſolita manſuetudine immaniter exorbitaſſe videbatur*. Quare Pippinum jam detonſum: *in cœnobio, Prumia religioſæ vitæ, jamque volentem vacare permiſit*. Ait Eginhardus, ibique monachus permanſit uſque ad annum octingeſimum undecimum, quo obiit. Conjurationem adverſus Carolum ſtructam detexit Tardulphus Presbyter Longobardus, quem etiam Ardulphum vocant annales Laurehamenſes, cui ob meritum fidei ſervatæ Carolus, anno ſequenti monaſterium S. Dionyſii, Magenario Abbate mortuo, regendum commiſit, ait Mabillonius.

Jasu Chr. an. 792.

6. In eadem Ragesburgenſi, ſeu Ratiſponenſi ſynodo, ubi Pippini rebellis cauſa cognita eſt. Felicis Urgellitani Epiſcopi hæreſis damnata fuit, idemque Romam poſtea perductus, hæreſim ſuam coram Hadriano Papa ejuravit, diluta que hæreſis infamia, ad ſuam eccleſiam rediit, uti Eginhardus his verbis narrat. *Urgellis eſt civitas in Piranei montis jugo ſita*: urbs quidem Hiſpaniæ, ſed eo tempore Francorum Imperio ſubdita, quæ Aqitaniæ Regno, & Narbonen-

Synodus Ratiſponenſis Felicis hæreſim damnat.

JESU CHR. AN. 792. bonenſi provinciæ includebatur. *Cujus Epiſcopus nomine Felix natione Hiſpanus ab Elipando Toleti Epiſcopo per litteras conſultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſentire deberet, utrum ſecundum id quod homo eſt, proprius, an adoptivus filius credendus eſſet, ac dicendus, valde incaute atque inconſiderate, & contra antiquam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, adoptivum non ſolum pronuntiavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris, pertinaciſſime pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit. Hujus rei cauſa ductus ad palatium Regis* Caroli ſcilicet, *qui tunc apud Reginum Bojoariæ civitatem, in qua & hyemaverat, reſidebat. Ubi congregato Epiſcoporum Concilio auditus eſt, & erraſſe convictus, ad præſentiam Hadriani Pontificis Romam miſſus: ubi etiam coram ipſo in baſilica S. Petri Apoſtoli hæreſim confeſſus eſt, atque abdicavit, quo facto ad civitatem ſuam reverſus eſt.* Hæc idem auctor, cui ceteri Annaliſtæ conſentiunt.

Quandiu, & quam late hæreſis propagata ſit.

7. Quando hæc hæreſis Feliciana a Felice, & Elipandiana ab Elipando Toletano Epiſcopo dicta in lucem emerſerit, quiſque ejuſdem capitalis error eſſet, ſupra anno 784. jam diximus. Hoc loco adnotare ſat erit ab Angilberto Centulonenſi monacho, poſtea ejuſdem monaſterii Abbate Felicem Romam perductum fuiſſe: ubi ut anathematis & depoſitionis ſententiam vitaret, hæreſim ficto animo ejuravit, ad quam, ut infra dicturi ſumus, cito tanquam canis ad vomitum, rediit: nam ut adnotat Jonas Aurelianenſis in libro contra Claudium Taurinenſem ſcripto, tempore Ludovici Caroli M. filii, poſtquam quamplurimos doctrina & pietate viros in Hiſpaniis olim claruiſſe adnotavit. De ejuſdem hæreſis ortu, & auctoribus, ac propagatione hæc ſubdit. *Emerſis ex eadem Hiſpania tempore ſanctæ memoriæ Caroli piiſſimi, atque invictiſſimi Auguſti, quidam Felix nomine, actu infelix, Urgelitanenſis civitatis Epiſcopus, qui juncto ſuo ſcelerato errori Elipanto Toletanæ Urbis Epiſcopo, ſecundum humanitatem non eſſe proprium Filium Dei, ſed adoptivum prædicare auſus eſt. Et hac virulenta doctrina uterque Hiſpaniam magna ex parte infecit.* Quos undique per Hiſpaniæ provincias pervagaſſe, hæreſimque ſparſiſſe addit, ac in Gallias, & Germaniam eamdem zizaniam diſerere conantes, adverſarios ibidem viros doctrina, & pietate illuſtres inve-

inveniſſe, qui fidei zelo inſtructi. *Ejus veſaniam propulſarunt, ejuſdemque Caroli Principis juſſu in unum coacti*, ideſt in ſynodo Francofordienſi biennio poſt celebrata, *adhibita etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritate, eumdem Felicem damnaverunt, immo cum auctore ſui erroris Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemate mancipaverunt*. Hæc Jonas. An autem Felix poſt retractationem hæreſis coram Hadriano Pontifice editam, in Hiſpanias reverſus, in Urgelitanam ſedem redierit, an privatus ibidem vixerit, incertum eſt, ac in varias eruditi abeunt opiniones.

JESU CHRISTI annus 793. Hadriani Papæ 22.
Constantini Imp. 18. et 14.
Caroli Magni Italiæ Regis an. 20.

Conſtantini Imp. expeditio contra Armeniæ milites.

1. Civili iterum bello Orientale Imperium hoc Chriſti anno 793. turbatum eſt, nam Armeniæ milites, ut injuriam Alexio eorum Duci illatam vindicarent, quem anno proximo Conſtantinus oculis orbari juſſerat. *Theodorum patricium Camulianum Ducem ſuum in cuſtodiam conjecerunt*, ait Theophanes. Quare Conſtantinus Imp. Artaſer Protoſpatharium, & Chryſocherem Bucellariorum Ducem cum exercitu contra eos miſit; menſe autem Novembri indictionis primæ prœlio inito, ac maxima hinc inde exercitus cœde facta, utrumque Ducem in ſuam poteſtatem redactos Armeniaci excœcarunt. Quare hyeme tranſacto, Armeniorum temeritate exaſperatus Conſtantinus, celebrato Paſchate, omnes Imperii vires in eos convertit, & prœlio inito die 27. Maii, qua Pentecoſtes feſtum erat, Sociorum Armeniorum dolis eos tradentium, univerſos comprehendit Nicetas, ex quibus Andronicum Spatharium, & eorum Thurmarcham, & Gregorium Sinopes Epiſcopum neci addixit: *Et in reliquis, mulctis & proſcriptionibus animadvertit. Mille porro ex ipſis vinculis conſtrictos, ex ipſorum caſtro eductos, in urbem per Blanchernarum portam introduxit; ac denique menſis Junii die 24. feria ſecunda, notata puncturis ſingulorum facie, & in ipſam attramento ſuperinfuſo inſcripſit. Armeniacus inſidiator, per Siciliam, & reliquas inſulas eos relegatos diſperſit. Proditores autem Armenii, ſperatis ab Imperatore muneribus fraudati, Camachum caſtrum Arabibus tra-*

Jesu Chr. An. 793. *diderunt*, ait Theophanes. Sicque dum Conſtantinus adoleſcens cum matre Irene inter ſe diſſiderent, Orientale Imperium eorum diſſidiis, belliſque civilibus afflictum eſt, Dei indignationem ſuſtinens, quam per Prophetam Iſaiam minatus fuerat: *Et dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabantur eis*.

Franci in Septimania a Seracenis victi.

2. Graves difficileſque expeditiones bellicas hoc anno Carolus Magnus ſuſtinuit, quarum triſtior Seracenica fuit, ut his verbis narrat Auctor Chronici Moiſiacenſis ad hunc annum. *Regnabat*, inquit, *in Spania Exan*, ſeu Iſſem, *filius Abdiraman*, ſeu Abderam, *ille audiens, quod Rex Carolus partibus Avarorum perrexiſſet, & exiſtimans quod Avari contra Regem fortiter dimicaſſent, & ob hanc cauſam in Franciam reverti non licuiſſet, miſit Abdelmelec unum ex Principibus cum exercitu magno Saracenorum ad devaſtandum Gallias. Qui venientes Narbonam, ſuburbium ejus igne ſuccenderunt, multoſque Chriſtianos, ac præda magna capta, ad urbem Carcaſſonam pergere volentes, obviam iis exivit Villelmus, & alii Comites Francorum cum eo; Commiſeruntque prælium ſuper fluvium Oliveto, ingravatumque eſt prælium nimis, ceciditque maxima pars in ipſo die ex populo Chriſtiano. Villelmus autem pugnavit fortiter in illa die; Videns vero, quod ſufferre eos non poſſet, quia ſocii ejus dimiſerant eum fugientes, divertit ab eis. Saracenis vero collectis ſpoliis, reverſi ſunt in Spaniam. Rex autem Carolus Chriſto adjuvante de eodem loco, ubi foſſatum fieri juſſit, navigio pervenit ad Franconcfurt, & ibi ipſam hyemem reſedit*. Idem legitur in Annalibus Anianenſibus, & in Annalibus Eginhardi, qui ait: *Saraceni ſeptimaniam ingreſſi, prælioque cum illius limitis cuſtodibus, atque Comitibus conſerto, multis Francorum interfectis, ad ſua regreſſi ſunt*. Atque hæc de Francorum clade a Seracenis accepta dixiſſe ſufficiat, plura ſi lubet apud Pagium nota 3. & 4. vide.

Expeditio filiorum Caroli in Beneventanos.

3. Seracenico bello, aliiſque curis detentus Carolus, nil hoc anno memoria dignum geſſit, nec adverſus Saxones, quos anno proximo, Chriſto, & Carolo rebellaſſe diximus, aut adverſus Avaros, ſive Hunnos arma convertit, ſat habens eoſdem armis ſuis in officio continere, ne majora, aut pejora præſumerent. Interea per filios ſuos, Pippinum ſcilicet Italiæ Regem, & Ludovicum Aquitaniæ, adverſus Beneven-

neventanum Ducem, qui cum Græcis conjunctus, Carolo rebellaverat, infeſtuſque non ſemel Romanis fuerat, ut Hadriani Papæ litteræ ad Carolum datæ teſtantur, arma convertit. Quo exitu idem ſupracitatus auctor chronici Moſſiacenſis his verbis narrat. *In ipſa hyeme*, cum adhuc Ragenesburg, ſeu Ratiſponæ eſſet Carolus, ut ſupra dixerat. *In ipſa hyeme tranſmiſit Rex Carolus duos filios ſuos, Pippinum, & Lodovicum cum hoſte*, ideſt cum exercitu, *in terra Beneventana, & facta eſt ibi fames validiſſima ſuper populum illum, qui ibi inventus eſt, & ſuper exercitum, qui advenerat, ita ut aliquanti nec in ipſa Quadrageſima ſe ab eſu carnium abſtinere potuiſſent, ſed & fames valida in Italia, & Burgundia &c.* Auctor vitæ Lodovici de hoc bello agens, adnotat, Lodovicum Aquitaniæ Regem eo anno Natalem Domini Ravennæ celebraſſe, fratri deinde Pippino ſe conjunxiſſe. *Cui conjunctus junctis viribus Beneventanam provinciam ingrediuntur*, ſubdit, *cuncta omnia populantur, caſtro uno potiuntur*, ſicque cum excurſionibus ſuis Franci Italiam pene totam fatigaſſent, morbo, & fame attriti, nulla re pene geſta, ad ſua reverſi ſunt.

Alphonſi Regis de Seracenis victoria.

4. Felicior Gallis, in ſua adverſus Seracenos expeditione fuit Alphonſus iu Hiſpania Rex, qui ignominioſum chriſtiano nomine tributum, quod ex Mauregati fœdere ſtatutum fuerat de tradendis virginibus præſtare renuens, hoſti obviam factus, ad Leidos oppidum in Aſturia. *Ad ſeptuaginta millia ex eis occidit, una cum ipſorum Duce Mugais*, ait Tudenſis, cui ceteri Hiſpaniarum hiſtorici conſentiunt, atque ex hac illuſtri victoria, id effecerunt Hiſpani, ut & turpiſſima conditione offerendi virgines, ac duriſſimo Seracenorum jugo gentes plurimæ ſeſe liberarent, atque ſpem Hiſpani conciperent, ſe aliquando perfectam ab eis libertatem conſecuturos fore, nam Mauri tanta accepta clade ſegniores poſtea redditi, injuriam ulciſci nuſpiam potuerunt, quin etiam hæc eadem Alphonſi Regis victoria effecit, ut Seraceni, qui hoc anno ut diximus in Septimaniam, & Narbonenſem provinciam, fugatis, victiſque Gallis irruperant, ad ſua redire cogerentur, prohibuitque eos, ne aut ulterius progrederentur, aut majora præſumerent, hinc factum, ut nullum Francorum oppidum occupaverint, ut pluribus adnotat Pagius, Ruderici, aliorumque ſententiam confutans, qui Cer-

Jesu Chr. an. 793. donam, Narbonam, Arelatem a Seracenis captas fuiſſe ſcripſerunt, celeberrimæ victoriæ tropheum pictate ſua dignum Alphonſus Rex Oveti, ubi Regni ſedem fixerat, in eccleſia in honorem Salvatoris generis humani erexit. Inſcriptionem ſcilicet, qua gratias plurimas Chriſto reddit, ſeque orationibus Sacerdotum, qui in ea adminiſtraturi erant, commendat, quam integram exhibet Baronius.

Ethelberti Regis Angliæ obitus, & pietas.

5. Hoc anno Ethelbertus Orientalium Anglorum Rex, Offæ Merciorum Regis inaudita perfidia occiſus eſt. Cum etenim diu virginitatem Ethelredus ſervaſſet, tandem Procerum precibus cedens, ne ipſo ſine liberis decedente Reſpublica periclitaretur. Offæ Regis filiam uxorem ducere conſenſit, Nuptiarum itaque celebrandarum cauſa ad Offæ aulam perrexit, quo cum eſſet, Offæ inſidiis, qui in ejus Regnum inhiaverat, periit. *Paſſus eſt igitur ſanctus Rex Ethelbertus, Virgo ſimul & Martyr, palmam victorioſus utramque reportans XIII. Kalendas Junii*, inquit Joannes Bromtonus in ſuo Chronico, inter decem Auctores Hiſtoriæ Anglicanæ, edito. Althifrida Offæ filia, ſeu ut ab aliis dicitur Alfrida, caſtitatem corporis ſui Deo devovens, Croilandriam ſe tranſtulit, *ubi talari tunica induta, in omni ſanctitate vitæ permanſit*, ait idem Bromtonus, ut videre eſt in Actis SS. Bollandianis ad diem XX. menſis Maii, quo Sancti Ethelberti nomen variis Martyrologiis inſcribitur. Poſt Sanctum Ethelbertum *Regnum Eſtangliæ per aliquot annos cum commotione & deſolatione ſub Regulis & tyrannis, uſque ad adventum Sancti Edmundi Regis, turbatum duravit*, ſubdit idem Bromtonus.

Dani Angliam vaſtare incipiunt.

6. Hoc etiam anno Dani, quorum arma Anglis diu infeſta fuerunt, Angliam primum invadere cœperunt, ut narrat Hovedenus his verbis. *Eodem anno*, (793.) *Pagani ab Aquilonali climate navali exercitu, ut aculeati crabrones, Britanniam venientes, hac illacque ut diriſſimi lupi diſcurrentes, prædantes, mordentes, interficientes non ſolum jumenta, boves, & oves, verùm etiam Sacerdotes, Levitaſque, choroſque Monachorum, atque Sanctimonialium veniunt, ut præfati ſumus ad Lindisfarnenſem Eccleſiam, miſerabili prædatione, vaſtant cuncta, calcant Sancta pollutis veſtigiis. Altaria ſuffodiunt, & omnia theſauria Sanctæ Eccleſiæ rapiunt, quoſdam e fratribus interficiunt, nonnullos ſecum vinctos aſſumunt, per-*

Digitized by Google

perplurimos opprobriis vexatos nudos projiciunt, aliquos in mare demergunt. Narrat poſtea quæ anno ſequenti in alia inſulæ, parte patrarunt. Toto ducentorum annorum ſpatio, ut ait Godvinus in Comment. de Præſulibus Angliæ in Athelardo, raro unus, aut alter effluxit, quin modo huc, modo illuc appellentes, ingentibus copiis Provinciam invaderent, in ædificia igne, in omnia animalium genera, quæ non poſſent aſportare gladio graſſantes. Cumque in omnes atrociſſime ſævirent, tum in Sacerdotes præcipue, & alios Eccleſiaſtici generis, quos homines Ethnici & idolorum cultores, adeo habuerunt exoſos, ut raro quemquam effugere paterentur, quin obtruncarent continuo, vel in mare mergerent, ſi forte in ſervitutem perpetuam non abriperent.

Jesu Chr. an. 793.

7. Ejuſdem cladis non ſemel meminit Alcuinus, ac gentis ſuæ calamitates deplorat, ad Higbaldum Lindiſarnenſem Epiſcopum conſolatoriam ſcripſit epiſtolam, qua ejuſdem eccleſiæ prophanationem, vaſtitatemque luget. *Veſtræ caritatis* inquit, *familiaritas me multum lætificare ſolebat, ſed verſa vica veſtræ tribulationis calamitas licet abſentem me multum contriſtavit, quod Pagani contaminaverunt ſanctuaria Dei, & fuderunt ſanguinem ſanctorum in circuitu Altaris*, Sacerdotum ſcilicet, & Monachorum, *calcaverunt corpora ſanctorum in Templo, quaſi ſterquilinium in platea*. Lindisfarnenſes deinde clericos, & monachos admonet, ne veſtium luxu, & gulæ intemperantia Dei vindictam in ſe excitarent, additque teſte Gulielmo Malesburienſi, ſe apud Regem Carolum effecturum, ut vel de pueris, qui in captivitatem ducti fuerunt redimendis, vel de aliis rebus neceſſariis aliquid ſtatueret, ejuſdem argumenti eſt alia Alcuini epiſtola ad Ethelredum Regem Merciorum, cujus fragmentum refert idem Malesburienſis. Eamdemque cladem plangit Alcuinus in poemate 178. in quo Hicbaldum inter plurima ſic affatur.

Clades a Danis in Anglia Alcuinus deplorat.

Tecum plango tuos caſus cariſſime frater,
Ora fluunt lacrymis, pectora mæſta dolent
Sæpius ingeminant tanto ſub murmure mecum
Omnibus heu quam ſit illa dolenda dies.
Qua Pagana manus veniens e finibus orbis,
Navigio ſubito litora noſtra petit.

Expo-

Jesu Chr. an. 794.

Expolianſque patrum veneranda ſepulchra duorum,
Nec non fœdavit Templa dicata Dei.
Victima facta fuit Domino, quæ ferre ſolebat
Munera, Credo pium munus & ipſe fuit.
Felix ipſa dies illis, ſi triſtia nobis
Pectora feciſſet, ſic petiere Polum &c. &c.

Hæc de Sacerdotibus, & monachis, qui prope altaria, & in eccleſiis, vel monaſteriis occiſi fuerant. Tandem cum Girvenſes monachos liberos, ab ea clade evaſiſſe didiciſſet Alcuinus, epiſtolam ad eos dedit, qua ſtragem Lindisfarnenſem ob oculos ponit, monetque eos ut caverent, ne vitiis ſuis ſimilem ſibi cladem accerſcerent. *Quis non timeat*, inquit, *terrorem qui accidit in eccleſia S. Ludberti. Corrigite quapropter mores veſtros, ne propter peccata ſceleratorum pereant & juſti.* Et varia iis monita inculcat, ut ibidem videre eſt. Eodemque zelo Ethelredo Regi, & populo Nortumbrorum ſcribens, ut morum emendatione, Dei vindictam a ſe averterent, admonuit. *Timete flagellum*, ajebat, *quod venit ſuper eccleſiam S. Lutberti &c.* At de his hactenus.

JESU CHRISTI annus 794. Hadriani Papæ 23. Constantini Imp. an. 19. et 15. Caroli Magni Italiæ Regis 21.

Felix, & Elipandus hæreſim propagare ſtudent.

1. Hoc Chriſti anno 794. indictionis ſecundæ, Felix Urgellitanus Epiſcopus, quem anno 792. tum in ſynodo Ratisbonæ celebrata, cum Romæ apud Hadrianum Papam heræſim ſuam abjuraſſe vidimus, in Hiſpaniam reverſus, hortante inpellenteque Elipando Toletano Epiſcopo ejuſdem hæreſis patrono, tanquam canis ad vomitum, eamdem reſorbuit hæreſim, ac Chriſtum Jeſum uti hominem, Dei filium adoptivum dicendum eſſe contendens, Neſtorianamque proinde hæreſim e cineribus excitans, ac longe, lateque per Hiſpanias, & Galliarum provincias propagare ſatagebat; Elipandus vero primus ejuſdem hæreſis architectus, & reſtitutor, ut ſententiæ ſuæ auctoritatem conciliaret, epiſtolam Carolo Magno ſcripſit, qua eum rogabat, ut convocatis theologis coram ſe eam legeret, quidve de ea ſententia judi-

judicium ferrent, interrogaret, ſicque Carolum M. tantæ potentiæ & auctoritatis Principem in ſuam trahere hereſim, ſuæque perfidiæ ſocium patrocinatoremque reddere ſategiſſet, hiſque alias litteras ad omnes Galliarum Epiſcopos addidit, quibus non ſolum hæreſim ſuam expoſuit, ſed eam, ut ait Baronius, alienis indutam veſtibus, inſtar Æſopi Graculi, laboravit rapreſentare formoſam, dum & divinæ ſcripturæ textibus, & Sanctorum Patrum ſententiis eam exornare ſtuduit, præcipue vero ex Toletanæ eccleſiæ libris ritualibus, & ex prædeceſſorum ſuorum in eadem Toletana ſede auctoritatibus. Eugenii ſcilicet, Idelphonſi, & Iſidori. Quid reſponſi tum Carolus, cum Galliarum Epiſcopi Elipando dederint paulo poſt dicturi ſumus.

Carolus synodum Francofordiensem convocat.

2. Nunc de Francofordienſi ſynodo in eam rem convocata, nonnulla præmittimus. Carolus itaque acceptis Elipandi litteris, ut ſynodus ex totius Occidentalis eccleſiæ Epiſcopis celebraretur, curavit. Eaque de cauſa Hadriani Pontificis præceteris ſententiam exquiſivit, ac non ſemel ad eum legatos ſuos miſit. Qualem quantamque in iis ſollicitudinem Carolus geſſerit, ex ipſius ad Elipandum redditis litteris cognoſci poteſt, quibus hæc narrat. *Ad impletionem vero hujus gaudii*, nempe hæreticorum converſionis, *fraterna cogente caritate, juſſimus ſanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique noſtræ ditionis Eccleſiis congregare Concilium, quatenus ſancta omnium unanimitas firmiter decerneret: quid credendum ſit de adoptione carnis Chriſti, quam nuper novis affectionibus, & ſanctæ Dei univerſali Eccleſiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex veſtris ſcriptis intuliſſe cognovimus. Immo & ad beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione noſtræ devotionis ter, quaterque direximus Miſſos*, Legatos ſcilicet, *ſcire cupientes, quid Sancta Romana Eccleſia Apoſtolicis edocta traditionibus, de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione. Nec non & de Britanniæ partibus aliquos Eccleſiaſticæ diſciplinæ viros convocavimus, ut ex multorum diligenti conſideratione veritas Catholicæ Fidei inveſtigaretur, & probatiſſimis ſanctorum Patrum, hinc inde roborati teſtimoniis, abſque ulla dubitatione teneatur.* Ac tandem Epiſcopos undique ad ſynodum invitatos fuiſſe addit, ex Italia ſcilicet, Gallia, & Germania, Felicem vero Urgellitanum ibidem non adfuiſſe, ſcriptorum veterum ſilen-

Jesu Chr. an. 794.

ſilentium ſuadet, exhorruit nempe hæreticus novum hoc; quod ad jugulandam, quam reſorbuerat, hæreſim, indictum judicium, uti alias Romæ, & Ratisbonæ expertus fuerat,

Hadriani Papæ epiſtola ad Episcopos Hiſpaniæ.

3. Hadrianus autem Papa crebris Caroli Magni legationibus admonitus, ut de ea quæſtione ſuam proferret ſententiam, ea in ſynodo Romana iterum diſcuſſa, uti jam biennio ante in Felice Urgellitano factum fuerat anno 792., cum hæreticam eam eſſe aperte cognoviſſet, ad Epiſcopos Gallæciæ. & Hiſpaniarum litteras dedit, quibus argumentis pluribus, & ſacræ ſcripturæ auctoritate docet, aſſertam ab Elipando, & Felice de Chriſti adoptione ſententiam, hæreſim continere. Quapropter ejuſdem erroris auctores, ſectatoreſque ad pœnitentiæ, & retractationis remedium provocat, alioquin anathematis, & depoſitionis ſententia plectendos eſſe jubet, quos ideo poſt multa his verbis compellat. *Priuſquam libelli imponatur terminus finalis, adhibenda eſt litigatorum optio ſententialis: eligant namque quæ volunt: vitam aut mortem, benedictionem aut maledictionem. Optamus namque, & infinitam boni Paſtoris Domini precamur benignitatis clementiam, ut qui ovem perditam ad ovile propriis humeris portavit, ut relictis carnis anfractibus, in quibus malæ beſtiæ, ideſt, maligni ſpiritus commorantur: ut ad viam quæ ducit ad vitam æternam fidei paſſibus, Chriſto redeant pertrahente, quatenus in ſinu matris Eccleſiæ ſuſcepti, per lamentum pœnitentiæ ſordes abluant peccatorum, & infumata eorum modeſtia bonæ famæ recipiant priſtinam dignitatem, nec honoris periclitentur naufragio, & a noſtro non disjungantur conſortio, ac per hoc reconciliati communioni Catholicæ Fidei, divina illos pietas cæleſtium faciat eſſe participes gaudiorum. Quod ſi, exigentibus indignis meritis, tam inſolubili eos malignus ſpiritus perfidiæ laqueo, juſto Dei judicio, ſtrangulavit, ut reſolvi nequeant, ex auctoritate prorſus Sedis Apoſtolicæ, ac Beati Petri Apoſtolorum principis, ac per eum, qui illi magiſter & Dominus tradidit poteſtatem, & ſolvendi, ligandique licentiam tribuit (quod ſine gravi mœrore dicere non poſſumus) perpetuo eos anathematis vinculo religatos, ultrici cum ſequacibus ſuis judicamus vindicta plectendos: ac per hoc a gremio matris eccleſiæ, & a noſtro conſortio definio alienos &c.* Fideles deinde excitat, ut pro errantibus Deum exorent, ut iis ſaniora ſapere, eoſque in veritatis viam redire faciat.

4. His

Quid in ſynodo Carolus egerit.

4. His de ea quæſtione prænotatis, quid in ſynodo Francofordienſi geſtum ſit, nunc videamus, cujus geſta exhibet libellus Epiſcoporum Italiæ, qui ſynodo abſoluta ad Epiſcopos Hiſpaniæ miſſus fuit, cujus hæc eſt inſcriptio. *Incipit libellus ſacroſyllabus catholico ſalubriter editus ſtylo in concilio divino nutu habito in ſuburbanis Mogontiæ Metropolitanæ civitatis, regione Germaniæ in loco celebri, qui dicitur Francofurd ſub præſentia clementiſſimi Principis Domini Caroli glorioſique Regis anno feliciſſimi Regni ejus 26. &c.* Cum itaque conveniſſet ſynodus, Elipandi epiſtola ad Carolum miſſa, ejuſdem Regis Caroli juſſu primum lecta eſt. *Cumque publica voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis Princeps de ſella regia ſtetit ſuper gradum ſuum, & locutus eſt de cauſa fidei prolixo ſermone, & adjecit: Quid vobis videtur: Ab anno prorſus præterito, ex quo cœpit hujus peſtis, inſania tumeſcente, perfidiæ ulcus diffuſus ebuliſſe, non parvus in his regionibus, licet in extremis finibus Regni noſtri, error inolevit, quem cenſura fidei neceſſe eſt modis omnibus reſecari. Cumque imprecata & conceſſa eſſet moroſa dilatio per dies aliquot, placuit ejus manſuetudini, ut unuſquiſque quidquid ingenii captu rectius ſentire potuiſſet, per ſacras ſyllabas, die ſtatuto, ejus clementiæ oblatum ſui pectoris fidei munus ſtyli ferculo mentis vivacitate deferret.* Hæc de Caroli juſſione Paulinus in ſupracitato libello, qui etiam ut Carolo pleniſſime ſatisfaceret Paulinus, *una cum Petro Mediolanenſis ſedis Archiepiſcopo, cunctis collegis fratribus & conſacerdotibus noſtris Liguriæ, Auſtriæ, Heſperiæ, Æmiliæ catholicarum eccleſiarum venerandis Præſulibus, juxta exilem intelligentiæ noſtræ tenuitatem, ſancto perdocente Spiritu, corde, lingua, ſtylo contra eorum veſanias, qui rectæ fidei ſunt adverſarii, reſpondere non formido &c.* Atque his egregiam confutationem hæreſis Elipandianæ, & Felicianæ addiderunt, quam conſulere quiſquis poteſt, ac tandem, cum Jeſum Chriſtum Deum & hominem, proprium Dei filium dicendum eſſe, non adoptivum probaverint, hanc in Elipandum, & Felicem ſententiam proferunt. *Omnium autem hæreticorum perverſa dogmata cum auctoribus ſuis æterno anathemate percelli judicamus, Elipandum nempe, & Felicem novos hoſtes eccleſiæ, ſed veternoſa fece perfidiæ pollutos, niſi ab hac ſtultitia reſipiſcant, & per rectæ fidei ſatis-*

factionem lamentis ſe abluant pœnitentiæ, indignos, & ingrates eos etiam, qui poſt hanc tam ſaluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus, ſancto afflata Spiritu, concorditer ſubtili ſinceritate terminavit, falſiſſimis eorum aſſertionibus, ſive clam, ſive in publica voce præbuerint aſſenſum, ſimili eos ſententiæ vindicta ſancimus eſſe plectendos, reſervato per omnia juris privilegio ſmmmi Pontificis domini, & Patris noſtri Hadriani primæ Sedis beatiſſimi Papæ:

Synodi epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ data.

5. Cum itaque ex Hadriani Papæ epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos data, quænam Romanæ eccleſiæ, de agitata quæſtione ſententia eſſet, ſynodus didiciſſet, aperteque Elipandi, & Felicis de Jeſu Chriſti adoptione in filium Dei, hæreſim ex libello Paulini, & Epiſcoporum Italiæ confutatam accepiſſet, ſynodales litteras ad Hiſpaniæ Epiſcopos dedit, ut eos, tum a ſententia Felicis, & Elipandi, cum ab eorum conſortio revocaret, iiſque Felicem, & Elipandum, eorumque ſententiam in multis arguunt. Cum etenim juſſu Caroli eorum libellus coram ſynodo lectus eſſet. *In eo*, ajunt Patres Fracofordi congregati, *Novas quaſdam aſſertiones exaratas audivimus, non tam antiquis ſanctorum doctorum traditionibus convenientes, quam veſtris nuper inventionibus utrumque confirmatas &c.* Ac inprimis Elipando objiciunt, quod dum hæreſim ſuam Patrum teſtimoniis confirmare voluit, eorum teſtimonia corrupit. Hanc ob cauſam. *Tacuiſtis*, ajunt, *nomina librorum, & numerum capitulorum, ut difficilius error veſter inveſtigaretur, & ex hoc ſolo perſpicuum eſt erraſſe vos volontarie, dum ſanctorum Patrum venerabiles ſenſus, per intermiſſiones aliquorum verborum maculare nitimini & miramur vel magis lugemus, quare hoc facere vellitis, quare puriſſimos catholicæ fidei fontes, hæretico pede turbare non timeatis &c.* Ad id vero quod addiderat Elipandus, prædeceſſores ſuos in Toletana ſede, Eugenium, Idelphonſum, Julianum eadem docuiſſe. *Melius eſt*, addunt, Deo credere de filio ſuo teſtante, quam Idelphonſo, *qui tales vobis compoſuit preces in Miſſarum ſolemniis, quales univerſalis, & ſancta Dei non habet eccleſia, nec vos in iis exaudiri, putamus, etſi Idelphonſus veſter in orationibus ſuis Chriſtum adoptivum nominavit, noſter vero Gregorius Pontifex Romanæ ſedis, & clariſſimus toto orbe Doctor, in ſuis orationibus, ſemper Unigenitum eum nominare*

Digitized by Google

nare non dubitavit. Ut ibidem demonſtrant. Ceterum falſo eos teſtimoniis etiam Idelphonſi, Eugenii, & Juliani, uſos fuiſſe probari facile poſſet, ut de Idelphonſo effecit Baronius.

Caroli M. ep. ad Elipandum.

6. His geſtis Carolus M., qui privatas ab Elipando acceperat epiſtolas, ad eumdem, ceteroſque Hiſpaniæ Epiſcopos, epiſtolam ſcripſit tanto Principe dignam, eamdemque una cum litteris Hadriani Papæ, & libello Paulini, & Epiſcoporum Italiæ, cum ſynodali epiſtola ad eoſdem miſit, qua cunctos admonebat, ut Elipandi hæreſim ab Epiſcopis tanto conſenſu damnatam, averſarentur, quæ ſane, tum ob perſonæ dignitatem, cum ob argumenti præſtantiam, ut integra excriberetur digna eſſet, niſi ejuſdem prolixitas nos deterreret. Commendata itaque inprimis eccleſiæ felicitate, dum fideles ſacro baptiſmate renati, in unam catholicam fidem coaleſcunt, pro eadem catholica fide ſervanda, atque inter gentes propaganda, ſe hactenus ſollicitum fuiſſe addit, ac pro acceptis ab Elipando litteris, & aliis ad Epiſcopos Regni ſui datis gratias agit. At ſe ignorare addit. *An quaſi ex auctoritate Magiſterii nos veſtra docere diſpoſuiſtis, an ex humilitatis diſcipulatu, noſtra diſcere deſideratis. Tamen ſive hoc, ſive illud veſtris ineſſet animis, petitionem veſtram caritate religionis chriſtianæ cogente, non ſpernendam eſſe cenſuimus, Deumque ex intimo cordis affectu deprecantes, quatenus in veræ fidei ſoliditate firmiter utrique permaneamus &c.*. Ac tandem hactenus in eadem cauſa geſta, exponit, ſe ſcilicet expetita primum per legatos ſuos Hadriani Papæ ſententia, ex quampluribus provinciis ſynodum congregaſſe, in qua quid geſtum fuerit, ſic narrat. *Idcirco vobis per ſingulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas, & pacifica perſcrutatio auctoritate Eccleſiaſtica invenire, ſtatuiſſet, confirmaret. Primo quid dominus Apoſtolicus, cum ſancta Romana Eccleſia, & Epiſcopis in illis partibus quaqua verſum commorantibus, & Catholicis doctoribus ſentiret, ſub unius libelli tenore ſtatuimus. Deinde ſecundo loco quid Eccleſiaſtici doctores, & ſacerdotes Eccleſiarum Chriſti de propinquioribus Italiæ partibus cum Petro Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Paulino Forojulianenſi vel Aquilejenſi Patriarcha, viris a Domino valde venerabilibus intelligi, vel*

Jesu Chr. An. 794. *firmiter credi voluiſſent, ſuis propriis reſponſionibus exaratum poſuimus libellum: quia ipſi quoque præſentes noſtro Synodali conventui adfuerant. Poſt hæc tenet & tertius libellus Orthodoxorum ſanctorum Patrum Epiſcoporum, & virorum venerabilium fidem, qui in Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Brittaniæ partibus dignis Deo deſerviunt officiis, veſtriſque obectionibus ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis roboratas obtinet reſponſiones. Deinde quarto loco meæ propriæ unanimitatis cum his ſanctiſſimis prædictorum Patrum decretis, & Catholicis ſtatutis conſenſum ſubnexui, ſicut voſmetipſi in veſtra epiſtola, quam meo ſpecialiter deſignaſtis nomini, rogare curaſtis, ideſt, ne ſubdolis paucorum aſſertionibus conſentirem, ſed plurimorum teſtimoniis roboratam fidem tenerem: Facio certiſſime, Deo Domino meo Jeſu Chriſto donante, horum me ſanctiſſimæ multitudini, & probatiſſimæ auctoritati veræ fidei profeſſione aſſocians, nec veſtræ me paucitati in conſenſione hujus novæ aſſertionis ſocium admitto, ſed Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Quicquid in illorum legitur libris, qui divino Spiritu afflati, toti orbi a Deo Chriſto dati ſunt Doctores, indubitanter teneo, hoc ad ſalutem animæ meæ ſufficere credens, quod ſacratiſſimæ Evangelicæ veritatis pandit hiſtoria, quod Apoſtolica in ſuis epiſtolis confirmat auctoritas, quod eximii ſanctæ Scripturæ tractatores, & præcipui Chriſtianæ Fidei Doctores, ad perpetuam poſteris ſcriptam relinquerunt memoriam: cum iis quoque; doctoribus, & ſanctæ Eccleſiæ paſtoribus veram prædico fidem, quos in præſenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Caroli ſaluberrima monita ad hæreticos. 7. Deinde poſt aliqua, quod pro eo preces ſe Deo offerre teſtati eſſent, gratias agit, ac pro miſſis admonitionibus, has ipſe reddit. *Scriptam itaque*, ait, *in epiſtola veſtra hujuſmodi obſecrationem invenimus, (poſcentes vos per eum, qui pro te in Cruce manus innoxias extendit, & pro te ſanguinem prætioſum effudit, & pro te mortem pertulit, & ſepulturam, ad liberandum electos ad infernum deſcendit, & pro te reſurgens, tibi viam ad cælos revertendi, ſcilicet ad cæleſtem patriam, demonſtravit, ut per te ipſum arbiter ſedeas)*

deas) Ecce ego veſtris petitionibus ſatisfaciens, congregationi ſacerdotum auditor & arbiter adſedi. Diſcernimus, & Deo donante decrevimus quid eſſet de hac inquiſitione firmiter tenendum: ſed modo per eamdem obſecrationem vos iterum atque iterum obteſtor, ut in pacifica unanimitate, & Catholicæ fidei profeſſione nobiſcum firmiter maneatis, nec vos doctiores exiſtimetis univerſali ſancta Dei Eccleſia. Eam fidem tenete, quam Orthodoxi Patres in ſuis nobis ſymbolis ſcriptam reliquerunt, & nolite plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; nec ratiocinando humano ingenio divina vos myſteria inveſtigare arbitremini, ſed magis credendo honorare, quæ humana fragilitas temere perſcrutando invenire non valet. Exemplum mihi Conſtantini Imperatoris propoſuiſtis, cujus initium B. Iſidorum laudaſſe dicitis, & finem doluiſſe: quod ne mihi accidat, per quemdam Beatum (quem per antiphraſin cognominaſtis) benigne ſuadetis: Hoc etiam, divina miſerante gratia, præcavere ſatago, non ab illo tantummodo, ſed etiam ab omnibus, qui aliquid rectæ fidei contrarium docere videntur: aſſiduaque devotione Dominum depoſco, & quoſcumque ex Filiis ſanctæ matris Eccleſiæ valeo, mihi in hac petitione adjutores convoco, ne me alicujus verboſa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, a via veritatis avertat, ſæpius cum Propheta decantans: Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Vos vero vobiſmetipſis cavete, quos vos fraterno monuiſtis amore, procurantes diligentiſſime, omnipotentiſque Dei vobis aſſiduis precibus clementiſſimam convocate gratiam, ne callida antiqui hoſtis verſutia ſenſus veſtros in aliqua parte corrumpat, & pejus fiat interius diaboli ſervitium, quam exterius gentis inimicæ. Hæc Carolus, alludens ad ſervitutem, qua a Sarracenis miſeri Hiſpani tenebantur oppreſſi, quod hac eadem epiſtola inferius ſæpe ingerit, ſed pergit: *Eumque expectate Redemptorem, quem ſalutis veſtræ habuiſtis auctorem. Illum glorificate in corde, & portate in corpore, & dignam in vobis illi præparate habitationem in fide, quæ per dilectionem operatur, quatenus vos illius glorioſa potentia & ineffabili miſericordia ab utriuſque ſervitutis moleſtia, exteriore ſcilicet & interiore, liberet & cuſtodiat, & in magno judicio ante conſpectum gloriæ ſuæ cum multiplicibus laboris veſtri divitiis ſtare concedat,*

JESU CHR. AN. 794. *cedat, & vocem optabilem cum operatoribus Apoſtolicæ Fidei audire faciat: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, Paratum igitur vobis Regnum ab origine mundi, indubitata veritatis profeſſione ſperatis, ſi Catholicæ Fidei unanimitati voſmetipſos adjungere curetis; exteriores ſervitutis moleſtias interna fidelitatis ſpe conſolamini: Oculos mentis veſtræ ad eum erigite, qui vos eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ.*

Caroli exhortatio ad hæreticos. 8. Eoſdemque iterum, iterumque hortatur, ut ad catholicæ eccleſiæ unitatem redirent. *Antequam hujus adoptionis in Chriſto nomen a vobis exortum, noſtros non offenderet animos, vos germanitatis amore dileximus, etſi nos veſtrum corporale ſervitium contriſtaret*, dum Seracenis ſubditi eſſent, rectitudo tamen fidei catholicæ lætificavit in vobis. *Nunc vero duplici pro vobis afficimur mœrore, Diabolica fraude deceptis in corde, & inimica ſervitute oppreſſis in corpore; Sed redite obſecro ad unitatem ſanctæ matris Eccleſiæ, ut vos eruat de anguſtia ſervitutis terrenæ, qui vos per baptiſmi gratiam a vinculo liberavit peccati originalis &c.* Poſtquam vero multa in eamdem rem addidiſſet, iis tandem hæc denunciat. *Poſt hanc vero correctionem ſive admonitionem Apoſtolicæ auctoritatis, & ſynodalis unanimitatis, ſi non reſipiſcitis ab errore veſtro: ſcitote omnino vos pro hæreticis haberi, nec ullam vobiſcum communionem pro Deo audeamus habere. Currite dum lucem habetis, ne tenebræ vos anathematis comprehendant, unde non poteſtis veſtros pedes extricare, ſed interna damnatione irretitos eſſe lugebitis. Adhuc enim pia mater revocat vos in gremium ſuæ miſericordiæ, volens vos Deo nutrire in filios.* Quos ideo iterum admonet, ne has admonitiones ſpernant, ut ibidem videre eſt, hacque Caroli epiſtola, geſtis in ſynodo Francofordienſi contra Elipandi hæreſim finis impoſitus fuit. De qua nihilominus nonnulla dicenda ſuperſunt.

Francofordienſis ſynodi canones. 9. Nam tanta Epiſcoporum multitudo ibidem congregata canones quinquaginta ſex vulgavit, quorum primo Elipandi Toletani, & Felicis Urgellitani Epiſcopi hæreſis de adoptione filii Dei condemnatur, ceteri vero ad eccleſiæ diſciplinam tuendam ſpectant, quos primum Sirmondus

dus edidit, deinde ſcriptores ceteri; quorum ſecundus copioſam ſcribendi materiam Baronio, aliiſque eruditis viris dedit, ita ut in eo exponendo numeros ultra triginta, Baronius inſumpſerit. Ut paucis rem complectamur. Verba celeberrimi canonis, qui tot quæſtionibus occaſionem dedit, damus. *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum ſynodo, quam de adorandis imaginibus CPoli ſederunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, uti ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.*

An Nicæna ſynodus in ſynodo Francofordienſi fuerit condemnata.

10. Hujus autem canonis verba, uno veluti ictu Orthodoxorum nonnulli ſic ſolvunt, dicentes in Fracofordienſi quidem concilio damnatam fuiſſe ſeptimam ſynodum, non eam tamen quam Orthodoxi Nicææ celebrarunt, ſed eam, quam Iconoclaſtæ CP. celebraverant, ſeptimam quoque ab iis, & Oecumenicam dictam. De Nicæna tamen catholicorum ſynodo, actum ibidem fuiſſe dubitari vix poteſt, ac hujus temporis ſcriptores, vel proximi, Eginhardus ſcilicet, Aimonius, Ado Viennenſis, aliique confirmant, ac ſi cetera deeeſſent, idipſum probat apertiſſime ipſius Hadriani Papæ epiſtola hoc vel ſequenti anno ad Carolum data, qua debitam ſacris imaginibus reverentiam exhibendam eſſe docet, ac multis argumentis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus & exemplis probat. Cum etenim ex Nicæna ſynodo obiectionum farraginem in unum collegiſſent Epiſcopi Fracofordio congregati contra imaginum cultum, eamdemque collectionem per Angilbertum Abbatem, & Regiæ Capellæ Miniſtrum, & Arcicapellanum ad Hadrianum Pontificem Carolus M. miſiſſet, ut iis ſatisfaceret Hadrianus Papa, Apologiam longiori ſtylo pro Nicæna ſynodo contexuit, atque eos Nicænorum Patrum ſenſum in tranſverſum accepiſſe, ex mala concepta Græcorum opinione demonſtrat, præcipue in iis, quæ ſacrarum imaginum cultum, & venerationem ſpectabant. Hinc poſt plurima, quibus obiectiones eorum confutat, ad ultimum caput, ab eodem Carolo M. ut veroſimile eſt, additum in quo ceteris ſapientior, ac moderatior Hadriano viſus fuerat, dum ejuſdem pietatem laudat, ac qua ratione, quave veneratione ſanctæ imagines

JESU CHR. AN. 794.

Quid Hadrianus de imaginum cultu Carolum docuerit.

gines dignæ ſint, exponit, hæc adnotat.

11. *Hoc ſacrum & venerandum capitulum multum diſtat a totis ſupradictis capitulis. Et idcirco eum agnovimus veſtræ a Deo ſervatæ orthodoxæque regalis excellentiæ eſſe proprium, in eo ubi rectæ fidei plena penitus confeſſa eſt ſenſum ſanctiſſimi Gregorii ſequi. Meminit enim veſtra prærectiſſima regalis præexcelſa ſcientia, qualiter in ipſa ſancti Gregorii Papæ epiſtola Sereno Epiſcopo Maſſilienſi directa, fertur inter cetera contineri, ubi eumdem Epiſcopum increpans inquit. Aliud enim eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid eſt adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. Unde præcipue gentibus pro lectione pictura eſt. Quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat.* Et poſt pauca: *Et quia in locis venerabilibus ſanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione vetuſtas admiſit.* Deinde: *Quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut neſcientes litteras ipſam hiſtoriam intendentes, quid actum ſit diſcerent.* Et iterum: *Sed hoc ſolicite fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ, ardorem compunctionis percipiant: & in adorationem ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur. Simili modo & de alia ſua epiſtola Januario Calaritano Epiſcopo directa pro ſacrarum imaginum veneratione, breviter ſuperius exaravimus. Sed & de Epiſtola Secundino ſervo Dei incluſo in Gallias directa ſimiliter intimavimus, ubi in ea ita fertur. Imagines enim, quas nobis tibi dirigendas per Dulcitium Diaconum tuum rogaſti, miſimus. Valde nobis tua poſtulatio placuit, quia illum in corde tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere deſideras, ut viſio corporalis quotidiana te ſemper reddat exercitatum, ut dum picturam vides, ad illum animo ardeſcas, cujus tu imaginem videre deſideras &c.*. His alia in eamdem rem addit, id præcipue ſæpius repetens. *Nos quidem non quaſi ante divinitatem ante ipſus proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, aut in throno ſedentem recordamur &c. Deinde ad Carolum: Quoniam in his veſtrum a Deo iſpiratum regalem Orthodoxum ſenſum memorandum eſt etiam, & docendum, qualiter ſanctus Gregorius Papa*

Papa Sereno Epiſcopo docuit, de ſacris imaginibus; ut ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, hoc eſt easdem ſacras imagines aſpicientes in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur. Hæc, & alia ibidem Hadrianus, quæ excribere non juvat. Hinc ſubdit, *Ita & nos eumdem ipſum irreprehenſibilem & Orthodoxum ſancti Gregorii Papæ ſenſum ſequentes & amplectentes, dudum, Irene, & Conſtantino Imperatoribus pro ſacris imaginibus prædicandis, earumque erectione, emiſimus dicentes: Quia in univerſo mundo, ubi Chriſtianitas eſt, ipſæ ſacræ imagines permanentes, ab omnibus fidelibus bonorantur, ut per viſibilem divinitatis majeſtatem mens noſtra rapiatur ſpirituali affectu pro contemplatione figuratæ imaginis ſecundum carnem, quam Filius Dei pro noſtra ſalute ſuſcipere dignatus eſt, eumdem Redemptorem noſtrum, qui in cœlis eſt, adoramus, & in ſpiritu glorificantes collaudamus, quoniam, juxta, ut ſcriptum eſt, Deus ſpiritus eſt, & ob hoc ſpiritaliter divinitatem ejus adoramus. Nam abſit a nobis, ut ipſas imagines, ſicut quidam garriunt deificemus: ſed affectum & dilectionem noſtram, quam in Dei amorem, & ſanctorum ejus habemus, omnimodo proferimus: & ſic divinæ ſcripturæ libros, ipſas imagines ob memoriam venerationis habemus, noſtræ fidei puritatem obſervantes. Ac quidquid de S. Patrum opuſculis aliquantula ibidem exaravimus teſtimonia, in eodem ſenſu atque tenore, ut præſentem dreximus cum prædeceſſore noſtro ſancto Gregorio Papa, eumdem fidei ſenſum tenentes, emiſimus prædicantes &c.* Atque his, aliiſque bene multis in eamdem rem adnotatis, nihil circa imaginum cultum, quod, catholicæ eccleſiæ adverſaretur, in Nicæna ſecunda ſynodo ab Orientalibus tentatum fuiſſe, Carolum M. certiorem Hadrianus Papa reddidit.

Jesu Chr. an. 794.

Francofordienſis canonis nulla auctoritas.

12. Atque ex hactenus dictis, jam etiam conſtat, nullum adverſus ſanctarum imaginum cultum prejudicium ab Epiſcopis Francofordio congregatis afferri potuiſſe, cum Nicænum canonem, de imaginum cultu & veneratione ex Græcæ linguæ ignoratione, vel infideli ejuſdem verſione, nequaquam aſſecuti fuerint, falſo fingentes ſibi, eamdem imaginibus venerationem, eumdemque cultum, quem Chriſti fideles Deo, ſeu Deificæ Trinitati exhibent, exhibendum eſſe, cum aliunde conſtet, longe diverſam fuiſſe Nicænorum Pa-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 794.

trum ſententiam. Francofordienſis vero canonis verba hæc ſunt. *Oblata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum ſynodo, quam de adorandis imaginibus CPoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſervitutem renuentes condemnaverunt.* Hæc Francofordienſes Patres, quos merito Hadrianus Papa confutavit, falſitatiſque coarguit.

De imaginum cultu error Epiſcoporum Galliæ.

13. Ex hac autem falſa opinione decepti, in eam poſtea ſententiam facile devenerunt Galliarum Epiſcopi, vel ſaltem ex iis quamplurimi, ut omnem pene cultum imaginibus debitum eſſe negarent. In duas quippe claſſes ut plurimum eos diſtinguebant, qui in cultu ſanctarum imaginum errabant; Alteram eorum, qui eas frangerent, exurerent, vel quovis modo delerent, alteram vero eorum, qui ut putabant, ex Nicæni concilii decreto, cultu Deo debito ſacras imagines proſequendas eſſe aſſererent, quæ ſane dum de Pariſienſi ſynodo anno 825. celebrata ſermo fiet, luce clarius conſtabunt, eamdemque ſententiam cum Pariſienſi concilio incaute ſecuti ſunt. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in ſuis contra Claudium Taurinenſem Epiſcopum libris, Valfridius Strabo ejuſdem ætatis ſcriptor, Amalarius, Altigarius, Thedulphus, Adegarius, & Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, quorum errorem confutat Anaſtaſius bibliothecarius in præfatione, quam ſeptimæ ſynodo, a ſe in latinum tranſlatæ præfixit, dum ad Joannem Papam octavum ait. *Quæ enim ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens Synodus docet*, Nicæna ſcilicet, *hæc & Apoſtolica Sedes veſtra, ſicut nonnulla conſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur, quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum utilitas revelata: ajunt namque quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quaſi non ſit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie oſculantes adorant*, poſt aliqua: *Similiter & forma ſanctæ Crucis, quam ſe adorare omnes ubique Chriſtiani fatentur, in quo videlicet conſiderare libet, quia ſi quamlibet Crucem auream, aut argenteam, aut ligneam adoramus,*

quæ

Digitized by Google

quæ ubique non eadem eſt ipſa Crux in qua ſalus noſtra parata eſt, ſed figura & imago ejus: quare non adoremus figuram & imaginem ejus, qui eamdem ſalutem operatus eſt in medio terræ? Venerabilior namque eſt qui ſalutem operatus; ac per hoc magis eſt adoratione digna imago Chriſti ſalutem operantis, quam imago Crucis ſalutem tantummodo bajulantis. Hæc Anaſtaſius adverſus Nicænæ Synodi adverſarios: ex quo illud pariter attente obſervare debes, ne decipiaris, non univerſalem Gallicanam Eccleſiam in eo fuiſſe errore implicitam, ſed (quod ait Anaſtaſius) quoſdam dumtaxat Gallorum fuiſſe ejus perverſæ ſententiæ ſectatores, ſugillans eos, quos ſuperius nominavimus. De quibus iterum ſæculo ſequenti redibit ſermo. Jesu Chr. an. 794.

14. Cum in his conventibus publicæ, ac privatæ cauſæ paſſim agerentur, poſt damnatam Elipandi hæreſim, poſt CPolitanam ſynodum rejectam. De Taſſilone Boariæ olim Duce, qui tum monaſtico indutus erat habitu, hæc canone tertio leguntur. *His peractis de Taſſilone definitum eſt capitulum, qui dudum Bojariæ Dux fuerat ſobrinus Domini Caroli Regis*, ex Giltrude Pippini ſorore natus. *In medio ſanctiſſimi adſtitit concilii veniam rogans pro admiſſis culpis, tam quas tempore Pippini Regis adverſus eum, & Regnum Francorum commiſerat, quam & quas poſtea ſub tempore Domni noſtri piiſſimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei ſuæ extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione viſus eſt poſtulaſſe &c.* Et renovata Ducatus abdicatione, filios ſuos, filiaſque Carolo commendavit; Cui Carolus commiſeratione motus multa eidem donavit, qua de re *Tres breves uno tenore fieri præcepit*, quorum unum in Palatio, alterum in capella Palatii, tertium ut ſecum in monaſterio deferret, ac cum filiis Theodone, & Theotberto in Hemmeticenſe monaſterium relegatus eſt, ubi *pia morte deceſſiſſe non dubitamus*, ait Mabillonius. At ſanctum dicere, etſi in recentioribus faſtis nonnullis inſcriptus ſit, *nobis religio eſt.* Eum tamen in Laureshamenſe monaſterium ſeceſſiſſe, & obiiſſe, ex Eccardo adnotat Manſius, cujus epitaphium refert, ut ibidem videre eſt.

15. Sequentium canonum concilii Francofordienſis hic eſt titulus. 4. De ſtabili prætio annonæ tam publicæ, quam privatæ, quantum præcipue Avena, Hordeum, Segala, &

 Fru-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 794. Frumentum tam in ſpecie, quam in pane vendi poſſet. 5. De novis Denariis, ut ab omnibus recipiantur, nec eos quiquam recuſare liceat. 6. Ut Epiſcopi in ſuis parochiis juſtitias faciant. 7. Ut neque Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus de ſua civitate, & eccleſia in aliam tranſeat. 8. Lites inter Galliarum Metropolitanos his verbis componit. De altercatione Urſionis Viennenſis Epiſcopi, & Eliphanti Arelatenſis, lectæ ſunt epiſtolæ B. Gregorii, Zoſimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eo quod Viennenſis eccleſia quatuor ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta præemineret, & Arelatenſis eccleſia novem ſuffraganeas habere deberet, quibus illa præemineret. De Tarantaſia vero, & Ebreduno, ſive Aquis, legatio facta eſt ad ſedem Apoſtolicam, & quidquid per Pontificem Romanæ eccleſiæ definitum fuerit, hoc teneatur. Hæc pro Rom. Sedis reverentia, cum de juribus Metropolitarum ageretur. Canone nono de purgatione, & reconciliatione Petri Epiſcopi agitur, qui accuſatus, quod Regi inſidias ſtruxiſſet, ad Dei judicium provocavit, ac ex Regis clementia priſtino honori reſtitutus eſt. 10. Gerbodus quidam Epiſcopatu dejectus eſt, cum non conſtaret a quo ordniatus fuiſſet. 11. Ut monachi a ſecularibus negotiis abſtineant. 12. Ut recluſi niſi ex Epiſcopi, & abbatis approbatione non fiant. 13. Ut abbas cum ſuis dormiat monachis. 14. Cellarii in monaſteriis quales eligendi ſunt. 15. De monaſteriis ubi corpora ſanctorum ſunt. 16. Ut pro introeuntibus in monaſterium prœmia non exigantur. 17. Ut abbas ſine conſenſu Epiſcopi non eligatur. 18. Ut nulla ex culpa monachos excæcare abbati, aut mutilare liceat. 19. Clerici, aut monachi tabernas non ingrediantur. 20. Epiſcopus canones & regulas ſcire debet. 21. Dies Dominica quomodo obſervanda. 22. Ne in villis aut vicis ordinentur Epiſcopi. 23. Servum ſine Domini licentia nemo recipiat, vel ordinet. 24. Ut clerici & monachi in propoſito permaneant. 25. Ut decimas & nonas eccleſiæ ſolvant qui debent, & omnes decimam de ſua proprietate. 26. Ut Eccleſiæ per eos reſtaurentur, qui beneficia habent, & ut inde ablata reſtituantur. 27. Ut clerici alieni ſine commendatitiis non recipiantur, & qui nunc ſunt, redeant ad eccleſias ſuas. 28. Ut abſolute nullus ordinetur, ideſt ſine miniſterio, cui vacare deberet. 29. Ut Epiſcopus ſibi

Digitized by Google

ſibi ſubditos rite doceat. 30. De altercationibus clericorum. inter ſe, vel cum laicis agit. 31. Ut conjurationes non fiant. 32. Ut monaſteriorum diſciplina ſervetur. 33. Ut orationem Dominicam, & ſymbolum fidei omnes diſcant. 34. De avaritia frenanda & cupiditate agit. 35. De hoſpitalitate. 36. Ut criminoſis accuſare non liceat. 37. De reconciliatione 38. Ut presbyteri contumaces cum regiæ capellæ clericis non communicent. 39. De judicio presbyteri in crimine deprehenſi. 40. De ſuſcipienda cura puellarum, quæ parentibus privatæ ſunt. 41. Ut Epiſcopus extra propriam ſedem ultra tres hebdomadas non abſit, & in Epiſcopi rebus poſt ejus obitum non ſuccedat. 42. Quinam ſancti in eccleſia venerandi ſint. Ii tantum, ut ait Canon, qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt. 43. De arboribus, & Lucis deſtruendis. 44. Ut electi utrimque judices non ſpernantur. 45. Ut parvuli ad ſacramenta non trahantur. 46. Ut in velandis virginibus canones obſerventur. 47. Abbatiſſæ, quæ regulariter non vivunt deponendæ. 48. Ut oblationes quæ in eccleſia fiunt, diſpenſet Epiſcopus. 49. Ut presbyter ante annos 30. non ordinetur. 50. Ut poſt miſſarum ſolemnia pax invicem detur. 51. Ut nomina ante oblationem non recitentur. 52. Quod non in tribus tantum linguis orandus ſit Deus. 53. Ut Epiſcopi, & Presbyteri canones non ignorent. 54. Quatenus eccleſiæ ab ingenuis conſtructæ tradi, aut vendi queant. 55. Hæc continet. Cum in ſynodo dixiſſet Carolus ſe licentiam ab Hadriano Pontifice obtinuiſſe. *Ut Angilramnum Archiepiſcopum in ſuo Palatio aſſidue haberet propter utilitates eccleſiaſticas*. Deprecatus eſt eamdem ſynodum. *Ut etiam Ildelbaldum Epiſcopum habere debuiſſet*. Quia de eodem eamdem licentiam habuerat. Quibus ſynodus conſentiens, placuit, ut is etiam in Palatio eſſe deberet propter utilitates eccleſiaſticas. Ildebadus autem Colonienſis tunc Epiſcopus erat, qui paulo poſt Metropolitani dignitatem obtinuit, qua anno 799. exornatus fuerat, nam Anaſtaſius in vita Leonis 3. De ejus adventu in Galliam agens, narrat Carolum obviam ei miſiſſe Hildivaldum ſeu Ildebaldum *Archiepiſcopum*, & *Cappellanum*, *Aſcharium Comitem*.

Jesu Chr. an. 794.

16. Quinquageſimus ſextus & ultimus hujus concilii canon

De Alcuini geſtis, & ſcriptis.

Jesu Chr. an. 794. canon hæc in Alcuini laudem continet. Commonuit etiam Rex. *Ut Alcuinum ipſa ſancta ſynodus in ſuo conſortio, ſive, in orationibus recipere dignaretur eo quod eſſet vir in eccleſiaſticis doctrinis eruditus*, quibus conſentiens ſynodus, *eum in eorum conſortio, ſive in orationibus receperunt*. Cur vero congregatis Epiſcopis Alcuinum tantopere commendaverit Carolus, maximam, quam de ejuſdem pietate & doctrina conceperat, opinionem, in cauſa fuit, quem cum ægre, ut in Angliam reverteretur tuliſſet, ut anno 782. diximus, ita eum inde in Gallias iterum revocatum, nuſpiam receſſurum ſollicitus fuit, cujus voluntati Alcuinus ut obſequeretur, petita, & obtenta a Rege Offa, & Epiſcopo ſuo licentia circa finem anni 792., vel ineunte anno 793. in Gallias rediit, nam anno 792. quo Ratiſbonenſis ſynodus celebrata fuit, nondum in Gallias redierat Alcuinus, ut ipſemet adverſus Elipandum ſcribens capite 16. teſtatur. Anno vero ſequenti 793. in Francia degebat, quando eccleſia S. Lutberti Lirdisfarnenſis a Paganis everſa eſt, ut ex epiſtolis ea occaſione ſcriptis ſcimus, quarum anno proximo mentionem fecimus. Cum autem graviores in dies, ut audivimus, ab Elipando, & Felice, tumultus excitarentur, eorumque hæreſim in Franciam, & Germaniam ſerere, ac tueri conarentur, ut quamcitius in Franciam rediret, Carolus hortatus fuerat. Cujus ingenium, & opera ad confutandam exurgentem hæreſim, maximo adiumento futuram ſperabat, nec fruſtra, ejus quippe labore & induſtria factum eſt, ut quantocius priſtina iis in eccleſiis tranquillitas rediret, nec mirum, cum idem Alcuinus in epiſtola, libris ſuis contra Elipandum ſcriptis præfixa. *Se divina diſpenſatione ad glorioſum Regem Carolum vocatum veniſſe*, ait, *ſicut ſibi quidam ſanctiſſimus vir, prophetiæ ſpiritu præditus, id divinæ voluntatis eſſe prædixerat &c.*

Alcuinus Turonenſi monaſterio præficitur, Elipandi hæreſim confutat.

17. Quantum vero in Felicianæ, & Elipandianæ hæreſis confutatione, & extinxione adlaboraverit Alcuinus, acta ipſa concilii Francofordienſis, cui Alcuinus interfuit, & cui præcipue, ut vero proximum eſt, ejuſdem confutatio debetur, teſtantur, tum ejuſdem pacificæ ad Felicem Urgellitanum Epiſcopum litteræ, ut eum ab errore ſuſcepto revocatum, ad catholicam fidem perduceret, ejuſdemque argumenti alteras ad Elipandum poſtea dedit, quos cum nihilominus ob-

obſtinatos in errore vidiſſet, egregis in eam rem editis libris pl eniſſime egregieque confutavit. His addendus eſt libellus per Benedictum, Anianum Abbatem, fratribus Gothiæ, & Septimaniæ datus, cujus ipſe Alcuinus meminit in epiſtola iis data, his verbis. *Quod multis teſtimoniis evangelicis comprobari poteſt*, Chriſtum, ſcilicet, proprium Dei filium eſſe non adoptivum, *ſicut in libello ex parte factum eſt, quem direximus per beatum Benedictum, vobis ad ſolatium, & confirmationem fidei*, ne facile argumentis, vel auctotitate Felicis, & Elipandi Epiſcoporum commoverentur. Hic libellus, qui hactenus latuerat, opera Petri Foggini Vaticanæ bibliothecæ Præfecti, viri clariſſimi, mihique amiciſſimi, in lucem tandem prodiit, ex antiquiſſimo Vaticanæ bibliothecæ Codice, quem noviſſimo Alcuini editori tranſmiſit, ut idem tum in prologo ejuſdem libelli, cum in diſſertatione de Elipandiana, & Feliciana hæreſi, pagina 931. teſtatur. Alcuinus itaque in Gallias reverſus, Turonenſi monaſterio, & ſcholæ ibidem erectæ ab Carolo Magno præfectus, cum variis tum Regni, cum eccleſiæ negotiis diſtentus hactenus fuiſſet, non multo poſt, circa annum ſcilicet 797., in confutanda Felicis, & Helipandi hæreſi, juſſu Caroli, ſtylum iterum convertere coactus fuit, nam cum exhortatoriæ Alcuini epiſtolæ, libellum in ſuæ ſententiæ defenſionem oppoſuiſſet, quem libellum Felix in confeſſione fidei ad Urgellitanos miſſa, epiſtolam vocat, dum ait. *Nuper in Roma hac intentione, præcipiente glerioſiſſimo ac piiſſimo Domino noſtro Carolo adverſus epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Turonenſi eccleſiæ, ſcripſeram congregata eſt*, anno 799. cum ad Leonem Pontificem, ab Alcuino, rogatus Felicis libellum ſeu epiſtolam, ut eam ipſe quoque confutaret, miſit. De qua epiſtola, ſive libello, hæc Alcuinus libro 2. adverſus Elipandum adnotat. *Felix infeliciter ad veſtras refugiens partes, ſopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus reſuſcitare intendit. Cui ego in has adveniens partes, charitatis calamo epiſtolam exhortatoriam, ut ſe catholicæ jungeret unitati dirigere curavi: Cui ille non epiſtolari brevitate, ſed libelli prolixitate reſpondere niſus eſt, atque in eo omnes perfidiæ ſuæ foveas maxime aperuit, aſſerens Chriſtum & veterem hominem eſſe, & noncupativum Deum, & adoptivum filium, & ſecunda indiguiſſe regeneratione, & alia plurima ecclе-*

Jesu Chr. an. 794.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 794. *eccleſiaſticæ doctrinæ inconvenientia*. Cum itaque hanc Felicis epiſtolam, ſive libellum ab Carolo Rege accepiſſet Alcuinus, cui etiam Rex juſſerat, ut eumdem confutaret, & ut *contra novas hæreticæ pravitatis inventiones reſponderet*, ad opus injunctum illico manus admovit. Unde in epiſtola præfixa libris ſeptem contra Felicis, & Elipandi hæreſim ſcriptis, & ad Carolum directis, ajebat Alcuinus. *Veſtra nulli contemnenda &c. Auctoritas noſtræ devotioni mandavit libello reſpondere, quem contra nos Felix quidam Epiſcopus veſtræ direxit auctoritati*. Pro ea tamen, qua præditus erat humilitate, etſi opus omnino non recuſaverit, ſe tamen ſolum ad id perficiendum imparem eſſe teſtatus eſt, ac ut alios etiam ſibi coadiutores adjungeret. rogavit, his verbis. *Ego ſolus non ſufficio ad reſpondendum, provideat vero tua ſancta pietas huic operi tam arduo & neceſſario adjutores idoneos, quatenus hæc impia hæreſis omnimodis extinguatur, antequam latius ſpargatur per orbem chriſtiani Imperii &c.* Carolus vero Alcuini petitioni ſatisfacere cupiens, quos tamen ad id operis, eidem ſocios daret, ignorabat. At Alcuinus epiſtola altera egregios viros, & in eo certamine, ut plurimum, exercitatos ſuggeſſit, Leonem ſcilicet Romanum Pontificem, Hadriani ſucceſſorem, & Paulinum Aquilejenſem Patriarcham, Riebhodum Trevirenſem, & Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum. *Obſecro*, ait, *ut exemplarium illius libelli*, ideſt Felicis Urgellitani Epiſcopi, *Domino dirigatur Apoſtolico*, ſeu Leoni tertio Rom. Pontifici, *aliud quoque Paulino Patriarchæ, ſimiliter Richbodo, & Theodulpho Epiſcopis doctoribus, & magiſtris, ut ſinguli pro ſe reſpondeant &c.* Felicis libellum, ſicuti Alcuinus exoptaverat, iis miſſum fuiſſe vix dubitamus. An autem contra eum ſcripſerint Ricbhodus, & Theodulphus Epiſcopi non conſtat. At Leonem Pontificem, & Paulinum Aquilejenſem Patriarcham, votis Caroli pleniſſime ſatisfeciſſe, ſuo loco videbimus. Atque hæc de Alcuini geſtis in hac cauſa dixiſſe ſufficiat, quem iterum in certamen cum ipſo Felice, ejuſque hæreſi deſcendere, infra videbimus.

Fustradæ uxoris Caroli obitus.

18. De Caroli Magni geſtis hoc anno narrat Eginhardus, eum Paſcha Francofordii, deinde ſynodum ibidem celebraſſe, de qua ſupra egimus, ibi vero cum eſſet, addit. *Mortua eſt ibi Faſtrada Regina, & Mogontiaci apud S. Albanum*

banum ſepulta eſt. Quam ſexto idus Auguſti obiiſſe ſcribit Annaliſta Nazarianus, a Struvio editus. His peractis. *Rex bipartito exercitu Saxoniam petere ſtatuit, eo videlicet modo, ut ipſe cum dimidia parte copiarum ab Auſtrali parte intraret, Carolus vero ejus filius cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, & in eamdem regionem ab Occidente veniret. Quo facto licet Saxones in campo, qui Sintfeld vocatur, quaſi prælium cum Rege commiſſuri conſediſſent, ibique adventum ejus operirentur, ammiſſa victoriæ ſpe, quam ſibi paulo ante pollicebantur, ad deditionem omnes converſi ſunt, victique ſine prælio, Regis poteſtati ſe ſubdiderunt. Sic omiſſo prælio, & Saxones domum reverſi ſunt, & Rex tranſmiſſo Rheno in Galliam ſe recepit, & cum Aquiſgrani veniſſet, ibidem hybernis habitis Natalem Domini celebravit*. Idemque narrat Moſſiacenſis Annaliſta, ac addit Saxones, non ſolum Carolo ſe dediſſe, ſed etiam *promittentes Chriſtianam fidem, & jurantes, quod ſæpe fecerunt, & tunc Rex credidit eis, & dedit eis Presbyteros*, qui eoſdem Chriſto iterum reconciliarent, & *reſedit apud Aquiſgranam*. JESU CHR. AN. 794.

19. Faſtrada defuncta Luitgardam hoc eodem anno uxorem duxit Carolus Magnus, de qua adnotavit Eginhardus, *Luitgardam Alemannam duxit, de qua nihil liberorum tulit*, eaque anno 800. defuncta, *quatuor habuit concubinas, Mathalgardim ſcilicet, quæ peperit ei filiam nomine Rothildim, Gerſuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeltrudis nata eſt, & Reginam, quæ ei Dragonem, & Hugum genuit, & Adelvindam*, ex qua Theodoricum procreavit, quas, ut honeſtius de Carolo cogitemus, ſucceſſive eas duxiſſe dicendum eſt, ac ſeptem ſaltem uxores, vel concubinas eumdem habuiſſe ſcimus. Faſtradæ Caroli uxoris obitus, & nuptiæ cum Luitgarda.

20. Pari felicitate Guillelmi Ducis opera Seracenicum bellum hoc anno Carolus geſſit: nam cum accepiſſet Seracenos in Septimania, & Aquitania irruptione facta, urbes aliquot occupaſſe, miſſo illuc cum exercitu Villelmo Duce, inſignem de iis victoriam tulit. De qua auctor vitæ Sancti Guillelmi Ducis, poſtea monachi Gallonenſis hæc narrat. *Itaque Villelmus Dux ſalutatus a Carolo, & ipſe pro Domino benignum vale faciens procedit, fortem & electum producit exercitum. Itaque Septimaniam ingreſſus, tranſito quoque Rhodano, ad Urbem concitus Arauſicam agmina diſponit, &* Bellum Seracenicum Villelmi opera Carolus gerit.

JESU CHR. AN. 794. *caſtra: quam illi Hiſpani cum ſuo Theobaldo jam pridem occupaverant, ipſam facile ac brevi, cæſis atque fugatis eripit invaſoribus, licet poſtea & in ea pro ea multos & longos ab hoſtibus labores pertulerit, ſemperque prævaluerit decertando.* Multaque tunc, & inpoſterum fortiter ab eo geſta fuiſſe addii, *ac ita Saracenos perdomuit, & perturbavit tyrannos, perſcrutans eos & conterens & ad interitum perducens, ut deinceps non auderent, nec licentiam haberent ad has partes quas invaſerant redire, nec eis ereptam ultra repetere terram.*

Offa Merciorum Rex S. Albani monaſterium ædificat, & poſſeſſionibus ditat.

21. Offa vero Merciorum Rex, qui anno proximo Ethelbertum Anglorum Orientalium Regem doloſe occiderat, ut ibidem diximus, conſcientiæ ſtimulis exagitatus, ut tantum expiaret ſcelus, Monaſterium S. Albani ædificavit, ac ampliſſimis redditibus, & privilegiis locupletavit, ac dum Romæ hoc anno eſſet, ab Hadriano Pontifice petiit, ut privilegia eidem collata, auctoritate ſua confirmaret, cui, ut ad hunc annum narrat, Veſtmonſtarienſis, & ex Brontonis chronico narrant Anglici ſcriptores. *Humiliter & favorabiliter inclinato capite Romanus Pontifex ſic reſpondet. O Regum chriſtianiſſime filii Offa, devotionem tuam circa Regni tui Protomartyrem non mediocriter commendamus, nec nos quamvis remotos latet veſtra ſtrenuitas, vel ſincera ſanctitas. . . . . Et cum favorabilis ſit perſona tua, favorabilior eſt cauſa, quam proponis in medio, & labor peregrinationis acceptus eſt Altiſſimo. De monaſterio vero conſtruendo, & privilegiando, petitioni tuæ aſſenſum præbemus gratiſſimum, injungentes tibi in tuorum remiſſionem peccatorum, ut proſpere & feliciter rediens, cum Dei, & mea benedictione in terram, & Regnum tuum, conſilio Epiſcoporum, & Optimatum tuorum, quas volueris poſſeſſiones, ſive libertates Beati Anglorum Protomartyris cœnobio conferas, & tuo privilegio inde facto, nos originale tuum, privilegio noſtro inviolabili grataner roborabimus, & confirmabimus conſequenter, & monaſterium illud in ſpecialem Romanæ eccleſiæ filium adoptabimus, & noſtro tantum Apoſtolatui ſubjicientes, ab omni nocivo cujuslibet mortalium impetu ſpecialiter, mediante Epiſcopo ſive Archiepiſcopo protegemus &c.* His addunt etiam ſcriptorum nonnulli, Offam ab Hadriano petiiſſe, ac obtinuiſſe S. Albani ſolemnem canonizationem. At hæc falſa omnino ſunt, nam longe ante, Albani memoria in tota Anglia in maxima venera-

ratione erat, ut ex Bedæ hiſtoria conſtat, nec ante ſeculum decimum, ſolemnes Sanctorum canonizationes in uſu fuerunt, ut adnotat Pagius ad hunc locum. His addit Spelmannus, Regem Offam iu Angliam reverſum, Verolamii ſynodum Epiſcoporum, & Magnatum congregaſſe, ac ampliſſimas terras & poſſeſſiones monaſterio S. Albani conceſſiſſe. *Conſiderans quod ibidem vigeret hoſpitalitas*.

Offæ Regis Romana peregrinatio, & geſta.

22. Ut vero facilius pro admiſſo crimine, divinam ſibi promereretur clementiam, non ſolum monaſterium S. Albani Offa Rex ædificavit, & poſſeſſionibus auxit, ſed Romanam etiam peregrinationem ſuſceperat, ubi cum eſſet, diverſorum loca ſanctorum percurrit, & Hadriano Pontifici cauſam adventus ſui aperiens. *Devote preces porrigens, petitioni ſuæ Romanam de facili curiam inclinavit*. Dumque Romæ eſſet. Offa Rex, *Scholam Anglorum*, ait Veſtmonaſterienſis ad hunc annum, *quæ tunc Romæ floruit, ingreſſus, dedit ibi ad ſuſtentationem gentis Regni ſui illuc venientis, ſingulos argenteos de familiis ſingulis, omnibus impoſterum diebus, ſingulis annis, quibus videlicet ſors tantum contulit extra domos in paſcuis, ut triginta argenteorum prætium non excederet*. His addit Mattheus Paris in Vita Villegodi primi Abbatis Sancti Albani. *Quæ ſchola propter peregrinorum confluxum ibidem ſolatia ſuſcipientium, verſa eſt in Xenodochium, quod Sancti Spiritus dicitur. Ad quod exhibendum, Rex Offa, & regali munificentia, & pietatis affectu, Denarium, qui dicitur Sancti Petri, de maxima parte Regni ſui conceſſit*. Xenodochium igitur S. Spiritus, quod Romæ hodie extat, quove vix alterum illuſtrius Europa habet, ortum ſuum, & incrementa Inæ, & Offæ Anglo Saxonum Regibus debet. Donatione autem peracta, ſequitur auctor chronici Brontonienſis. *Et de peccatis omnibus, præcipue tamen de præliorum multorum commiſſione facta confeſſione, & pro prædicta cœnobii fundatione, accepta pœnitentia, cum benedictione devota ſummi Pontificis, Rex ad propria proſpere remeavit*. Hæc omnia, loco non ſuo, ideſt ad annum 775. Polydorus Virgilius, & hunc ſecutus Baronius narrat.

De denario S. Petri ab Offa Anglo-

23. Cur vero ea oblatio denarium S. Petri diceretur, hanc auctor ſupracitati chronici rationem affert. *Idcirco B. Petri denarius appellatur, quia ſupradictus Rex Offa, die ſan-*

Jesu Chr. an. 795. rum Rege oblato.

ſti Petri, qui dicitur ad vincula, ipſum martyrem ipſo die meruit cælitus, invenire, & ipſum annuum reditum, ipſo die Romanæ eccleſiæ pro redemptione animæ ſuæ contulit ad ſuſtentationem, videlicet, ſcholæ memoratæ propter Anglorum rudium, & illuc peregrinantium eruditionem &c. Hinc paſſim adnotant Anglici hiſtorici eam pecuniæ oblationem pro Romana Anglorum ſchola, & peregrinorum ſuſtentatione ab Offa Rege oblatam, ab Palidoro Virgilio, aliiſque in Angliæ tributum injuria commutatum fuiſſe, quaſi Regnum ſuum Romanæ eccleſiæ vectigale reddiſſet.

Alrici Cantiæ Regis obitus.

24. Antequam Anglia excedamus, cum Pagio adnotandum eſt hoc anno Alricum Regem Cantii obiiſſe, cum regnum per annos 34. tenuiſſet, ut adnotat Malesburienſis de Regibus Angl. lib. 1. cap. 1. in Cantii Regno ſucceſſorem habuit *Ethelbertum*, cognomento, *Pren*. At poſt Alricum vix ullus ex Cantii Regibus fuit, qui Regis nomen cum dignitate ſuſtinuerit, ut idem auctor adnotat.

JESU CHRISTI Annus 795. Leonis 3. Papæ 1.
Constantini Imp. an. 20. et 16.
Caroli M. Italæ Regis an. 22.

Hadriani Papæ obitus, ejusque elogium.

1. Definente hoc Chriſti anno 795. Hadrianus Papa cum Romanam eccleſiam adminiſtraſſet per annos 23. menſes 10., dies 17. ſeptimo Kal. Januarii, in pervigilio Nativitatis Jeſu Chriſti vivere deſiit, cujus memoria non ſolum inter ſanctos recenſetur, ſed etiam ob res præclare pro eccleſia geſtas, ac ob auctam Romanæ eccleſiæ majeſtatem, dilatatumque Imperium, illuſtris perſeverat, cum in ea feliciſſima tempora Pontificatus ejus inciderit, cum extincto Græcorum in Italia Imperio, qui eam oppreſſam jamdiu tenuerant, & everſa Pippini, & Caroli M. armis Longobardorum tyrannide: qui urbem obſeſſam, captivamque non ſemel tenuerant, in priſtinam rediit libertatem Rom. eccleſia, ac Pippini, & Caroli M. liberalitate aucta, & amplificata eſt, ut ex dictis, dum per ſingulos annos geſta ejuſdem expoſuimus ſatis aperte patet. Quæ quidem fuſiori ſtylo ſe nequaquam exponere potuiſſe lamentatur Baronius, eo quod etſi Hadriani epiſtolas 44. in Vaticana bibliotheca adfuiſſe ſciret. *Illis deperditis*, ait, *earumdem fuerint tantummodo argumenta relicta ſummatim elicita*, *quo-*

quorum hauſtu majorem ſibi ſitim lector accendat ad fontem anhelans, non ſine ſpe, ut aliquando, ſi quis eſt earumdem bonæ fidei poſſeſſor, eaſdem in lucem promat, quæ ſuis ſingulæ locis reddantur. Cujus voto nunc pleniſſime ſatisfactum eſt, dum earumdem partem maximam, ex Carolino Codice, in annales noſtros derivavimus.

Carolus M. Hadriani Papæ funus lacrymis, & eleemosynis proſequitur.

2. Tanti autem Pontificis funus Carolus M., qui eum hactenus ut patrem coluerat, ac ut fideliſſimum amicum dilexerat, lacrymis, largiſque eleemoſinis diſtributis, pro ejuſdem animæ requie, per omnes Imperii ſui provincias proſecutus eſt. *Nunciato etiam ſibi Hadriani Pontificis obitu*, ait Eginhardus in ejus vita, *quem amicum præcipuum habebat, ſic flevit, ac ſi fratrem, aut cariſſimum filium amiſiſſet*. Auctor vero annalium Francorum coevus, qui ſub Carolo floruit, a Lambecio lib. 2. cap. 5. bibliothecæ Cæſareæ editus, hæc addit. *Die octava Kal. Januarii ſanctæ memoriæ Domnus Hadrianus ſummus Pontifex Romanus obiit, pro quo Dominus Rex, poſtquam a planctu ceſſavit, orationes per univerſum chriſtianum populum infra terminos fieri rogavit, & eleemoſinas ſuas pro eo multipliciter tranſmiſit, & Epitaphium aureis litteris in marmore conſcriptum juſſit in Francia fieri, ut illud partibus Romæ tranſmitteret ad ſepulturam ſummi Pontificis Hadriani ornandam.*

Hadriani Papæ Epitaphium a Carolo M. ſcriptum.

3. Caroli M. Epitaphium Hadriani ſepulchro inſcriptum Romæ adhuc extat præ foribus baſilicæ Vaticanæ, his verſibus conceptum.

Hic pater Eccleſiæ, Romæ decus inclitus auctor
Hadrianus, requiem Papa beatus habet:
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed ſacris longe nobilior meritis.
Exornare ſtudens devoto pectore Paſtor
Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,

Urbs

Urbs caput orbis honor inclyta Roma tuas.
Mors, cui nihil nocuit, Chriſti quæ morte perempta eſt,
Janua ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt Patrem lacrymas Carolus hæc carmina ſcripſi.
Tu mihi dulcis amor, te modo plango Pater.
Tu memor eſto mei: ſequitur te mens mea ſemper
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime præſul eras.
Nomina jungo ſimul titulis, clariſſime noſtra
Hadrianus, Carolus Rex ego, tuque Pater.
Quiſque legas verſus, devoto pectore ſupplex,
Amborum, mitis, dic, miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies, cariſſime membra,
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurgite videre Deum.
Auditurus eris vocem, ſcio, Judicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor eſto tui nati, Pater optime, poſco,
Cum patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete regna Pater felix cæleſtia Chriſti,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua, ſancte Pater, ſemper in orbe manet.

Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa annos XXIII. M. X. D. XVII. Obiit VII. Kal. Jan.. Sic Rex chriſtianiſſimus, quem viventem maxime coluerat, poſt obitum etiam eodem honore proſequens, quibus potuit, cumulavit officiis,

Eleemosynæ a Carolo M. pro Hadriani anima erogatæ.

4. Nec Epitaphii tantum honore dulciſſimi patris, amicique cariſſimi Hadriani memoriam proſequtus eſt Carolus, ſed pro ejuſdem animæ ſalute, longe lateque eleemoſinas largitus eſt, ut ſupra ex Lambeciano auctore adnotavimus, quantum vero in his largus fuerit Carolus, teſtis eſt ejuſdem epiſtola ad Offam Merciorum in Anglia Regem, qua inter cetera narrat, ſe pro eccleſiis Regni ejus, & Ethelredi munera miſiſſe in eleemoſinam pro requiæ animæ Hadriani Papæ, cujus hæc ſunt verba. *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum,*

norum, viro venerando & fratri cariſſimo Offæ Merciorum Regi ſalutem. Primo gratias omnipotenti Deo agimus de catholicæ fidei ſinceritate, quam in veſtris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero, qui pro amore Dei & ſalute animarum ſuarum, beatorum Apoſtolorum limina deſiderant adire, cum pace ſine omni perturbatione vadant. Sed ſi aliqui non religioni ſervientes, ſed lucrum ſectantes inter eos inveniantur, locis opportunis ſtatuta ſolvant telonea. Negotiatores quoque volumus, ut ex mandato noſtro patrocinium habeant in regno noſtro legitime. Et ſi in aliquo loco injuſta affligantur oppreſſione, reclament ſe ad nos vel noſtros judices, & plenam jubebimus juſtitiam fieri. Cognoſcat quoque dilectio veſtra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis noſtris, vel palliis ad ſingulas ſedes Epiſcopales regni veſtri, vel Ethelfredi, direximus eleemoſynam Domini Apoſtolici Hadriani deprecantes, ut pro eo intercedi jubeatis: nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie eſſe, ſed ut fidem & dilectionem oſtendamus in amicum noſtrum cariſſimum. Sed & de theſauro humanarum rerum, quem dominus Jeſus nobis gratuita pietate conceſſit, aliquid per metropolitanas civitates direximus. Veſtræ quoque dilectioni unum balteum, & unum gladium Hunniſcum, & duo pallia ſerica direximus deſtinanda. Vale. Quare cum in Angliam uſque hac de cauſa eleemoſinas diſtribuerit, largiorem eum fuiſſe per Imperii ſui provincias, veroſimile, ac certum eſt. Jesu Chr. an. 795.

5. Vix autem legatos cum litteris ſuis, & muneribus ad Offam Regem miſerat Carolus Magnus, cum triſte nuncium de morte Ethelredi Regis a ſuiſmet ſubditis occiſi, accepit, quare in eos exaſperatus, ac beneficiis ſuis & benevolentia indignos, munera eccleſiis Regni Ethelredi revocavit, ut in epiſtola ad eumdem Offam Merciorum Regem, anno proximo, quo Ethelredus obiit, narrat Alcuinus his verbis. *Sciat veneranda dilectio veſtra, quod Dominus Rex Carolus amabiliter & fideliter ſæpe locutus eſt mecum de vobis, & in eo habetis fideliſſimum amicum. Ideo & veſtræ dilectioni digna dirigit munera, & per Epiſcopales Sedes regni veſtri. Similiter Ethelredo Regi, & ad ſuas Epiſcoporum Sedes dona direxit. Sed heu! proh dolor! donis datis, & Epiſtolis in manu miſſorum, ſupervenit triſtis legatio per miſſos, qui de Scotia per* Alcuini epistol. 42. ad Offam Regem.

JESU CHR. AN. 795. *per vos reverſi ſunt, de infidelitate gentis, & nece Regis. Ita Carolus, retracta donorum largitate, in tantum iratus eſt contra gentem illam, ut ait, perfidam & perverſam, & homicidam Dominorum ſuorum, pejorem eam paganis exiſtimans: & niſi ego interceſſor eſſem pro ea, quidquid eis boni abſtrahere potuiſſet, & mali machinari, jam feciſſet.* Hactenus Alcuini ad Offam epiſtola, cujus altera extat ad eumdem data, qua diſcipulum ſuum quemdam ad eum mittit, ut in ejus Regno litteras doceret, eumque ei commendat, & quod in ejus Regno florerent litterarum ſtudia, gratulatur.

Caroli M. epiſt. ad Offam de victis Longobardis, & Saxonibus ad fidem converſis.

6. Maximam autem inter Carolum Magnum, & Offam Merciorum Regem familiaritatem interceſſiſſe, duæ aliæ Caroli Magni epiſtolæ ad eum datæ incerti temporis, probant, quarum prima de Longobardis, & Saxonibus victis certiorem reddidit, quos etiam ad fidem Chriſti perduxiſſe narrat his verbis. *Cum deceat Reges potentes & famoſos amicitiæ fœdere convinciri, & mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut in vinculo caritatis Chriſtus in omnibus & ab omnibus glorificetur: veſtræ ſerenitati hoc eulogium duximus deſtinandum. Cum nobiliſſimam Longobardorum civitatem, cum ſuis civibus omnibus noſtro Dominatui ſubjugaverimus, & Italiam totam noſtro Imperio feliciter ſubjugaverimus, Chriſti adjutorio (cui famulari deſideramus) Rex Deſiderius Longobardorum, duceſque Saxoniæ, quos noſtris nutibus inclinavimus, Vithimundus, & Albion, cum fere omnibus incolis Saxoniæ, baptiſmi ſuſceperunt ſacramentum, Domino Jeſu Chriſto de cætero famulaturi. Hoc igitur ſalubri mandato, ego Carolus regum Chriſtianorum orientalium potentiſſimus, vos o Offane regum occidentalium Chriſtianorum potentiſſime, cupio lætificare, & te in dilectione ſpeciali amplecti ſincerius.*

Caroli epiſt. ad Offam de presbytero quadrageſimæ violatore.

7. Epiſtola altera Presbyterum ad eum mittit, ut ibidem de crimine apud ſuos judicaretur, cujus plenæ probationes non extabant. Rem geſtam his verbis narrat. *Presbyter iſte & Scotus apud nos moratus eſt aliquanto tempore in parochia Hildebaldi Colonienſis Epiſcopi, ſed reprehenſibilis factus, ut fertur, a quodam accuſatore, quod carnem diebus quadrageſimalibus comediſſet: Noſtri vero ſacerdotes judicare renuerunt, quia plenum teſtimonium accuſantium ſuper eum non invenerunt. Tamen nec eum loco conſueto habitationis ſuæ propter infamiam diutius morari permiſerunt: ne ſacerdotalis*

bonor

honor apud imperitum vulgum viléſceret, vel rumigerula loquela aliqui hortarentur violare ſanctum jejunium. Viſum eſt noſtris ſacerdotibus, illum ad ſui Epiſcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere judicium. Idcirco veſtram deprecamur providentiam, ut jubeatis illum, ſecundum opportunitatem temporis & profectionis, in ſuam tranſponere patriam ut ibi judicetur, unde exivit &c. Atque ex his patet, quam rigida eſſet ea ætate quadrageſimalis jejunii diſciplina, ita ut presbyterum ſuſpectum tantum, & ne dum convictum, nequaqnam abſolutum abire permiſerunt Gallicani Epiſcopi, ſed ad proprium Epiſcopum remiſerunt, tanto etiam ejuſdem obſervantiæ æſtuabat zelo Carolus Magnus, ut Saxonibus etiam nuper ad fidem Chriſti converſis, ſub pœna capitis, carnium uſum in Quadrageſima prohibuerit.

Caroli M. munificentia per totum orbem.

8. In eleemoſinis autem toto Chriſtiano orbe, erogandis largiorem fuiſſe Carolum narrat Eginhardus. *Circa pauperes ſuſtentandos, & gratuitam libertatem (quam Græci eleemoſynam vocant) devotiſſimus, ut qui non in patria ſua ſolum, & in ſuo Regno facere curaverit, verum trans maria in Syriam, & Ægyptum, atque Africam, Hieroſolymam, Alexandriam, atque Carthaginem, ubi Chriſtianos in paupertate vivere compererat, paupertatem eorum compatiens, pecuniam mittere ſolebat. Ob hoc maxime tranſmarinorum Regnum amicitiam expetens, ut Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus, refrigerium, aliquod, ac relevatio proveniret.* Hæc Eginhardus, qui addit, eum Romanam præcipue eccleſiam, & urbem benevolentia ſua, & munificentia coluiſſe. *Colebat Carolus*, ait, *præ ceteris ſacris, & venerabilibus locis apud Romam, eccleſiam B. Petri Apoſtoli, in cujus donaria, magna vis pecuniæ tam auri, quam argenti, nec non & gemmarum ab illo congeſta eſt, multa & innumera Pontificibus munera miſſa, nec illo toto Regni tempore quidquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma ſua opera, ſuoque labore vetere polleret auctoritate, & eccleſia S. Petri, non ſolum per illum tuta, & defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus eccleſiis eſſet ornata, ac ditata.*

Effusa Hadriani Papæ in eccleſiis reficiendis, ornandisque liberalitas.

9. Antequam ad Leonem tertium Hadriani ſucceſſorem oratio transferatur, adnotare juvabit, tot tantoſque, tum in urbe ipſa exornanda, muriſque reficiendis, cum in eccleſiis urbis reſtaurandis, exornandiſque ſumptus Hadrianum erogaſſe,

Jesu Chr. an. 795. gaſſe, ut vix credibile eſſet, niſi omni exceptione major adeſſet Anaſtaſius, qui res ſua fere ætate geſtas, vel ex auctoribus coevis acceptas enarraret. Hæc autem tot, ac tanta ſunt, ut ea exſcribere pigeat. De iis, quæ ad cultum, & ornatum eccleſiæ Beati Petri contulit, inter cetera adnotat.

Hadriani res geſtæ in cultu eccleſiæ Sancti Petri.

10. *Erat ſæpe fatus beatiſſimus Pontifex amator eccleſiarum Dei, magnam indeſinenter gerens curam pro ornatu & reſtauratione procuranda omnium earumdem Eccleſiarum. Hic enim coangelicus vir fecit in Eccleſia beati Petri Apoſtoli veſtem miræ pulchritudinis ex auro & gemmis, habentem præfiguratam hiſtoriam, qualiter B. Petrus a vinculis per Angelum ereptus eſt. Item in eadem baſilica ab introitu rugas uſque ad confeſſionis pavimentum veſtivit de argento puriſſimo, quod penſat libras centum quinquaginta. Fecit etiam in eadem ipſa baſilica beati Petri juxta januas majores argenteas, cortinas miræ magnitudinis de palliis ſtauracinis, ſeu quadraplis: nam & per univerſos arcus ejuſdem Apoſtolorum Principis baſilicæ de paliis Tyriis atque fundatis fecit vela numero ſexaginta quinque*. Si in obſcuris vocibus ſæpe hœres lector, gloſſarios mædii ævi conſule, ubi quid ſit ruga, ſtauracium, aliudque ſimile facile invenies; mecum, ut video, Lector ait Baronius incertus hæres, dum obſcurarum vocum interpretationem exoptas, quid ſcilicet rugæ, quid ſtauracium, quadraplum quid, atque fundatum ſibi velint, quæ cum aliis hujuſmodi vocibus apud Auaſtaſium reperiuntur, qui ut vulgo tunc notiſſima, eadem abſque interpretatione reliquit: Ut niſi aliquem ejuſdem temporis gloſſarium reſurgere contingat, deſperata res ſit, ut ſingularum vocum peregrinarum in Latinam linguam tunc acceptarum interpretationem aſſequi valeat. At quæ Baronii ætate deſperata videbantur, cuilibet expoſita proſtant apud Vignolium in notis ad Anaſtaſium, his vero alia plurima, in eadem Apoſtolorum Principis baſilica ab Hadriano Papa reſtaurata adnotat Anaſtaſius, quæ apud Baronium a num. 14. ad 21. videri poſſunt, ſicuti & alia plurima, quæ idem Hadrianus Pontifex in ceteris urbis eccleſiis, ad earumdem ornatum contulit, ab eodem Baronio a numero 21. ad quadrageſimum relata, atque hoc unum ex eodem Anaſtaſio adnotare ſat erit. *Hic beatiſſimus* Pontifex omnia utiliter, tam in eleemoſinis paupe-

perum. *Quam in ornamentis eccleſiarum perficiens, curſum conſumans, atque fidem Orthodoxam ſolertiſſime ſervans, Dei vocatione vitam finiens, ad æternam requiem migravit. Qui fecit ordinationes duas per menſem Martii, creans Presbyteros* 24. *Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diverſa loca numero* 185. *& ſepultus eſt in baſilica B. Petri Apoſtoli, ſeptimo Kal. Januarii*, eadem die, qua obiit, indict. 4. *Fuit autem temporibus Caroli Magni. Regis*.

Hadrianus Papa Codicem canonum Carolo M. offert.

11. Plurima quidem Hadriano Papæ, ac Romanæ eccleſiæ ab Carolo M. donata fuiſſe non ſemel adnotavimus. His ut vicem redderet Hadrianus, Carolo dum Romæ eſſet collectionem canonum eccleſiæ, ſeu canonum Codicem, quo Romana utebatur eccleſia, ideſt Dionyſii exigui canonum collectionem dedit, cum vero ter vivente Hadriano Papa in urbe fuerit Carolus, anno ſcilicet 774. 781. & 787. quo anno tantum munus obtulerit, adhuc latet. Ejuſdem tamen collectionis nonniſi epitomem ſupereſt, in eaque continentur Canones Apoſtolici 45. Ancyrani 24. Neocæſarienſes 15. Gangrenſes 20. Antiocheni 25. Laodiceni 58. Sardicenſes 21. Carthaginenſes 33. Africani ex pluribus Africæ conciliis in unum collecti 105. His canonibus, decretales Romanorum Pontificum epiſtolas additas fuiſſe ab Siricio ad Gregorium ſecundum veroſimile eſt, ut integrum Romanæ eccleſiæ Codicem haberet, quo ad inſtaurandam in Galliis eccleſiaſticam diſciplinam uteretur, Collectioni vero canonum epiſtolam acroſtichis verſibus digeſtam præfixerat Hadrianus, quæ integra adhuc in conciliorum collectione Labbeana legitur, tom. 6. pag. 1820. Hiſque prænotatis de geſtis ſcriptiſque Hadriani Papæ finem facimus, ac ad ſucceſſorem Leonem tertium ſtilum convertimus.

Leo tertius Pontifex ordinatur.

12. Miro autem, inuſitatoque exemplo, die Eadem, qua Hadrianus obiit, vel ſequenti, Leo hujus nominis tertius, electus, & die ſequenti Romanus Pontifex conſecratus eſt. De quo hæc idem narrat Anaſtaſius. *Leo tertius natus eſt Romæ ex patre Azupio, ſedit annos* 20., *menſes quinque, dies* 17. *qui a parva ætate in veſtiario Patriarchii enutritus, & educatus &c.*. Cum in ſacris litteris, omnique virtutum genere cultiſſimus eſſet, atque ab omnibus diligeretur, ut ibidem proſequitur Anaſtaſius. *Divina inſpiratione, una concordia, eadem voluntate a cunctis Sacerdotibus*,

Jesu Chr. an. 795.

bus, ſeu Proceribus, & omni clero, nec non ab Optimatibus, & cuncto populo Romano, Dei nutu, in natali die protomartyris Stephani electus eſt, & ſequenti die in natali S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ ad laudem & gloriam omnipotentis Dei in ſede Apoſtolica ordinatus eſt, &c. quem certe Romana ſede digniſſimum fuiſſe probat ipſa electio omnium conſenſu quam celerime facta, quem etiam Pontificatus ſui tempore, pro Dei Eccleſia, & maximam geſiſſe ſollicitudinem, & multa, eaque infanda & atrociſſima pertuliſſe, ex dicendis infra conſtabit.

Constantini Imp. incestæ nuptiæ cum Theodote.

13. Conſtantinum Imp. juſſu matris Irenes inita cum Rotrude Caroli M. filia ſponſalia fregiſſe, ac Mariam invitum pene duxiſſe, ſupra adnotavimus. Quare *Uxoris Mariæ conſortii pertæſus Conſtantinus, matris conſilio, quæ ut imperandi poteſtatem ad ſe traduceret: cunctorum odiis filium exponere ſatagebat, Monialem eam fieri compulit*, ait Theophanes, *ac propoſitum hujuſmodi perſuaſam in monaſterio capillis tonſis abdicavit, menſe Januario indictione tertia*, ac Maria dimiſſa *Menſe Auguſto, Theodotem cubiculariam, Imperator coronavit Auguſtam, & illegitimo eam ſibi copulavit conjugio*, & paulo poſt. *Menſe Septembri indictione quarta Imperator conjuncta ſibi Theodote in ſancti Mamantis Palatio nuptias celebravit*, ait Theophanes.

Plato Abbas a Tarasii communione abstinet.

14. Inceſtis nuptiis celebratis non, ſolum Imperialem fœdavit thalamum Conſtantinus, ſed ut inter catholicos, magnoſque viros diſſidia excitarentur, effecit, dum alii nefarium ſcelus aut turpi adulatione probarunt, aut præ timore diſſimularunt, alii e contra, quibus eccleſiaſtica diſciplina cordi erat, illud ipſum magnopere deteſtarunt, qua de cauſa graviſſimas ab ipſo Imperatore perſecutiones ſuſtinuerunt. Ut his verbis idem narrat Theophanes. *Eodem etiam anno Plato Saccundionis præpoſitus a Taraſii Patriarcha communione ſe ſegregavit, quod ille communionis ſuæ participem redderet Imperatorem, & Cathechiſtæ Imperatricis tondendæ poteſtatem feciſſet, & Abbati Joſeph Catharorum Præpoſito, ut eum cum Theodote ad nuptiales coronas admitteret, parem dediſſet veniam, Imperator accepto nuncio Bardanium Patricium & Scholarum domeſticum, & Joannem Officii comitem miſit, qui Platonem in Urbem inductum: in ergaſtulo ad Michaelis cæleſtis militiæ Principis in Palatio erectam ædem*

Digitized by Google

ædem incluſit. Reliquos autem Monachos una cum Platonis nepotibus cæſos Theſſalonicam relegavit, quos Irene ideo defendendos ſuſcepit, quod filio adverſarentur, & eum probris inceſſerent. De Platonis quidem certaminibus, cum nunciis ab Imperarore miſſis, aut etiam cum oblatus Imperatori, eidem in faciem reſtitit, & Joannis Baptiſtæ zelum æmulatus dixit, non licere ei vivente propria uxore, aliam ſuperinducere, multa refert Theodorus Studita, in ejus vita, ſicuti etiam, quæ & quanta in carcere pertulerit. Jesu Chr. an. 795.

15. Cur vero Tharaſius communionem ea de cauſa refugeret, nunc exponendum eſt, cum præcipue ſciamus, eum totis viribus Imperatoris conſilio, inceſtiſque nuptiis, præſentem æque ac abſentem reſtitiſſe, ut in ejus vita Ignatius per plura narrat, nam eum primo per legatos ſuos conſuluit, num uxorem ſuam dimittere poſſet, quam falſi criminis, ideſt veneficii parati accuſaverat, cumque id nequaaquam licere dixiſſet Taraſius, ab Imperatore vocatus, nulla ratione a propoſito ſuo ſe moveri paſſus eſt, quin libera voce dixit. *Propterea legitima veſtra conjugalis, & Imperatoriæ unionis non audemus diſſolvere, Dei Legislatoris timentes ſententiam. Neque verbis, quæ ſpectant ad accuſandam tuam conjugem, credere ſuſtinemus, etiam ſi mille mortibus atque tormentis ſubjecti fuerimus, ut qui ſciamus, diuturna inflamatione teneri tuam affectionem in mulierculam illam fornicatricem. Quin etiam hoc quoque notum facimus coram Deo in primis honorandæ tuæ purpuræ, quod intra cancellos incruentæ menſæ, in qua ſacrificium magnæ hoſtiæ Chriſti venerabiliter peragitur, non ſinemus amplius nobiſcum ingredi veſtram potentiam: ne nos quoque audiamus, quod in execrationibus jam olim dicitur ad ſacerdotes: Calcare atrium meum non adiicietis. Hæc Taraſius, qui primi paſtoris Chriſti oves regebat ſpiritualiter, cum coram Imperatore pronuntiaſſet, in cordis contritione, orationem concluſit ſilentio.* Hæc, aliaque de Taraſii geſtis coram Imperatore, qua de cauſa moleſtias plurimas ab Imperatore ſuſtinuiſſe eum, ibidem Ignatius narrat, eademque fere Michael monachus in vita Theodori Studitæ, qui dum Theodori zelum commendat, qui Platonis Abatis libertatem emulatus, Imperatorem palam, publiceque tamquam excomunicatum cum ſuis monachis refugiebat, Taraſii mitiorem agendi rationem laudare non dubitavit, qui Taraſius Imperatori reſiſtit.

etſi

JESU CHR. AN. 795. etſi Imperatoris ſcelus execraretur, eum nihilominus, nec publice excommunicatum denunciavit, aut ab eccleſiæ ingreſſu prohibuit, quod ſane Plato Abbas pati non poterat, ob eamque cauſam ſe a Taraſii communione, ut diximus, ſejunxerat.

Taraſii conſilium commendatur.

16. Taraſium itaque Patriarcham his verbis excuſat Michael in vita Theodori Studitæ. *Neque enim vel Patriarcha ipſe, quantùm in eo erat, aut factam id approbabat, aut non abſurdum illud & alienum ab Eccleſia judicabat, aut Patrum ærumnis non compatiebatur. Sed ſapiens quoddam conſilium, & alta mente, qualis ejus fuit, dignum agitans: non habuit tum ulciſcendi auctores facultatem, temporis injuria, quæ vellet agere, non permittente. Quamobrem Regina ipſa utriuſque prudentiam amplectens, & magnopere collaudans, ſummam utriuſque virtutem, & in utili dijudicando intelligentiam, boni conſulebat: Quod Patriarcha quidem de ſummo jure nonnihil remittens, veſanum Imperatorem a graviori malo revocaſſet, minantem jam ſe, majorum exemplo ſacrarum imaginum hoſtem fore, niſi quod animo conceperat, peragere ſineretur: Pater autem*, Theodorus videlicet, *flagitium propalam arguendo, & acri reprehenſione atque objurgatione longius progredi prohibendo, tam eos, qui peccarant, tum eos qui ſimile aliquid meditabantur, omnes affectibus ſuis non intemperanter uti edocuiſſet. Prorſus antem & relaxare interdum aliquid in judicio, bonum eſt, & exactum jus non præterire utiliſſimum, unum in finem utramque ſpectans, ut quod melius eſt, id pro re nata præſtetur. Quod nimirum divini ambo ratiocinantes, altiore quam captus noſter fuerat, conſilio præſentia adminiſtrabant, ita ut caritatis vinculum nulla ratione ſolverent, quo conjuncti ſemper fuerant, & divino inter ſe Spiritu colligati. Quod nos recte nobis debemus, & opportune de his, quæ opportune geſta ſunt, judicare, & propoſitum utrique finem laudemus, & amplectamur, & eos, qui aliter ſentiunt, vel affecti ſunt, de ſententia dimoveamus.* Hæc de his Michael in Theodoro Studita, de Theodori autem libertate in arguenda Imperatoris libidine, & de Taraſii geſtis hæc etiam adnotat.

Joſeph Presbyter nefarias be-

17. *Quæ cernens Patriarcha Taraſius, nec manus illis imponere voluit, nec ulla prorſus ratione factam approbavit qui cuique nefarium eſſe hanc conjunctionem, & ſacris legibus*

bus vetitam ſciebat. At repertus eſt Presbyter quidam, Joſeph nomine, gradu vero œconomus Eccleſiæ, qui plus illo ſapiens, divinaque omnia contemnens, illicitarum nuptiarum (quod minime debuit) lenonem ſe præſtitit, initiatoremque & conciliatorem conjugii, obſequentem ſe per omnia Imperatori præbens, vir fide ſervus æque ac voluntate. Quamquam ille haud multo poſt temeritatis ſuæ pœnam ſenſit, ſacris templi ſeptis, ob ea quæ confidentius egerat, exturbatus. Fuit autem ea res peſſimi exempli, viamque multis ad gravia quæque aperuit, non ſolum in regia, aliiſque civitatibus, verum etiam in remotis regionibus, ſic Boſpori, ſic Gothiæ, ſic reliqui provinciarum Duces, quique aliqua cum poteſtate præerant civitatibus, impune flagitia committebant, uxoribus partim ejectis, partim novis inductis, impuraſque animi libidines ejus, qui viam oſtenderat, exemplo & patrocinio defendebant. Quibus cognitis, magnus Theodorus incredibili dolore tactus angebatur animo, graviter ingemiſcens, & talium hominum ſortem miſerans, qui tanto ſcelere tam multi ſe obſtrinxiſſent. Id reformidans vehementer, ne ad omnes tandem permaneret malum, & in legem abiret flagitium, auctoris ſui viribus & potentia ſubnixum. Quare omnes animo cogitationes verſans, omneſque coercendi mali rationes circumſpiciens, rem ſuſcepit digniſſimam ſuæ virtutis. Imperatorem, qui peccarat, in omnium oculis excommunicat, in ipſum, ejuſque factum iuvebitur, ipſumque omnibus monachis lapſum denuntiat. Quod autem audis, Theodorum Archimandritam excommunicaſſe Imperatorem, non ſic accipias, ut quæ ſunt Epiſcoporum ſibi uſurparet jura, ſed ob flagitium, eum a Deo ſeparatum pronunciavit, indignumque, ut cum eo quis ſuorum quiſquam communicaret, denuntians ſcilicet ſuis monachis, Imperatorem ob ſcelus a Deo ſejunctum & ab Eccleſiaſtica communicatione ob facinus ſeparatum, ne quis cum eo ut publice peccante aliquo ſymbolo communionis Eccleſiaſticæ jungeretur.

Jesu Chr. an. 795. nedicit nuptias.

18. Qua autem de cauſa cum Taraſio diſſideret Plato Abbas his verbis exponit Baronius, ac amborum conſilium laudat, etſi agendi diverſa utriuſque ratio eſſet. *Non ſic eum averſatus eſt Plato, quod ipſe probaverit ſcelus Imperatoris: id quidem nequaquam accidit unquam, neque quod coronavit Theodotem pellicem, nam & ab hoc longe*

Quid diſſidii intercesserit inter Taraſium, & Platonem in diverſa agendi ratione.

Jesu Chr. an. 795. *ge longius remotus fuit. Probatur ipſe quidem de abjecta conjuge acerrime redarguiſſe Imperatorem, & deteſtatum eſſe novum contra leges ſacras initum conjugium, neque coronare ullo modo voluiſſe novam pellicem, ab ipſo Imperatore nominatam Auguſtam. Verum eo quod redargutum Imperatorem nequaquam ab Eccleſia ſeparaſſet, ſed cum illo communicaret, neque eum, qui adulteram coronaſſet, ab Eccleſia abjeciſſet: Idcirco ipſe Plato, ab ejus ſe communione abſtinuit. Cum vero poſt obitum Imperatoris in ſuum monaſterium Plato reſtitutus fuiſſet (ut teſtatur idem qui ſupra Theodorus Studita) idem Taraſius ſe apud Platonem purgans, cum eo eſt communione conjunctus. Gravis anguſtia premebat animum Patriarchæ, cum vereretur ne nimis exaſperando animum Imperatoris, & ab Eccleſia removendo, eum faceret Fidei Catholicæ deſertorem: adhuc recentia Eccleſiæ vulnera: & vix obducta erant per Concilium ejus opera celebratum Nicææ adverſus Iconoclaſtas; adhuc vigebant hoſtes Eccleſiæ: erat ipſe adoleſcens animo mobilis & inſtabilis, & hæreticorum parentum mala propago, perfaciliſque ut levi flatu in hæreſim preceps impelleretur, hæc inquam, & alia hujuſmodi alto mentis conſilio verſans Taraſius, ſic erroris redarguere voluit Imperatorem, ut tamen eum, licet pœna illa dignum, noluerit ab Eccleſia ſeparare.*

Theodorum cum monachis Imperator tentat.

19. Sed ad Theodori Studitæ, ſociorumque ejus certamina redeundum eſt. Cum etenim Theodorus ejuſdemque monaſterii monachi Imperatorem, ob inceſtas nuptias anathemate dignum eſſe palam, publiceque prædicarent, ut tantam a ſe infamiam averteret, eum primo muneribus, ac blanditiis ſibi demereri curavit, ea etiam ſpe illectus, quod Theodotem, quam duxerat cum eo ſanguinis cognatione conjuncta eſſet. Poſtquam vero his nil profuiſſe animadvertit. Proficiſcitur ipſemet Imperator ad ea loca, in quibus ſanctus habitabat, ait auctor vitæ ejus, ſpecie quidem repentini alicujus, urgentiſque illic negotii. *Revera autem, ut in patris congreſſum veniret, eumque ſibi adjungeret, quorum alios quoque habiturus erat cum ipſo jam animo factiſque conjunctos. Verum ibi nec pater ipſe, nec alius quiſpiam ex ſociis repertus eſt, qui ad Imperatorem propius accederet, vel cum eo colloqueretur, vel uſitatam ſalutationem impertiret: tunc ille ira incenſus ardentiore celeriter rediit*

Jesu Chr. an. 795.

dilt ad palatium, accitoque uno ex domeſticis, qui ſcholarum ordines regebat, flagellis cœdi ſanctum jubet, & ſimul e monachis eos, quos conſtantiores norat, firmioreſque in ſententia perſiſtere. Ille autem qui gratificari & placere cuperet imperanti, nulla ſanctorum, nec reverentia nec miſericordia motus, atrociter eos flagellavit, ut carnes paſſim diſſecarentur, & ſanguinis rivi diſſluerent. Sic porro vexatos, verberibuſque conciſos Theſſalonicam extemplo relegat, & addicit prout fuerat imperatum. Undecim numero erant cum patre vincti, qui cum eo certaminis ſocietatem coeuntes, dura omnia ſereno & alacri animo perferebant &c..

Theodorus voce & ſcriptis alios ad ſui imitationem excitat.

20. Horum in perſerrendis verberibus, & carceribus conſtantiam, & dicendi libertatem, aliarum regionum Sacerdotes, & monachi, qui hactenus ſilentium ſervaverant, æmulati ſunt. *Illiuſque exemplum ſequentes, Imperatorem excommunicatum pronunciant, & a ſorte ſua alienum, nullis illius, vel minis cedentes, vel muneribus animum emollientes*, quos etiam Theodorus viva voce, & exemplo, ad quæque pro juſtitia perſerrenda, etſi in exilio eſſet, litteris ſuis excitavit. *Tum alios plures ad ſceleris ultionem exſuſcitans, tum exules litteris ſuis confirmans, ne laboribus ſuccumberent, ſed viriles potius animos demonſtrarent. Miſit etiam ad Romanæ urbis Antiſtitem epiſtolas, & tabellarios, ei indicans quæ geſta fuerant, & quæ ab Imperatoribus pertulerat, cum illorum refrenare vellet intemperantiam. A quo reſponſa viciſſim accepit, quibus ipſius prudentiam, & conſtantiam, atque invictum animum divinis laudibus efferrebat.*

Theodori epiſt. ad Stephanum.

21. Hæ quidem epiſtolæ Theodori ad Hadrianum Papam, & Hadriani ad Theodorum perierunt. At aliæ ejuſdem argumenti a Theodoro ſcriptæ ſuperſunt, quarum unam Stephano a ſecretis Imperatori, alteram Nicephoro conſobrino ſuo, & Præſecto dedit. Cum Stephano quippe concertationem viva voce antequam in carcere conjiceretur, habuerat, qua eam aulicorum Imperatori adulantium quærelam confutaverat, qua dicebant, ob lœſam tantum catholicam fidem licere abrumbere communionem, cum re infecta ab invicem diſceſſent, ut eum, alioſque adverſus ſeipſum injuria commoveri, aut iraſci demonſtraret, hanc die ſequenti epiſtolam ſcripſit, qua ajebat. *Heſterno die cum glorioſa præſentia tua*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 795. *frueremur, poſt alia quædam colloquia, quorum cauſa huc veneras, devenimus tandem ad ſcripturæ quæſtiones, & in ambigua hærentes diſputatione, re infecta digreſſi ſumus.* De propoſita vero quæſtione, hæc paulo poſt ſubdit. *Tu Domine mi, ut compendio dicam, interrogationes multas, reſponſioneſque præcidens, hæc dixiſti. Non debere Antiſtitem, qui gregi præſit, extra fidei cauſam, ſi quid in aliis Domini mandatis, vel imprudens, vel ſponte ſua faciet, quod vetitum ſit ab ullo amoveri. Nobis contra affirmantibus omnino debere, ſed ab iis, qui inter alios ſapientia, & prudentia emineant.* Quod ſane exemplis multis confirmat, ex veteris, novique teſtamenti auctoritate petitis, cum præcipue Herodem Joannes Baptiſta arguerit, eo quod fratris uxorem apud ſe retineret, in quorum confirmationem loca quædam ex Baſilio Magno profert, quæ ibidem videri poſſunt.

Theodori epist. ad Nicephorum Præfectum. 22. Altera autem ad conſobrinum ſuum, & Præfectum Nicephorum epiſtola, Imperatori illicitum fuiſſe uxorem dimittere, ut alteram duceret, ait ſe tamen eam ob cauſam, nec ab eccleſiæ catholicæ communione receſiſſe, aut benevolentiam, venerationemque debitam Imperatori abnegaſſe, addit & ſi factum ejus probare non poſſet. Unde poſt plurima: *Hæc ego*, ait, *tibi ut patri, & amico patefacere non dubitavi*, quandoquidem nos, (ut teſtis eſt cordium inſpector Deus) *neque prædicamus, non enim præeminentes ſumus, neque odia profitemur. Sed & Imperatorem ipſum, Regemque piiſſimum in pectore gerimus, charitate & ſanguine mihi conjunctos omnes, cum neceſſariorum ſtudioſus ſim, ut ipſi noſtis, & mentionem ejus fecimus etiam in divina liturgia, & pro illo precamur privatim ac publice: Et eccleſiæ communionem participes ſumus. Abſit ut ab ea umquam ſeparemur. Ignoſcite mihi ſoli peccatori. Delegi mihi hunc angulum, ut defleam peccata mea, & ne miſcear cum mundo. Quodnam hoc crimen eſt? Concede hoc mihi, dilectiſſime conſobrine, potes enim, ſat ſcio, ut quietus hic agam ab omnibus quoad licet ſegregatus. Ut acri ſolertia tua obliqua dirige, & aſpera complana, paciſque noſtræ conciliator eſto, & quietis adjutor; ut ſi quid hinc nobis commodi extet, juxte, atque ex ratione diſpenſetur.* Hæc Theodorus, cujus verbis etiam intelligis, quo ſenſu dicatur, excommunicatum ab eo fuiſſe Conſtantinum Imperatorem, cum quo nihil com-

commune in vitæ uſu habere voluit, eaque de cauſa, ut ait, latebat in angulo; At id quoque eidem negatum fuit, nam ut ſupra diximus, cum Imperatoris voluntati reſtitiſſet, ac initas ab eo inceſtas nuptias reprehenderet, flagellis cœſus in exilium ejectus eſt, quo cum eſſet, rogatus a Platone, ut itineris ſui, rerumque ſuarum certiorem faceret, hoc, vel ſequenti anno, has ad eum litteras dedit, quibus iter ſuum relegens, qua animi alacritate, flagella, exiliique incommoda perfærret, his verbis exponit, *Profluunt mihi lacrymæ ante verba &c.* ſic exorditur epiſtolam, ob conceptam ex Platonis litteris lœtitiam. *Deinde quoniam diſtincte narrare me jubes ab illa die, qua luctuoſam ſeparationem ſuſtinuimus, totum iter noſtrum, tum quæ in eo nobis contigerunt: equidem impar ſum; aggrediar tamen impigre quod jubes. Illo ergo die quo abiiſti tu quidem pater ad mortem tua voluntate: miſſi & nos in exilium ſumus, obviis (ut res tulit) jumentis ſubjecti. Et primum quidem, tamquam harum rerum rudes atque inexperti, nonnihil animo conſternati ſumus; appulimus enim ad pagos quoſdam, ſpectaculum facti omni hominum ſexui & ætati: ubi tumultu clamoribuſque impletæ nobis aures fuerunt, cum ſolverent, & ſubſiſterent ad comparanda victui neceſſaria, qui nos ducebant. Poſtquam aſſuefacti tandem fuimus, facilius & lenius ferre cœpimus adverſa. Omnium porro maxime nos angebat patris & domini Diaconi infirmitas: atque hoc modo triſtes & exhauſti iter confecimus. Manſiones autem hæ fuerunt, a Catharis ad Libiana, inde Leucas, tum Phyrræum: quo in loco lugubre quiddam nobis accidit. Cum enim ex improviſo ſe obtuliſſent novem ex primariis fratribus, ovium inſtar diſperſarum, circumſederunt nos flentes, & corda noſtra conficientes. At ductor noſter nec alloqui eos ſinebat. Ita miſerum in modum aſpectantes mutuo, & vale dicentes, cum lachrymis tandem divulſi & ſeparati fuimus: Deinde Paulam ducti, invenimus venerandam ſororem tuam cum Domino Sabba; & clam venimus in conſpectum, totamque noctem congruo ſermone duximus: tum invicem tamquam morti addictos ſalutantes, diſceſſimus cum gemitu & ejulatione. Ac tunc videre erat convulſa pectora & fatiſcentia, cum decenter victa cederet natura. Ex hoc loco digreſſi ſubſtitimus in Lupadio, ubi peramanter ab hoſpite habiti fuimus, balneoque uſi*

Jesu Chr. an. 795.

JESU CHR. AN. 795. *propter vibices: nonnullis enim pene inſanabiles evaſerunt ex itineris agitatione. Et divertimus Tilin. Illic ergo aſſecutus nos Abbas Zacharias cum Pionio, præ animi ardore nobiſcum venire cupiebant, ſed permiſſum id eis non fuit. Inde Alcerizam, tum ad Anagegrammenos, deinde Perperrinam, atque illinc Parium cum Epiſcopis communicantes, & de jurejurando modeſte admonentes. Poſt hæc Horcum, inde Lampſacum: ubi Heracleotas nacti, triduo hæſimus navigare non valentes. Deinde ſolventes appulimus Abydum, a Præſide humaniter excepti; cumque ibi uſque ad Sabbatum octo dierum ſpacio manſiſſemus, vela fecimus ad Eleuntes, ubi hebdomadem commorati, quod navigari non poſſet, ſecundo vento ſtante, pervenimus in Lemaum novem horarum velificatione. Orationem hic moratur pietas Epiſcopi, qui me (ſi quis alius) benigne ſuſcepit, conſolatus eſt, & viatico inſtruxit. Inde ergo ſoluta navi, non ſine metu, propter finitimam gentem, in adverſam oram, valido ſpirante Borea, tranſmiſimus, centum quinquaginta millium pelagus duodecim horis emenſi, appulimus Canaſtrum in finibus Theſſalonicæ, deinde Palenam Sinui contiguam. Tum ad portum, ex quo in animalibus iterum ſedentes, in urbem ingreſſi ſumus Sabbato die feſto Annuntiationis, hora tertia. Qualis vero ingreſſus? neque hoc præterire fas eſt. Præmiſſus a præfecto unus ex primoribus cum militum manu, ad Orientalem portam expectabat. Et appropinquantibus nobis, occurrerunt recta acie, ſilentio, & clauſis poſt ingreſſum noſtrum portis, per forum nos duxerunt celebri pompa, in oculis eorum qui ad ſpectaculum accurrerunt, perduxeruntque ad Præſidem. O præclarum virum! placidum enim vultum nobis exhibens, cum proſtratus ſalutasſet, miti nos ſermone affatus eſt, miſitque ad Archiepiſcopum, precibus ante fuſis in S. Sophiæ. Ubi ergo in oratorio ſuo precatus eſt ſanctiſſimus, excepit nos, & opipare tractavit, conſentaneis verbis alloquens, tum balneo, cibiſque reficiens ac reſtituens. Poſtridie mane abducti ſumus, & per ſpeciem quaſi ad S. Demetrii precum cauſa duceremur, ſeparaverunt nos omnes, orantes mutuo & Vale dicentes. Nos vero fratres duos, cum in hunc, in quo nunc dego, locum perduxiſſent, ſejunxerunt, flebiliter amplectentes mutuo, adeo, ut ſpectantium nonnulli miſericordia commoverentur. Sic ſe habent res noſtræ pater, & ego vitam hic ago luctuoſam & la-*

Digitized by Google

lamentabilem &c.

. Theodori epiſt. ad Platonem.

23. Porro non his tantum cruciabatur Theodorus, ſed maximopere ſuorum, quos reliquerat, cura angebatur, eaque de cauſa S. Plato Theodorum admonuit, ut hortatorias litteras ad ſe ipſum daret, quibus reliqui commonerentur, ne timore, vel blanditiis a cœptis aliquando deſiſterent, vel Imperatori aſſentirentur. Præſtitit id egregie Theodorus, ad eumdem Platonem eo argumento epiſtolam verbis iſtis conſcribens:

Platoni patri ſpirituali Theodorus.

Quibus verbis te affabimur, pater dulciſſime, ſanctis viſceribus tuis orbati? Quid læti aut jucundi loquemur? neque enim luctuoſa & triſtia, quaſi acerbe ferentes hoc quod exilium exiſtimatur, quod nos a te didicimus non agnoſcere, ut qui incolæ ſimus univerſæ terræ; ſed illud ſolum, quo quis a Deo per cujuslibet ejus mandati prævaricationem excidit, longeque proijcitur. Quapropter gaudemus ſane, & lætamur, quod quamvis indigni cœlo & terra ſimus, tecum tamen ſpirituali patre noſtro digni habiti ſumus, qui pro ejus mandato hæc pateremur, tuaque ſecundum carnem conſuetudine privaremur. Ceteroqui enim nobiſcum ſemper es pater, in oculis atque ore omnium noſtrum. Ecqui aliter vivere poſſimus, niſi a te ſanctarum precum præſidio tegamur, & a malo ſervemur innoxii? Seorſim abjuncti ac ſegregati omnes fuimus, ſalvi tamen omnes atque integri ac ſtabiles permanſimus. Et quamquam parva quædam incommoda in via pertulimus, nonnullis noſtrum etiam morbo affectis: ille nihilominus qui dixit: Reſpicite volatilia cœli & lilia agri, qui minime fallit in promiſſis ſuis, incolumes nos tandem præter ſpem noſtram huc perduxit, ad ærumnæ noſtræ commiſerationem incolarum corda inflectens, ſed potiſſimum Archiepiſcopi. Ac Platonem ejuſque ſocios ad tolerandi exilii incommoda verbis ſuis excitat, quod etiam in epiſtola altera proſequitur, cum nondum reſponſum ad priores ſuas litteras accepiſſet, cujus exordium eſt. *Jam iterum ſcribo ad Dominum & patrem meum, nec ſcio an litteras meas acceperit.* Sic, quid in ea cauſa Monaſteriorum Præfecti, & monachi agere deberent, verbo & exemplo docuit Theodorus, cujus epiſtolas ex Columnenſi bi-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 795. bibliotheca Baronius in lucem edidit. Non diu tamen eum, ſocioſque pœnarum, exilii incommoda pati Deus juſtus judex permiſit, nam biennio nondum exacto, ad propria redire permiſſi ſunt, cum Imperator Conſtantinus, a matre ipſa Irene throno dejectus, oculiſque orbatus, ex concepto dolore miſerrime periit, ut ſuo loco infra dicturi ſumus.

24. De geſtis Caroli Magni hoc anno adverſus Saxones in ejus vita hæc narrat Eginhardus. *Quamquam Saxones æſtate præterita & obſides dediſſent, & ſecundum quod juſſi erant ſacramenta juraſſent, Rex tamen illorum perfidiæ non immemor*, cum ſæpe fidem datam fefelliſſent, *conventum generalem trans Rhenum in villa Cuffeſtbein, quæ ſuper Mænum contra Mogontiacam urbem ſita eſt, more ſolemni babuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingreſſus, pene totam populando peragravit*. Ad bellum in eos inferrendum excitaverant Saxones, eo quod promiſſa auxilia adverſus Avares, ſeu Hunnos negaverant.

Hunnos Carolus agreditur.

25. Hunnicum quippe bellum hoc tempore Carolus Magnus ſuſceperat, ut eos, qui a temporibus Attilæ Regis per duo fere ſecula Orientali, & Occidentali Imperio armis ſuis infeſti fuerant, debellaret, aut ſaltem in officio contineret. At ii Caroli potentiam veriti, ne eadem, cum Saxonibus paterentur, cum eorum Rege Theudone, ſeu Tudone ſponte ad Carolum venientes fidelitatem eidem, & Chriſtianam fidem ſe ſuſcepturos ſpoponderunt, ut paſſim Francorum Annales cum Eginhardo narrant. Ex his audiatur Annaliſta coevus a Lambecio editus, qui res a Carolo geſtas ab anno 794., ad annum 803. proſequutus eſt, qui Unnicum æque, ac Saxonicum bellum his verbis deſcribit. *Aquis Palatio Domnus Rex celebravit Paſcha, & infidelitas, unde conſueverat a parte Saxanorum (pro Saxonum) exorta eſt, quia cum Domnus Rex ſuper alias gentes venire voluiſſet, nec ipſi ad eum pleniter venerunt, nec ei ſolatium, ut ipſe juſſerat, tranſmiſerant. Tunc iterum cognita infidelitate eorum, Rex cum exercitu ſuo ſuper eos veniens, alii ei pacifice obviam venientes ex parte Saxanorum, & cum eo in ſolatio ſuo ipſum iter expleverunt, & ipſe cum exercitu ſuo ad Albiam* (ideſt, ad Albim fluvium) *pervenit. ſed alii circa paludes Albiæ, & in Vibmuodingas ad eum pleniter non venerunt. Domnus Rex tamen reſedens apud Bardunvich, tantam mul-*

multitudinem obſidum inde tulit, quantam numquam in diebus ſuis, aut in diebus patris ſui, aut in diebus Regum Francorum inde aliquando tulerint. Sed & tunc omnes ad eum venientes, excepto his (pro exceptis his) *quos jam ſupra commemoravimus, & hi, qui trans Albæ* (ideſt Albim) *erant, ipſi ad eum pleniter adhuc non venerunt, eo quod Vaſſum Domni Regis* (ſeu Vaſſallum ac Clientem) *Vizzin Regem Abotridarum occiderunt, ideo non credebant, quod in gratia ejus pervenire potuiſſent. Ceteri autem ad eum omnes pacifice venerunt, & juſſionem ſuam promittentes implere, & ita Domnus Rex iterum credens eis nullum voluntate interficiens fidem ſuam ſervando. Tunc ad Aquis Palatio* (*ideſt ad Aquiſgrani Palatium*) *de terra Avarorum Regulus quidam nomine Todanus ad Domnum Regem veniens cum Comitibus ſuis, quem Domnus Rex honorifice ſuſcepit, & baptizari juſſit, ut eos qui cum eo venerunt, & cum magno honore & donis eum remeare fecit ad propria. Et in eo anno a parte Avarorum venerunt theſauri magna multitudo, pro quibus Domnus Rex Omnipotenti Regi gratias agens, diſtribuit ipſum theſaurum inter Eccleſias. Epiſcopos, ſeu Abbates, & Comites, nec non & univerſos fideles ſuos de eodem theſauro mirifice honoravit.* Mortem deinde Hadriani Papæ narrat auctor.

26. De Hunnorum ſeu Avarorum ad fidem converſione agit Alcuinus in epiſtola ad Paulinum Forojulienſem Patriarcham his verbis. *Mirabiliter de Avarorum genere triumphatum eſt, quorum miſſi ad domnum Regem directi, ſubjectionem pacificam, & Chriſtianitatis fidem promittentes, & ſi hoc divina eos præveniente gratia, verum eſt, quis ſe ſervorum Dei tam pio & laudabili labori ſubtrahere debet, ut Diaboli diruatur ſævitia, & Chriſti Domini creſcat ſervitium &c.* In iiſdem litteris Alcuinus eidem Paulino bis ſe paulo ante ſcripſiſſe his verbis teſtatur. *Binas veſtræ paternitati paulo ante direxi cartulas: unam per ſanctum Epiſcopum Hiſtrienſem, aliam per virum venerabilem Ericum Ducem &c.*, ſeu Henricum Ducem, cujus anno ſequenti mentio fiet.

Avares seu Hunni Chriſtianam fidem ſuſcipiunt.

JE-

Jesu Chr. an. 796.

JESU CHRISTI an. 796. Leonis tertii Papæ an. 2.
Constantini Imp. 21. et 17.
Caroli M. Italiæ Regis an. 23.

Leonis tertii legatio, & munera ad Carolum M. miſsa.

1. Deſinente anno proximo, ſeu die Joanni Evangeliſtæ dicata Leonem tertium Romanum Pontificem, in locum Hadriani defuncti, conſecratum fuiſſe diximus, qui vix ordinatus nihil antiquius habuit, quam Carolo M. perhonorificam legationem cum muneribus mittere, eumque de Hadriani obitu, ac de electione, & ordinatione ſua certiorem reddere, atque ut ſuam, Romanorumque erga eum benevolentiam demonſtraret, utque facilius debitam a Patricio Romanorum defenſionem, protectionemque promereretur, dona tanto Principe digna, ad eum miſit, claves ſcilicet confeſſionis S. Petri, & vexillum Romanæ urbis. *Mox Leo legatos ſuos*: ait Eginhardus in vita Caroli. *Claves confeſſionis ſancti Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi miſit, rogavitque ut aliquem de ſuis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per Sacramenta firmaret. Miſſus eſt ad hæc Engilbertus Abbas monaſterii Sancti Richarii, per quem etiam tunc ad Sanctum Petrum magnam partem theſauri, quam Ericus Dux Forojulienſis, ſpoliata Hunnorum regia, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, miſit.* Hæc Eginhardus, eademque de clavibus miſſis, & vexillo Rom. urbis ceteri Francorum Annaliſtæ. Si Leonis Papæ epiſtolæ extarent, quid ea legatione petierit Pontifex, quidve vexillum urbis miſſum, & Claves confeſſionis Sancti Petri ſignificarent, facile conſtaret, at vix perpaucas ex plurimis, temporum edacitatem evaſiſſe conqueritur merito Cennius. At redditæ ab Carolo litteræ, poſt acceptos Leonis legatos, hæc ita, ut diximus geſta fuiſſe nos docent.

Caroli M. litteræ & munera Leoni miſsæ.

2. Cum itaque uno eodemque tempore de Hadriani Pontificis obitu, ac de Leonis tertii ordinatione nuncium accepiſſet Carolus, Engilbertum Abbatem S. Richarii continuo ad Leonem Pontificem cum litteris ſuis, & muneribus miſit, quibus conceptum ob Hadriani obitum dolorem, & ſuam de eodem in ejus locum ordinato lætitiam teſtatur, ac

ac ut Patriciatum Romanorum patri ſuo, ſibique conceſſum confirmaret, atque ut Romani juramento præſtito ſubjectionem ſibi tamquam Patricio promitterent, poſtulavit. Ipſe vero tamquam Romanorum Patricius Romanam eccleſiam ab hoſtium incurſibus, & catholicam fidem, ſervaturum iis promiſit. Sed ipſum Carolum hæc teſtantem audiamus, cujus epiſtolam integram pene excribimus, qua habet. *Perlectis excellentiæ veſtræ litteris, & audita decretali chartula, valde ut fateor, gaviſi ſumus, ſeu in electionis unanimitate, ſeu in humilitatis veſtræ obedientia, & in promiſſionis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinæ pietati agimus gratias, quia nobis, poſt lacrymabile doloris vulnus, quod animæ noſtræ dilectiſſimi patris & fideliſſimi amici obitus inflixit, tale in vobis ſolita ſua clementiæ providentia ſolatium perdonare dignatus eſt. Unde & veſtræ ſanctitati, quaſi Vicario letitiæ munere, per ejuſdem Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti miſericordiam, qui ſanctæ ſuæ eccleſiæ, in veſtræ beatitudinis exaltatione conſuluit, noſtram omniumque fidelium noſtrorum demandamus proſperitatem, nec non & pacificam in Dei voluntate totius regni noſtri innoteſcimus unanimitatem, ut æque in noſtræ devotionis gaudeatis, ſicut & nos in veſtræ ſanctitatis lætamur ſucceſſibus. Sed & hoc veſtræ ſanctiſſimæ benevolentiæ innoteſcimus, quod cum dilectionis munera patri meo dulciſſimo prædeceſſori veſtro dirigere paraveram, ut caritatis, quam in eo habui munificentiæ largitate monſtrarem magnitudinem, & ſuaviſſime inter nos familiaritatis fidelitas multorum oſtenderetur oculis, ecce ſubito, quod ſine dolore non dicam, ſine lacrymis non cogito, præ triſtitia obitus illius legatione conſternatus ſum, & ubi lætitiæ paraveram inſignia, ibi me triſtitiæ turbaverunt lugubria.* Deinde poſt aliqua in eamdem rem, addit. *At dilectionis pacificam unanimitatem Engilbertum manualem noſtræ familiaritatis, veſtræ direximus ſanctitati, quem prius, ſicut promiſimus, per religioſos viros Campolum, & Anaſtaſium beatiſſimo patri noſtro prædeceſſori veſtro dirigere curavimus: ſed, ut præfati ſumus, dum xenia omnia parata erant, lugubri paternæ mortis nuntio repente tardatum eſt iter illius. Sed modo lætiores de veſtræ ſanctitatis ſucceſſione facti, quod deſideravimus in illo pio patre agere, in vobis perficere ſtudemus. Illique omnia in-*

Jesu Chr. an. 796. *junximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis neceſſaria eſſe videbantur, ut ex collatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore veſtræ ſanctæ paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejuſdem fidei & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero, quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ, divina donante gratia, ſanctorum advocata precibus, me ubique Apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſſima Romanæ eccleſiæ ſedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur &c.* Hæc, & alia ibidem Carolus, quem ſane maximam pro Romanæ eccleſiæ defenſione, & fide catholica, vel eccleſiaſtica diſciplina tuenda, ſollicitudinem geſſiſſe, tum allata hactenus epiſtola, quam hæc altera, quam tanquam commonitorium Engilberto Romam proficiſcenti dedit, ſatis aperte demonſtrat.

Caroli epiſt. ad Engilbertum.

3. Hac itaque altera Epiſtola Engilberto tradita, quid præcipue Romæ curare deberet, his verbis admonet. *Divina regente miſericordia iterum & proſpere te adducente ad domnum Apoſtolicum Papam noſtrum, admoneas eum diligenter de omni honeſtate vitæ ſuæ, & præcipue de ſanctorum obſervatione canonum, de pia ſanctæ Dei Eccleſiæ gubernatione, ſecundum opportunitatem collationis inter vos & animi illius convenientium: ingeraſque ei ſæpius, quam paucorum honor ille, quam præſentialiter habet, annorum, quam multorum eſt perpetualiter merces, quæ datur bene laboranti in eo. Et de Simoniaca ſubvertenda hæreſi diligentiſſime ſtudeas illi, quæ ſanctum eccleſiæ corpus multis male maculat in locis, & quidquid mente tenes ſæpius querelis agitaſſe inter nos &c.* Deinde Engilbertum admonet, ut ſicuti cum Hadriano prædeceſſore egerat, ut monaſterium ad eccleſiam S. Pauli ædificandum ab Leone curaret, & ut proſpere pergeret, feliciterque rediret, precatur.

Alcuini epiſtolæ ad Leonem Papam, & ad Engilbertum.

4. Proficiſcenti Romam Angilberto ad Leonem Pontificem, ſuas quoque addidit litteras Alcuinus, quibus & ſuam erga Romanam eccleſiam, Romanoſque Pontifices venerationem obſequiumque his verbis teſtatur. *Suſcipiat obſecro ſanctiſſima pietas veſtra pater cariſſime benigno animo noſtræ parvitatis litterulas, & me devotum veſtræ dilectionis*

nis

nis famulum agnoſce. Semper ſanctæ Romanæ ſedis beatiſſimos, quantum valui Principes, & paſtores amavi. Angilbertum eidem commendat, ac ut ea, quæ per eum petierat, ideſt Sanctorum reliquias, benigne concederet, enixe precatur. Epiſtola altera ad ipſum Angilbertum Romam proficiſcentem data eum rogat, ut Sanctorum reliquias revertens ſibi deferret. Utque Eccleſiæ negotia ſollicite gereret'. *Patrocinia Sanctorum*, ait, *non oblivifcere*; *Res eccleſiaſticæ pulchritudinis oculis occurrentes noli negligere ut aquiras*. Et epiſtola altera cum hoc anno Romam pergeret, ut pauperes, & peregrinos Romam ad Apoſtolorum limina peregrinantes Pippino Italiæ Regi Caroli filio commendaret, admonet, & ut ſanctorum reliquias ad ſe mittat. *Inſuper cariſſime frater devotiſſime deſtagito, ut dona dulciſſima, & mibi multum neceſſaria, ideſt Sanctorum reliquias mibi vel aliquas tranſmittere cures &c.* Tandem alia ad eum extat Epiſtola, qua difficultates duas grammaticales explicat, num ſcilicet rabus Maſculini, vel feminini generis ſit, & an melius dicatur diſpexerit exempli gratia, an deſpexerit. De differentia ſcilicet, di, & de, quem tu ibidem conſule. Hunc porro Angilbertum, Homerum adſcititio vocabulo ſæpe appellat Alcuinus, ſicut Carolum M. Davidem. Arnonem vero Aquilam, ſeu volucrem. Hic autem Angilbertus Alcuini diſcipulus, eique cariſſimus, Caroli M. gener erat, filiam quippe ejus Bertham anno circiter 786. duxerat. Eaque conſentiente circa annum 790. in monaſterium Centulenſe ſecceſſerat, ibique Abbas fuit, Anno 792. juſſu Caroli Felicem Urgellitanum Romam ad Hadrianum Papam duxerat, ubi hæreſim ſuam ejuravit, ut ſuo loco diximus, & iterum anno 794. Romam pergens, acta concilii Francofordienſis ad Hadrianum detulerat, hoc autem anno 796. iterum Romam a Carolo miſſus eſt ob cauſas ſupra relatas, ac tandem anno 800. Carolum ipſum Romam comitatus eſt, ejuſque teſtamento anno 811. ſubſcripſit, & anno 814. die 18. Febr. obiit, cum Primicerius Palatii Pippini Italiæ Regis officio perfunctus eſſet. De quo plura apud Mabillonium in actis, & Annalibus ordinis S. Benedicti, ejuſdemque Romam proficiſcentis in epiſtola ad Paulinum Aquilejenſem Patriarcham his verbis meminit Alcuinus. *Majorem noſtræ ſalutationis ſeriem Angilbertus filius communis noſter*

Jesu Chr. an. 796.

JESU CHR. AN. 796. *noſter Romam iturus volente Deo vobis diriget &c.*

Quid per claves, & vexillum Leo Papa Carolo contulerit.

5. Antequam oratio noſtra ultra progrediatur, de clavibus confeſſionis, ſeu ſepulchri B. Petri, & vexillo Romanæ Urbis ad Carolum M. a Leone Pontifice miſſo, nonnulla adnotamus, cum præcipue ſciamus, eruditos alioquin viros, eouſque allucinatos fuiſſe, ut traderent, tunc primum Romanæ urbis, & provinciæ Principatum, & Dominium ab Græcis Imperatoribus ereptum, per claves confeſſionis Beati Petri, & vexillum Romanæ urbis in Carolum M. translatum fuiſſe, quos ſane tota via erraſſe ſeculi hujus hiſtoria demonſtrat, qua conſtat, ante hujus ſeculi medietatem, in urbe, ac Romano ducatu, cum in Italiæ parte maxima, & in Ravennatenſi Exarchatu, omnem poteſtatem & juriſdictionem Græcos Imperatores amiſiſſe, eamque ad Romanos Pontifices translatam fuiſſe, ut præclariſſimi viri demonſtrarunt. Ex his, multa in hanc rem hoc anno adnotat Pagius. Cointii, & De Marchæ opinionem, ſeu potius paradoxum confutans, præceteris vero id egregie executus eſt Cennius in diſertatione præliminari ad epiſtolas, & geſta Leonis tertii, tomo ſecundo Codici Carolino præfixa. At ni mea me fallit opinio, quæ hactenus in hiſtoriæ decurſu diximus, aut dicturi ſumus, propoſitam de ſummo Romanorum Pontificum Imperio in urbe, Romanoque Ducatu, aliiſque finitimis oppidis, & Ravennatenſi Exarchatu, ita probant, ut qui hæc non vident, in meridiæ cœcutire mihi videantur. Cum id præcipue ex litteris Gregorii 2. & 3. Zachariæ, Stephani 2. Pauli, Stephani 3. & Hadriani apertiſſime conſtet, quos hoc loco repetere inutile judicamus. Extant præterea de eodem ſummo Romanorum Pontificum Imperio monumenta vetera, nimirum veteres Hadriani Pontificis hujus nominis primi denarii a Joanne Vignolio editi, ac non ſemel recuſi, ubi iu una parte legitur. *Hadrianus Papa, in Poſtica Sanctus Petrus*, Mabillonius vero inter prætioſa cimelia Muſei Mediobarbæ Æreum numiſma Zachariæ Pontificis ſe vidiſſe teſtatur, quæ ſane ſummam in Romano Ducatu majeſtatem Romanos Pontifices ea ætate obtinuiſſe demonſtrant, ita ut de his ultra dubitare nemo poſſit, ut ad hunc annum adnotat Pagius, nam excuſſo jamdiu Græcorum Imperatorum jugo, extinctoque Pippini & Caroli M. armis Longobardorum Regno, Populi Romani conſenſu Impe-

Digitized by Google

Imperii ſumma ad Romanum Pontificem devoluta eſt, quam poſtea Pippinus, ac Carolus non ſolum confirmarunt, ſed additis provinciis Æmilia, & Exarchatu Ravennatenſi, aliiſque ampliarunt, ita ut cum aliquando Imperatores Græci, adjunctis ſibi Longobardorum Ducibus, vel Romanum Ducatum,. vel Exarchatum recuperare, in ſuamque poteſtatem redigere conati ſunt, adverſus eos, tamquam in hoſtes, injuſtoſque aggreſſores, auxilium protectionemque ab Pippino & Carolo Stephanus 2. aliique Pontifices, imploraverint, ut ex eorum epiſtolis manifeſtum eſt, quas hoc loco exſcribere non juvat, unde eos ab Italiæ, vel Romani Ducatus Imperio jamdiu excidiſſe patet, quare eos ad hanc uſque ætatem Imperium urbis, Romanique Ducatus retinuiſſe dici nequaquam poteſt.

Carolus Magnus Imperium in urbe, vel Romano Ducatu non habuit.

6. Urbis autem, & Romani Ducatus Imperium ad Carolum per claves confeſſionis B. Petri, & Vexillum Romanæ urbis, translatum fuiſſe falſiſſimum eſt, cum explorata res ſit, Claves Confeſſionis B. Petri devotionis cauſa, ad ſignificandam Petri in remittendis, retinendiſque peccatis poteſtatem miſſas fuiſſe ab ipſo Gregorio Magno, aliiſque in Pontificatu ſucceſſoribus, non ſolum Græcis Imperatoribus, ſed etiam Francorum Regibus, cum adhuc urbis Imperium Græci Imperatores retinerent, Vexillum vero Romanæ urbis Patriciis Romanorum mittebatur, ut eo ſigno, ſe urbis protectores, defenſoreſque creatos eſſe ſcirent. Hinc cum primum Carolus Martellus ab Gregorio 3. Patricius Romanorum creatus eſt, claves confeſſionis B. Petri, & vexillum accepit, ejuſque exemplo Hadrianus Papa Claves, & vexillum Carolo miſit. Eademque mente Leo tertius Claves iterum, & Vexillum Carolo miſit, cum ab eo poſtulaverit Carolus, ut idem pactum, quod cum Hadriano firmaverat, ſecum ipſe comfirmaret. Per vexillum itaque Romanæ urbis, quod obtinuit Carolus M. Patriciatus dignitas deſignabatur, qua Romanæ eccleſiæ, Romanique Ducatus & urbis protector declarabatur, quod iis verbis in ſua ad Leonem Epiſtola Carolus ipſe expreſſerat. *Vel ad ſtabilitatem honoris veſtri*, cui ſtudere Carolus debuerat, accepto Patriciatus honore, & titulo, *vel Patriciatus noſtri firmitatem neceſſariam intelligeretis*. Cujus ideo confirmationem ab Leone Pontifice petierat. Clavibus autem, & vexillo, urbis, aut Ro-

Jesu Chr. an. 796. Romani Ducatus Imperium in Carolum translatum non fuiſſe, evidens adeo eſt, ut mirum ſit viros alioquin doctos id ſibi perſuadere potuiſſe, cum neque Carolus id petierit, aut Leo in eum hanc poteſtatem transferre ſomniaverit. Obſequium quidem, reverentiamque Carolo tanquam Patricio Romanorum, ſalva Romano Pontifici debita obedientia, exhibebant Romani, ſubjectionem vero tanquam Principi exhibuiſſe nullibi conſtat, quin liberam tum in urbe, Romanoque Ducatu, cum in ceteris provinciis Romanæ eccleſiæ ſubditis, Leonem Pontificem, ejuſdemque ſucceſſores, exercuiſſe, ex dicendis infra luce clarius patebit. Ad Carolum quidem non multo poſt confugit Leo Papa, ejuſdem auxilium, protectionemque imploraturus; cum Romanorum perfidia, injuriis contumeliiſque affectus, in vitæ diſcrimen adductus fuerat, ſicque ad eum tanquam Patricium confugit, cujus officium erat, Romanum Pontificem Romanamque eccleſiam tueri, ut biennio poſt ſuo loco dicturi ſumus.

De ſynodo Forojulienſi a Paulino Patriarcha celebrata.

7. Interea ſynodus Forojulienſis ſe offert, quam etſi Baronius, & Labbeus anno 791. celebratam fuiſſe dixerint, vel 795. ut ſcribit Cointius, ad hunc tamen annum retrahendam eſſe adeo confidenter tradit Pagius, ut *de ea re dubium impoſterum eſſe non poſſit*. Atque id ex ejuſdem concilii præfatione, & ex Caroli Regis, & Pippini Italiæ regis annis, ibidem additis, probare ſatagit, nam eadem, anno 23. Caroli Regis, & decimoquinto Pippini filii, & Italiæ Regis celebrata dicitur, qui caractheres cum labenti anno 796. apprime convenire ibidem docet, ac addit. Eadem autem ſynodus, non in ForoLivii, vulgo *Forli* in Romania, ſed ForoJulii, ſeu Cividal del Friuli, ubi tunc Paulinus Aquilejenſis Patriarcha ſedem habebat, habitam fuiſſe, idem Paulinus, ejuſdem ſynodi præſes, his verbis teſtatur. *Sed quamobrem, juxta quod definitum eſt, in hac veneranda ſede, cui Deo auctore non meis meritis, ſed gratuito me præeſſe munere agnoſco*. Cur autem per tot tempora nullam hactenus ſynodum celebraverit, cum canonum ſtatuta juberent, ut ſingulis annis, vel etiam bis in anno, Metropolitani ſynodos celebrarent, hanc excuſationem ad Patres in ea congregatos affert Paulinus. *Quod per tot temporum curricula minime ſit reverendi concilii ſeſſio celebrata, veſtram ſcire non*

non ambigo ſinceriſſimam charitatem. Nam propter improbos, qui ſolent irrumpere mundanos tumultus, propterque imminentia præliorum bella, quæ circumquaque per gyrum finium noſtrorum fomenti ferocitatem ingruere non ceſſabant, intermiſſum interim hoc magnificum opus, procul dubio poterit approbari. Bellum ſiquidem Saxonicum, & Hunnicum hoc tempore gerebat Carolus, quorum cauſa Illyricianæ provinciæ, Aquilejenſi Metropolitæ ſubditæ, ac Pannoniis finitimæ, bellicis tumultibus vexabantur. *Nunc autem divina opitulante clementia, attritis utique ferocium barbarorum ſuperbiæ typho erectis cervicibus, auxilio per omnia adminiculante de Cœlo, reddita jam quietiſſima pace terris, ſuperna prorſus largiente gratia, paululumque reſpirantibus regalibus juſſis, neceſſarium duximus ſummopere feſtinantes dilectiſſimam fraternitatem veſtram juxta priſcorum canonum inviolabiles ſanctiones in uno collegio aggregari &c.* Se tamen non ſemel ad publicos Epiſcoporum conventus a Carolo congregatos adfuiſſe ſupra adnotat.

JESU CHR. AN. 796.

8. Cum itaque Hunnos anno proximo Carolus ſubjugaſſet, uti ibidem diximus, eorumque Dux cum aliis plurimis, ſuſcepto baptiſmate, Chriſto nomen dediſſet, ut ex Alcuini epiſtola ad Paulinum data ſupra adnotavimus, cum jam quietiores res eſſent, ad quæſtiones nonnullas, quæ eccleſiam ea ætate turbabant, ſopiendas, Paulinus hanc ſynodum congregavit, quarum prima erat de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre, filioque. Altera ea erat, quam in Hiſpania Felix, & Elipandus vulgaverant. An Jeſus Chriſtus homo pro humano genere factus, naturalis Dei filius dicendus eſſet, an adoptivus, ut Felix, & Elipandus docuerant. De qua quæſtione miſſa ad eum Felicis epiſtola, ſeu libello adverſus Alcuinum ſcripto, ut ſuam ſententiam proderet, erroremque Felicis confutaret, rogatus fuerat Paulinus, ut ſupra diximus. Quare utramque quæſtionem pertractans Paulinus, quid Nicæno ſymbolo ab ſequentibus conciliis Oecumenicis additum fuerit, exponit, ſicque demonſtrat, Spiritum Sanctum non ſolum ex Patre, ſed etiam ex filio procedere, ideoque recte in ſymboli expoſitione additum fuiſſe de Spiritu Sancto, eum non ſolum ex Patre, ſed etiam ex Filio procedere. Unde poſt plurima. *Hæc enim*, inquit, *& cetera, quæ ſequuntur in Nicæni ſymboli ſacro dogmate non*

De Proceſſione Spiritus Sancti Paulini ſententia.

Jesu Chr. an. 796.

non habentur, ſed & poſtmodum propter eos videlicet hæreticos, qui ſuſurrant Spiritum Sanctum ſolum eſſe Patris, & a ſolo procedere Patre additum eſt. Qui a Patre, Filioque procedit. Itaque ex Paulini ſenſu inter hæreticos ii tantum recenſendi erant, qui Spiritum Sanctum a Patre tantum procedere ajebant, ac eum a Filio procedere negabant, non vero ii, qui etſi Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere credebant, ab ea tamen formula, Filioque, utpote Nicænis, & CPolitanis Patribus ignota, abſtinebant, vel Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere docebant, ut communis Græcorum ſententia ferrebat, hi quippe nullatenus hæretici dicendi erant, cum ſub diverſa loquendi formula, eamdem fidem profiterentur, ac idipſum eſſet, dicere Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere, ac dicere ex Patre, Filioque, quam etiam dicendi formulam uſque ad Nicolaum primum in Romanum ſymbolum nequaquam admiſit Romana eccleſia.

Paulinus adoptianorum hæreſim condemnat.

9. Cum autem plura de Sanctiſſima Trinitate in hac ſynodo expoſuiſſet Paulinus. De verbi Dei Incarnatione parcius agens, manifeſti erroris eos arguit, qui Jeſum Chriſtum Adoptivum Filium Dei dicebant. *Similiter & illis non cedimus*, ait, *qui in duos videntur filios, unum Chriſtum Dei filium dividere, dum illum naturalem, & adoptivum affirmare moliuntur dum unus, idemque ſit Dei, hominiſque filius &c.* Hac dogmatica diſputatione præmiſſa, ad eccleſiaſticam diſciplinam in clero, populoque reſtaurandam, canones quatuordecim vulgati ſunt. Quorum ſeptem primi vitam honeſtatemque clericorum ſpectant, ut ſcilicet ſimoniam fugiant, ut ſobrie ſancteque vivant, ebrietates, commeſſationeſque vitantes, a ſecularibus negotiis, ab luxu, venationibus, aliiſque ludis abſtinerent, præſertim vero ab omni mulierum contubernio, octavo deinde canoue, ne in gradibus prohibitis matrimonia fierent, ſtatutum eſt, & qua ratione, aut cautione nuptiarum fœdera celebranda eſſent edocet, canon autem ſequens, ſeu nonus ante pubertatem nuptias celebrare prohibet. Decimus conjugatis, qui propter alterutrius fornicationem divortium fecerint, ad alias tranſire nuptias, prohibet. 11. Puellis, vel viduis, quæ ſponte continentiam ſuſceperant, ac veſtem nigram induerant, ad perpetuam caſtitatem ſervandam

Forojuli ſynodi canones 14.

dam teneri ſtatuit, etiamſi publicam a Sacerdote benedictionem non accepiſſent, ſi quæ propoſitum violaverint, nonniſi inſtante morte, communione donentur. 12. In Virginum monaſteria quoslibet ingredi ſive ex clero, populo, vel monachali ſtatu prohibet quacumque ex cauſa abſque licentia Epiſcopi, nec id etiam liceat Epiſcopo, abſque præſentia Sacerdotum, aut clericorum. 13. Ut Dominica dies, aliæque ſolemnes feſtivitates obſerventur, jubet. Dominicam vero a veſpere Sabbati, cum officium veſpertinum celebrabatur, incipiendam eſſe ait, eaque die. *Abſtinete primum omnium*, ait, *ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam a propriis conjugibus, & ab omni opere terreno*, ut orationibus tantum piiſque operibus vacarent, ultimo vero canone, ut Decimas fideliter offerrent, hortatur. Atque hæc de hac ſynodo hactenus.

De Paulini Aquilejenſis Epiſc. geſtis uſque ad hunc annum.

10. Forojulienſis autem ſynodus nos admonet, ut de ejuſdem auctore & præſide nonnulla adnotemus, cujus res geſtas, & ſcripta; ut eos prætereamus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis agunt, Dupinium, Cellierium, Odinum, Caveum, &c.; natrant, tum Madriſius Congregationis Oratorii Utinenſis Presbyter, in vita operibus Paulini præfixa, cum deRubeis in hiſtoria Aquilejenſis eccleſiæ. Hic itaque in Auſtria Longobardorum natus, ſeu in Forojulienſi Ducatu, provincia Italiæ, cum a primœva ætate litteris operam dediſſet, ac Grammaticæ artem profiteretur, Caroli Magni gratiam, ſibi eouſque promeruit, ut diplomate ſuo, quod Lorejæ datum dicitur. Decimoquinto Kal. Julii anno 8. Regni ſui, ideſt, ut conjicit Pagius an. 776., bona cujuſdam Valdandifilii quondam Mimonis de Laberiano, qui in acie adverſus Carolum rebellis occubuerat. Paulino tunc Grammatico donaverit. Paulo poſt vero ad Aquilejenſem ſedem evectus, non ſolum gregi ſibi concredito invigilavit Paulinus, verumetiam, hortante, vel jubente Carolo frequentioribus conciliis & conventibus per hæc tempora celebratis adſuit, ut idem Paulinus in præfatione Forojulienſis concilii, his verbis teſtatur. *Nam quoties reverendis principalibus accerſiti imperiis in generali celeberrimæ ſynodi venerabilium Patrum conventione, humillimam parvitatis meæ præſentiam, quia ſæpius contigit adfuiſſe, veſtris eſt animis, ut opinor, non celatum, veſtriſque etiam obtutibus, aliquoties latius patuiſſe*

JESU CHR. AN. 796.

in promptu non dubito. Atque in iis conciliis Romanæ ſedis vices quandoque geſiſſe ſcimus, ut in concilio Aquiſgranenſi, uti ex præfatione ad Caroli Magni capitulare conſtat, quo hæc ſunt. *Tempore Hadriani Papæ, & Caroli Magni Imperatoris, quando Paulinus Epiſcopus tenuit vices Apoſtolicæ ſedis in Aquis, fuit factum iſtud capitulum propter hoc, quia laici homines ſolebant dividere Epiſcopia, & Monaſteria ad illorum opus, & non remanſiſſet ulli Epiſcopo, vel Abbati, vel Abbatiſſæ, niſi tantum ut velut canonici, vel monachi viverent &c.* Et ſane Hincmarus Remenſis in opuſculo primo, vulgato in appendice ad ſynodum Dunicenſem, Carolo Calvo narrabat, quod cum Carolo ſubreptum fuiſſet. *Ut eccleſiis de rebus ſuis præjudicium inferret, obſiſtentibus Epiſcopis, & ſpecialiter Paulino Patriarcha, ſicut vobis bene notum eſſe recognoſco, adeo ſe recognovit, & eccleſiæ ac Epiſcopis ſatisfecit*. Ante Aquiſgranenſem ſynodum, aliis etiam ſynodis juſſu Caroli magni celebratis, Paulinus interfuit, quem Ratiſponenſi ſynodo anno 792. celebratæ adfuiſſe ſuo loco adnotavimus, cumque ibidem de Felicis Urgellitani hæreſi diſputatum fuiſſet, hæreſiſque damnata, primas cum Alcuino partes eum tenuiſſe patet, ac cum eodem Felice, qui præſens erat, habita diſputatione certaſſe his verbis indicare videtur. *In hoc quippe gymnaſticæ diſputationis conflictu, contigit etiam humilimæ noſtræ parvitatis præſentiam adfuiſſe &c.*

Paulinus Aquilejenſis Epiſc. Felicianam hæreſim confutat.

11. Anno autem 794., cum adverſus eamdem hæreſim, inquam infelix Felix, poſt palinodiam iterum inciderat, generale concilium Francofordii convocaſſet Carolus, etiam Paulinus adſuit, ac non ſolum verbis hæreſim confutavit. ſed ſcriptis etiam; in ejuſdem etenim ſynodi actis, ſicuti jam ſuo loco adnotavimus extat. *Libellus ſacroſyllabus*, a Paulino conſcriptus, *in ſuburbanis Maguntiæ Metropolitanæ civitatis, in loco celebri, qui dicitur Francofurdi, patrum juſſu, ad provincias Galliciæ, & Spaniarum dirigendus*. Atque inter ejuſdem opuſcula primum locum tenet, quo etiam hæc notatu digna verba occurrunt. Quapropter ego Paulinus licet *indignus peccator*, *omniumque ſervorum Domini ultimus ſervus Aquilejenſis ſedis Heſperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deſervio, nomine, non merito Præſul, una cum Reverendiſſimo &c. Mediolanenſis ſedis Archiepiſcopo*, *cun-*

cunctiſque colleghis fratribus, & conſacerdotibus noſtris Liguriæ, Auſtriæ, Heſperiæ, Emiliæ catholicarum eccleſiarum venerandis Præſulibus, juxta exilem intelligentiæ noſtræ tenuitatem, Sancto perducente Spiritu, corde, lingua, ſtylo, contra eorum veſanias, qui rectæ fidei ſunt adverſarii, reſpondere non reformido &c.. Jesu Chr. an. 796.

12. Felicis deinde libellum contra Alcuini epiſtolam ſcriptum ab Carolo acceptum, ab eoque rogatus, ut eum confutaret, adverſus eamdem Felicis, & Elipandi hæreſim libros tres Paulinus edidit, quos cum noncupatoria epiſtola ad Carolum miſit, ejuſque juſſu, hæc ſe ſcripſiſſe narrat. *Igitur ſaluberrimis venerabilium incitantibus litterarum veſtrarum imperiis, quatenus juxta parvitatis meæ intelligentiam, licet pigrioris ingenii obſiſtat poſſibilitatis facultas, ſcribere tamen, quæ me contigit pro cauſa fidei contra peſtilentes pravi commenti objectiones, qualicumque non renuo ſtylo &c.*, quod opus cum accepiſſet Alcuinus, qui de eadem hæreſi confutanda ſollicitus erat, ac ſuos contra Felicem libros ſeptem parabat, cum Paulino gratulatus eſt, & ut in unum conjuncti, pro fide certarent, his verbis hortatus eſt. *Quapropter venerande pater, & doctiſſime Athleta, & dulciſſime doctor, ſimus ſemper in caſtris Chriſti commanipulares, & in una acie ſub vexillo ſanctæ Crucis concordi auxilio, & virtute præliantes, ut ſuos adverſarios per nos vincat, qui vinci non poteſt*. Quam vero ſtylo ſuo circa annum 794. exagitaverat hæreſim Paulinus, hoc labente anno 796. in concilio Forojulienſi iterum anathemate percuſſit, ut jam ſupra adnotavimus. Atque hæc de Paulini Aquilejenſis geſtis uſque ad hunc annum dicta ſufficiant. De quo iterum infra ſermo redibit.

Paulinus libros tres contra Felicem Urgell. ſcribit.

13. Tres hoc anno expeditiones bellicas felici exitu Carolum geſiſſe narrat Eginhardus in ejus vita, ceterique Francorum annales confirmant. Adverſus Saxones ſcilicet, adverſus Hunnos ſeu Avares, & adverſus Seracenos in Hiſpania, cujus geſta, ne in his diu detineamur, verbis chronici Lambeciani, ab coevo auctore digeſti narramus. *In ipſa æſtate tranſmiſit Rex Carolus Pippinum filium ſuum cum ſuis, quos in Italia ſecum habebat, & Bajoarios cum aliqua parte Alamaniæ, in finibus* (ideſt ad fines) *Avarorum, & coadunatus eſt Pippinus cum omnibus, quos pater ejus ei tranſmi-*

Caroli geſta adverſus Hunnos, Saxones, & Seracenos.

JESU CHR. AN. 796. *ſit in ſolatium* (ideſt auxilium) , *&* *tranſito Danovio* (pro Danubio) *cum exercitu ſuo pervenit ad locum ubi Reges Avarorum cum principibus ſuis ſedere conſueti erant, quem & in noſtra lingua Hringe nominant, & inde tulit theſauros multiplices, & tranſmiſit patri ſuo, & ipſe poſtea cum exercitu ſuo, & magnis theſauris Avarorum pervenit in Franciam*. (Hæc de primo bello hoc anno in Avaros geſto) *& ipſo anno ipſe Rex Carolus demoratus eſt in Saxonia cum duobus filiis ſuis, ideſt Carolo, & Clodoveo* (ideſt Ludovico) *& circuivit terram Saxanorum* (ideſt Saxonum) , *ubi rebelles fuerunt, incendendo & vaſtando eam, & captivos inde ducebat viros, & mulieres, & parvulos, & prædæ innumerabilem multitudinem*, (hæc de ſecundo bello adverſus Saxones hoc anno ſuſcepto) . *Et tertium exercitum ſuum Carolus Rex in eadem æſtate tranſmiſit in fines Saracenorum cum miſſis ſuis, qui & ipſi ibi fecerunt ſimiliter, vaſtaverunt terram illam, & redierunt cum pace ad Regem Carolum ad Aquis Palatium*.

Hunnicam victoriam Theodulphus celebrat.

14. Hunnicæ, & Seracenicæ victoriæ meminit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in carmine, quo Carolo gratulatus eſt, eodemque Seracenos excitat, ut Hunnorum exemplo chriſtianam fidem amplectantur, his verſibus.

Pone venit textis ad Chriſtum crinibus Hunnus
Eſtque humilis fidei, qui fuit ante ferox.
Huic ſocietur Arabs, populus crinitus uterque eſt,
Hic textus crines, ille ſolutus eat.
Cordoba, prolixo collectas tempore gazas
Mitte celer Regi, quem decet omne decens.
Ut veniant Avares, Arabes, Nomadeſque venite,
Regis, & ante pedes flectite colla, genis.
Nec minus hi, quam vos ſævique truceſque fuere,
Sed hos qui domuit, vos domiturus erit.
Scilicet in Cœlo reſidens, per tartara regnans,
Qui mare, qui terras, qui regit aſtra Polum

Ejuſdemque de Hunnis victoriæ non ſemel in litteris Alcuini mentio fit, cum epiſtola ad Carolum data, captivos in ea expeditione factos commendat, ac ut redimerentur, his verbis excitat. *Domine mi, memor ſit pietas veſtra captivorum*,

rum, dum eſt Pippinus tuus tecum, propter gratiarum actiones mirabilis beneficii, quod vobiſcum de Hunnis divina fecit clementia, & propter proſperitatem imminentium rerum, ut clementiſſima illius potentia omnes adverſarios ſui ſancti nominis veſtris velociter ſubiiciat pedibus, ſed & de peccantibus in vos, ſi fieri poſſit, & veſtræ videatur providentiæ, aliqua de aliquibus fiat indulgentia & remiſſio. Annuit poſtulatis Carolus, & redemptioni captivorum conſenſit, ut patet ex alia Alcuini Epiſtola 91. ad Pippinum data, in qua ait: *gratias agimus benevolentiæ tuæ, ſimul & pietati Domni Regis, qui pie conſentit petitioni redemptionis captivorum, &c. Et tu, excellentiſſime juvenis nobilitatem generationis, morum nobilitate adornare ſtudeas*. Ingreſſus erat Pippinus annum ætatis vigeſimum primum, uxorem jam duxerat, cum illum ſic alloquatur Alcuinus: *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, & non ſint alienæ participes tui*. In adminiſtrando Italiæ Regno Pippinus Adelhardi Corbejenſis Abbatis conſilio potiſſimum utebatur, a Carolo enim miſſus eſt in Italiam, *ut Pippino Juniori ad regendum miniſtraret, & ad ſlateram juſtitiæ Regnum Italicum informaret*, ut in Sancti Adelhardi Vita a S. Gerardo monacho ſcripta apud Mabillonium ſæculo quarto Benedictino parte prima videre eſt. Quem ita ſancte, ſapienterque conſiliis ſuis Pippino in Regno Italiæ adminiſtrando adjuvaſſe narrat Paſchaſius Radbertus ejus diſcipulus in vita ejuſdem, ut, *Tantam promeruit laudem, ut quibuſdam, ita ut fertur, non homo, ſed præ virtutis amore Angelus prædicaretur*. Poſt ſuum vero in Italia reditum Adelardus inter primos Caroli conſiliarios locum obtinuit, deinde utriuſque Corbejæ Abbas, veteris ſcilicet in Gallia, & novæ in Saxonia, cujus auctor & fundator cum Vala fratre ſuo fuit, ut pluribus in ejus vita narrat Paſchaſius Radbertus.

Jesu Chr. an. 796.

15. Cum munera pro eccleſiis Angliæ miſiſſet Rex Carolus, poſtquam audivit Ethelredum Regem nefarie a ſuis occiſum fuiſſe, munera pro eccleſiis Regni ejuſdem deſtinata revocavit, ut ex Alcuini epiſtola ad Offam Merciorum Regem data, anno proximo adnotavimus. De Ethelredi autem, nece, aliiſque hoc anno in Anglia geſtis, hæc narrat Hovedenus, Anno 796. *Qui eſt annus ſeptimus Ethelredi Regis, Alric quondam Dux, tunc clericus in Eboraca*

Ethelredus Northumbriæ Rex occiditur.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 796. *raca civitate obiit, & paulo poſt (ideſt, quinto Kal. Aprilis) Eclypſis Lunæ facta eſt inter gallinitium & auroram. Eodem anno Ethelred Rex occiſus eſt apud Cobre XIV. Kal. Maii. Oſbald vero Patricius a quibuſdam ipſius gentis Principibus in Regnum eſt conſtitutus, & poſt viginti ſeptem dies omni Regiæ familiæ, ac Principum eſt ſocietate deſtitutus, fugatuſque, & de Regno expulſus, atque ad inſulam Lindisfarnenſem cum paucis ſeceſſit, & inde ad Regem Pictorum cum quibuſdam a fratribus navigio pervenit. Eardulf enim filius Earnulſi de exilio vocatus Regni inſulis eſt ſublimatus, & Eboraci in Eccleſia Sancti Petri ad Altare B. Pauli (ubi illa gens primum perceperat gratiam Baptiſmi) conſecratus eſt ſeptimo Kal. Junii, & non multo poſt*, ſubdit idem auctor, *ideſt ſeptimo Kal. Auguſti, Offa potentiſſimus Rex Merciorum, poſtquam 39. annos regnavit, defunctus eſt, cui ſucceſſit in Regno filius ejus Eefred, quique obiit eodem anno, Kenulphus pater Kenelmi quoque dehinc diadema Regni Merciorum ſuſcepit, glorioſeque tenuit invicta virtute ſui potentatus, & paulo poſt, ideſt quarto idus Auguſti Eanbaldus Archiepiſcopus* (Eboracenſis) obiit, & ſtatim alter Eanbardus ejuſdem eccleſiæ *Presbyter electus eſt &c.* Hæc de geſtis in Anglia hoc anno idem auctor, atque cum Ethelredo Northumbrorum Regnum pene excidiſſe tradit Malesburienſis lib. 1. cap. 26., nam etſi proprios Reges per annos aliquot adhuc habuerit, ii tamen ex Regis Saxonum Occidentalium arbitrio pendebant, uſquedum Egbertus horum Rex anno 827. Northumbros ſubjugavit, & toti fere inſulæ tanquam Monarcha imperavit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

S. Euphemiæ reliquiæ CPolim, ſeu Chalcedonem translatæ.

16. Hoc anno, ab Nefarii Conſtantini Copronymi Imp. obitu anno 22.; Sanctæ Euphemiæ reliquiæ, quas impius Imperator, una cum capſa in mare demergi juſſerat, ac in Inſulam Lemnum divina virtute delatæ, ac ibidem religioſo cultu ſervatæ fuerant, iterum Calcedonem in ſuum locum Taraſio Patriarcha, & Conſtantino, & Irene Imperatoribus curantibus, translatæ ſunt, ut narrat Theophanes. *Nam iſte quidem communis eccleſiarum hoſtis*, ideſt Copronymus, *æde illa ſacra prophanata armamentum fecerat, & ſtercoribus excipiendis male dicaverat, locum autem expurgatum & expiatum denuo eccleſiam conſecraverunt, cum ar-*

Digitized by Google

arguendæ Conſtantini unius impietati, tum alterius in Deum religionis demonſtrandæ monumentum. Hoc porro mirandum, & relatu dignum portentum, a morte nefarii iſtius Imperatoris circa annos duos & viginti, una cum pientiſſimis Imp. & ſanctiſſimo Patriarcha nos ipſi conſpeximus, & quamvis indigni, ea tamen gratia cumulati, illud venerati ſumus. Ait idem auctor, Translationis autem hiſtoriam, & qua ratione in inſula Lemno reconditæ ſervatæ, ac ſecreto cuſtoditæ fuerint, ac hoc tempore detectæ, ex coevo auctore pluribus narrat Baronius, quæ apud Bailetium, aliosque videri poſſunt. At etſi Imperatoris Conſtantini pietas in venerandis Sanctorum reliquiis laudem mereatur, vix tamen Chriſti comminationem effugiet, qua Phariſæis exprobrabat, quod Prophetarum ſepulchra exornarent, quos patres eorum perſecuti fuerant, ſic quoque Conſtantinus defunctorum reliquias venerabatur, eorumque ſepulchra, ac Euphemiæ præſertim exornabat. Dum ſanctos viros libidini ſuæ reſiſtentes, perſequebatur. Platonem ſcilicet. Theodorum, aliosque, ut anno proximo diximus. Similis plane Herodi dixerim, qui Joannem Baptiſtam eousque verebatur, ut eo audito multa faceret, ut in evangelio legitur, uſque dum ab eo non audivit. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui &c.* qua increpatione exacerbatus, rogante impiiſſima Herodiade, *in carcere eum decollavit.*

JESU CHR. AN. 796.

17. Ad res quoque in Oriente hoc anno geſtas, Saracenorum in Paleſtina excurſiones, & monachorum ibidem degentium in laura S. Sabæ ſtrages pertinet, etſi etenim jamdiu Paleſtinam Saraceni obtinerent, hoc tamen tempore, inter varias eorum turmas bellum civile gerebatur, quo, ut narrat Stephanus monachus in actis ſanctorum viginti monachorum martyrum, Joannis, Sergii, Patricii, & ſociorum. *Depopulati ſunt frequentiſſimas urbes non paucas: Eleutheropolim, abductis in captivitatem univerſis, deſertam fecere. Anſcalonem, Gazam, & Sariphæam, aliaſque civitates violenter diripuerunt.* Cumque quadrageſimæ tempore ad Lauram S. Sabæ perveniſſent, ac pecuniam fruſtra ab monachis petiiſſent, eorum triginta circiter, telis immiſſis ſauciaverunt, & iterum illuc reverſi, ex monachis viginti in antro incluſos, fumo excruciatos necaverunt. *Ceterum admiratione non caret*, ait ſupracitatus Stephanus, *quod qui*

Monachi lauræ S. Sabæ in Paleſtina a Saracenis occiſi.

Jesu Chr. an. 797.

qui paſſi ſunt, non omnes fuerint ſcientia, & exercitatione virtutis conſummati, erant novitii inter eos, erant & idiotæ, ſed nempe perdidicerant omnes imperare affectibus, atque redigere in ſervitutem quidquid in homine carnis ſapientiam redolens, aut voluptatem, facit aut ipſum vitam æſtimare, atque diligere &c. Facta ſunt autem hæc. *Anno ab orbe condito 6288, ab nato vero ſecundum carnem.* Deo ac Domino noſtro Jeſu Chrſto 788. indict. quintæ (quartæ legendum putat Pagius) *cum Hieroſolymitanæ eccleſiæ Beatiſſimus Patriarcha Elias, & magnam hanc tuarum ſancti patris noſtri*, Sabæ ſcilicet, *divinus, plenus Spiritu Baſilius venerabilis gubernaret.* Ibique de bello civili in Paleſtina, inter Seracenos exorto agit, atque ex ſupputatione tum æræ Mundi, quam Incarnationis Jeſu Chriſti, juxta Alexandrinos quam ibidem ſequitur auctor, nullum dubium eſt, quin hunc labentem annum is auctor indicaverit, ait Pagius not. 30. 31. an. 796.

JESU CHRISTI ANNUS 797. LEONIS 3. PAPÆ 3.
IRENES ITERUM IMPERATRICIS AN. 1.
CAROLI M. ITALIÆ REGIS AN. 24.

Conſtantinus Imp. matris juſſu obcæcatus obiit.

1. In ipſo hujus anni 797. exordio, teterrimam exordimur tragœdiam, qua Conſtantinus Imperator a matre ipſa throno non ſolum dejectus, ſed crudiliter adeo obcæcatus eſt, ut paulopoſt obierit. Juſto autem Dei judicio id ei accidiſſe adnotat Theophanes, nam quinquennio ante patruos ſuos excæcaverat, aliiſque clariſſimis viris linguam etiam abſcindi juſſerat, unde ſubdit Theophanes. *In ſpatium tamen haud diutinum. injuſtum hujuſmodi facinus inultum divina juſtitia diſtulit, Solius enim quinquennii exacto intervallo, ejuſdem menſis, & Sabbati die a propria matre Conſtantinus ipſe oculis orbatus eſt.* Ob inceſtas quippe nuptias cum Theodote initas, obque perſecutionem in ſanctiſſimos monachos ea de cauſa excitatam, omnium ordinum odia in ſe concitaverat infelix Conſtantinus, quare mater ejus Irenes, ut Imperii clavum iterum reciperet, opportuna occaſione utens. *Cum ordinum militarium Ducibus colloquium habuit, & qua muneribus in eos ſparſis, qua promiſſis majoribus, abrogato filio ſummam Imperii, ut ſibi committerent, induxit, ac ita cun-*

cunctos partim ſuis ipſius illecebris, partim familiarium ſuorum ſuaſionibus motos et illectos, in ſuas partes tranſtulit, ſubindeque diem opportunum cenſuit expectandum. Interea anno proximo menſe Octobri Pruſam ad thermas cum matre tranſierat Conſtantinus, ubi cum eſſet, accepto nuncio, quod Theodes ejus uxor, filium peperiſſet, quem Leonem nominavit, cito ad urbem, relicta ad thermas matre, tranſivit. Menſis vero Maii die prima filius ejus moritur, cujus funus multis lacrymis proſecutus eſt, tandem. *Menſis Junii Die Decimoſeptimo, indictione quinta, Imperatore poſt equeſtre Circi ſpectaculum ad ſanctum Mamantem tranſeunte*, conjurationis participes eum retinere conati ſunt. At inſidiis detectis, nave conſcenſa Pylas Conſtantinus trajecit: mater autem ejus cum militares ordines, ac Senatum adhuc hærere videret, num eam Imperatricem ſalutarent, an filium retinerent, *collectis ad Eleutheria, quos memoravimus ex ordinibus univerſis, Palatium ingreſſa eſt.* Ait Theophanes, ſibique timens ad amicos, qui cum filio erant, ſcripſit. *Niſi rationem, qua filium mihi tradatis, inieritis, colloquia inter nos habita ipſi aperiam.* Illi vero timore correpti, Conſtantinum precibus vacantem comprehendunt: & Chelandio, menſis ejuſdem die decimo quinto in Urbem ſummo mane deductum, includunt. *Et circa horam nonam tanta immanitate illi oculos confodere ex matris & conſiliariorum ejus ſententia, ut pene mortem inferrent.* Quo tempore per dies ſeptemdecim ſolis lucem obſcuratam fuiſſe addit is auctor. *Ita mater ejus Irenes Imperium obtinuit*, hicque luctuoſæ tragœdiæ finis, qua Conſtantinus Imperator mœrore, ob dolorem in oculorum evulſione conceptum miſere periit, ac defunctus eſt.

Plato, & Theodorus monachi e carceribus liberantur.

2. Irenes vero Imperium adepta, ut ſibi plebis, monachorumque gratiam, benevolentiamque promereretur, continuo monachos exules, carceribuſque detentos, priſtinæ reſtituit libertati, ex his Plato, & Theodorus ſtudita. Ut idem Theodorus, res Platonis perſequens, narrat, ab exilio autem reverſus Plato cum Taraſio Patriarcha reconciliari non renuit. *Illum etiam*, ait auctor ſupracitatus, *qui ſacris præſidebat, & in ea re principatum tenebat*, ideſt Teraſius CP. Epiſcopus. *Ita affectum fuiſſe, ut eum de quo dicimus reverentia proſequeretur, qui cum ſe illi purgaſſet,*

JESU CHR. AN. 797. *gaſſet, ad concordiam etiam ipſum invitavit, quod factum fuit ejecto illo*, ideſt Joanne Presbytero, *qui adulteros conjugatos coronaverat, ut diſſidium removeretur, quod beatus ille maxime fugiebat &c.* Quanta in æſtimatione Plato eſſet, quamque de ſe ipſo humiliter idem ſentiret, pluribus ibidem poſt Theodorum narrat Baronius, eademque fere de Theodoro, ejuſque ad urbem reditu in ejus vita narrat Michael, ita ut. *Theſſalonica redeuntem frequens, ut par erat, omnium hominum occurſus exceperit. At longe clariſſimus honor fuit, quo ingredientem Patriarcha, & Regina ipſa eum honeſtarunt. Eam ob rem qui ante alios diſſenſionis ſocius & particeps fuit, Joſephus ille presbyter, qui præfracta temeritate inaudita peregerat, ſacris ſeptis ejectus, ex ſacerdotum albo expungitur, & unius amputatione atque caſu, reliqua membra coaleſcant, & conjuncta cohæreant. Hoc enim Auguſtæ ſummum ſtudium erat unum tollere, ut omnes conſentirent, nec diſſidio ullo, vel ſchiſmate diſſiderent. Quod ei ſane feliciter ceſſit ex animi ſententia: brevi enim omnes animis conjuncti ad pacem concordiamque redierunt &c.* Hæc, & alia ibidem, Taraſium præcipue excuſare ſatagens, quod aliquam cum Conſtantino Imp. œconomiam adhibuerit, uti jam ſupra adnotavimus.

Theodorus in ſuum monasterium rediit.

3. Ceterum Theodorus urbis deliciis diu retineri non potuit, ſed quamprimum ad ſuum rediit monaſterium, ut diſperſos monachos revocaret. *His ergo in hunc modum tranſactis*, ait Michael in ejus vita. *Theodorus regia urbe relicta in monaſterium revertitur, optimique paſtoris inſtar ſegregatas oves congregat, quas ſe abſente, prædones animarum abegerant, & in omnes circa montes diſperſerant. Accurrit inſuper innumerabilis aliorum tam monachorum, quam ſæcularium multitudo, & magni patris reditui gratulatur, divulgante illum ubique fama, Theodorumque celebrante, & Sacundionem. Reſpondebat autem exitus opinioni, & famam res ipſa confirmabat &c.* Multos qnippe ad ſe venientes ita verbis ſuis, & exemplis ad pietatem traxit, ut ſecularibus abjectis curis monaſticam vitam ibidem, aut alibi profiterentur, ut idem auctor narrat. Qua autem de cauſa inde diſcedens CPolim tranſierit, ut Abbas monaſterii Studii fieret, unde ſtudita dictus eſt, infra dicturi ſumus ſuo loco.

4. Tot,

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 797. Variæ ad Carolum M. legationes.

4. Tot, tantiſque victoriis relatis, per totam Europam eouſque Caroli M. nomen inclaruerat, ut finitimæ gentes undique, aut vi ſubactæ ejus Imperio parerent, aut miſſis legationibus ejuſdem ſe tutelæ commendarent, & amicitiam expeterent. Hoc anno dum Aquiſgrano eſſet, ubi majorem anni partem tranſegit, Theotiſtum, ſeu ut alii dicunt Teophilam Nicetæ Patricii Siciliæ filium, ab Imperatore Conſtantino miſſum recepit, *magnifice ſuſcipiens poſt paucos dies abſoluit*, quid ab eo peteret Conſtantinus ignoratur. At ejuſdem Imperatois obcœcatio, & obitus irritam eam legationem reddidit. Eodem loco ideſt Aquiſgrani Zatim Seracenorum Dynaſta, vel Præfectus ad eum veniens, pro pace obtinenda Barcinonam Carolo reddidit, *Barcinona civitas in limite Hiſpano ſita*, ait Eginhardus, *quæ alternante rerum eventu, nunc Francorum, nunc Seracenorum ditioni ſubjiciebatur, tandem per Zatim Seracenorum, qui tunc eam invaſerat, Regi*, ideſt Carolo, *reddita eſt. Nam is æſtatis initio Aquiſgrani ad Regem venit, ſeque cum memorata civitate, ſpontanea deditione illius poteſtati permiſit &c.* Ad Carolum Aquiſgrano morantem Abdela quoque alter Seracenorum Dynaſta confugit. Is quippe Abderamnis olim in Hiſpania Regis filius erat, qui poſt patris obitum cum fratre Iſemo diffidens, in Mauritaniam tranſire coactus fuerat. Cumque fama percepiſſet Seracenos in Hiſpania non ſemel a Carolo repreſſos, victoſque fuiſſe, ad eum venit ejus implorans auxilium, ut in paterni Regni partem admitteretur, quem Carolns, Lodovico filio ſuo Aquitaniæ Regi remiſit. *Qui poſtea, ut ipſe voluit, in Hiſpaniam ductus, & illorum fidei, quibus ſe credere non dubitavit commiſſum eſt.* Ait Eginhardus. Ad Lodovicum vero Caroli filium Aquitaniæ Regem, dum Toloſæ eſſet, ad confirmanda pacis fœdera legatos quoque ſuos miſit Alphonſus Aſturiarum & Gallæciæ Rex. *Ubi etiam*, ut narrat auctor vitæ Lodovici, *Babaluc Saracenorum Dux, qui locis montuoſis Aquitaniæ proximis principabatur, miſſos pacem petentes, & dona ferentes ſuſcepit, & remiſit*. Lodovicus ſcilicet; quare etſi nullam hoc anno Carolus expeditionem ſuſceperit, contentus exercitum in Saxonia, ad continendos in officio Saxones, ducere, ubi & hyemavit, maximum tamen armorum ſuorum

Jesu Chr. an. 797.

fructum & gloriam tulit, dum arma ſua cunctis undique gentibus, ut terrori eſſent, effecit.

Capitulare, ſeu leges a Carolo pro Saxonis latæ.

5. Aquiſgrano hoc anno ab armis quieſcens Carolus Magnum Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum conventum celebravit, quo leges, ſeu ſtatuta ab Saxonibus, aliiſque barbaris gentibus ab eo ſubactis, ſervanda edidit, pœna impoſita iis, qui ea violaverint, ut in præfatione habetur. *Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti 797. & 30., Regni Francorum, & 22., Regni Longobardorum, Regnante Domino Carolo præcellentiſſimo Rege, convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obſequio venerabilibus Epiſcopis, & Abbatibus, ſeu illuſtribus viris Comitibus, quinto Kal. Novemb., ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis, cum de Veſtfalais, & Angrariis, quam & de Oſtphalaiis, omnes unanimiter conſenſerunt &c.* Capitula ibidem ſtatuta undecim numero ſunt. Quorum hæc eſt ſumma. 1. De juſtitia eccleſiarum, viduarum, Orphanorum, & minus potentum, de raptu, & incendio, & de exercitu. 2. De obſervatione ſuperiorum capitulorum. 3. De compoſitione ſecundum legem Saxonum. 4. De his, qui cauſam judicatam repetere præſumunt in patria, aut in præſentia Regis. 5. De manumissione ad placitum. 6. De compoſitione rerum, quæ Presbyteris ablatæ ſunt. 7. De compoſitione Miſſorum regiorum. 8. Ne quis incendium faciat infra patriam: 9. De banno augendo pro qualitate criminis. 10. De malefactoribus, qui mori debent. 11. Quales debeant eſſe ſolidi Saxonici. Hoc quippe tempore, in id præcipue ſollicitus erat Carolus, ut Saxones ad Chriſti fidem perduceret, eccleſiaſque ibidem conſtitueret, hac quippe ratione manſuetiores eos, ſibique fideliores futuros ſperabat.

Kenulphi Merciorum Regis epiſt. ad Leonem tertium.

6. Cum Offæ Merciorum Regi Kenulphus ſucceſſiſſet, ut anno proximo diximus, litteras ſuo, & Epiſcoporum Regni ſui nomine ad Leonem tertium in Hadriani locum recens ordinatum dedit, quibus inprimis Pontificis gratiam, & benedictionem ad Regni ſui ſtabilitatem & dilatationem expoſtulat. Deinde ut reſponſione ſua ſe dignum faceret, rogat, ac ut Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis eccleſiæ privilegia, ſeu Metropoliticam dignitatem ab Sancto Gregorio eidem eccleſiæ collatam reſtituere dignaretur. *Cujus dignitatis*

tatis honorem, ſicut vos ſcitis, ait, *primum Rex Offa propter inimicitiam cum venerabili Lamberto, & gente Cantuariorum acceptam evertere, & in duas parœcias diſſipare niſus, & piiſſimus Coepiſcopus, & anteceſſor veſter Hadrianus, rogatu prædicti Regis facere cœpit, quod prius nemo præſumpſit, & Merciorum Præſulem pallio extulit. Neutrum tamen in his culpamus, quod cum Chriſto, ut credimus, æterna victoria triumphant*. Cum uterque jam obiiſſet. Quare ut ſibi, quid in hac cauſa ſentiret, notum faceret, expoſtulat. *Magna enim humilitate ſimul & dilectione hæc tibi ſcribimus beatiſſime Papa, tuam clementiam profuſius precantes, quatenus ad ea, quæ a nobis neceſſario explicata ſunt, benigne & juſte reſpondeas*, ſicuti etiam poſtulationibus ab Athelardo Cantuarienſi Archiepiſcopo, pro cauſis Britanniæ ad eum miſſis. *Præ amore præſcrutari digneris*, addit, *& quidquid de rebus, quæ in ea ſcripta ſunt, fidei formulam poſcat, pagina nobis veritatis patefacere memineris*. Ac ſe hanc alteram hoc anno epiſtolam miſiſſe adnotat, cum prima anno proximo, neſcio quo fato, nullum ſortita fuerit effectum. Unde ait. *Ego præterito anno legationem meam, & Epiſcoporum per Vvadam Abbatem miſimus. At' ille accipiens ipſam legationem, ſegniter, immo inſipienter deduxit. Sed modo modicum amoris gratia miſimus per Byrne Presbyterum, & Phildas & Chocolleres miniſtros meos, mittoque centum viginti Mancuſas cum litteris, precantes te, ut benigne ſuſcipias, & benedictionem tuam nobis donare digneris. Omnipotens Deus te longævo tempore ad laudem ſuæ ſanctæ eccleſiæ cuſtodiat incolumem*. Hactenus Kenulphi Regis Merciorum epiſtola ad Leonem Papam, obſequii ſui, venerationis, & obedientiæ in Romanum Pontificem, & Romanam eccleſiam referta, cujus exemplum utinam aliquando Brittanniæ Reges, quin etiam catholici orbis Principes imitarentur; Romam etiam pro eadem cauſa, ideſt pro eccleſiæ ſuæ dignitate tuenda profectus eſt Athelardus Cantuarienſis Epiſcopus, alteras etiam ejuſdem Regis deferens epiſtolas, anno circiter 800. quibus paulo poſt Leo Papa reſcripſit, poſtquam Romæ dira paſſus fuiſſet, ac in Galliam aufugiſſet, ac inde anno 800. Romam incolumis rediiſſet, quas hoc loco ſubiicimus, ne a litteris Kenulphi ſejungantur.

Jesu Chr. an. 797.

7. *Domino Excellentiſſimo Xenulpho Regi provinciæ Saxoniæ*

Leon's 3. Papæ litteræ

Jesu Chr. An. 797. ad Kenulphum Regem.

xoniæ Leo Papa. Veniens ad ſacratiſſima limina beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, tam orationis vota fideliter ſolvens, quam noſtræ Apoſtolicæ ſedi cauſam ſui Sacerdotii ſuggerens reverendiſſimus & ſanctiſſimus frater noſter Athelardus Archiepiſcopus Dorovernenſis Eccleſiæ, obtulit nobis veſtræ regalis excellentiæ ſyllabas, quibus in duabus epiſtolis a vobis directis plenis fidei rectæ magnam humilitatem veſtram reperientes, omnipotenti Deo referimus grates, qui veſtram prudentiſſimam excellentiam in omnibus adornavit & decoravit erga B. Petrum Apoſtolorum principem, & nobiſcum habere dilectionem, & in omnibus Apoſtolicis humiliter conſentire cenſuris. Porro in una ex illis epiſtolis reperimus gratia noſtræ Apoſtolicæ functionis, ſi juſta feciſſetis, animam veſtram pro nobis poſuiſſetis benigne. Ad ea reſpiciens, quæ a perditiſſimis viris anno 799. pertulerat. Deinde poſt aliqua. *Ferebatur vero & hoc, quod aliquantula ex veſtra benedictione nobis offerri demandaſti, ideſt, centum viginti mancuſas, quas cum magno amore pro animæ veſtræ ſalute ſuſcepimus. Et prædictus Archiepiſcopus cum ſociis ſuis honorifice ac benigne a nobis ſuſceptus eſt; & adjuvari eum in ſuis neceſſitatibus fecimus libenter. Interea credentes veſtræ prudentiſſimæ excellentiæ, ubi ferebatur in ipſis tuis apicibus, quod noſtris quidem Apoſtolicis ſanctionibus nullus Criſtianus contraire præſumit: ideo totis viribus noſtris ea, quæ Regno tuo expediunt, emittere atque prædicare conamur, ut ea quæ præfatus frater noſter Athelardus Archiepiſcopus, ſeu tota Synodus Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, ſanctorumque Patrum, nec non prædeceſſorum ſanctorum noſtrorum Pontificum, canonica cenſura predicante veſtræ regali excellentiæ, ſeu Principibus gentis veſtræ, & univerſo populo Dei ediſſerit, nequaquam in Orthodoxa eorum doctrina quippiam reſiſtere debeatis, Domino Redemptore noſtro in Evangelio dicente, ubi ait: Qui vos recipit me recipit, & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet: quanto magis pro ipſo ſæpe dicto Archiepiſcopo, quem nobis valde nimiſque collaudaſti, ſicuti & eſt, videlicet clariſſimus, digniſſimus, cariſſimus atque peritiſſimus, & quia illum ſcitis prudentem & bonorum ornatum moribus, Deoque & hominibus dignum. Ecce fili dulciſſime & amantiſſime atque præſtantiſſimæ Rex bone; in his tuis aſſertionibus collaudavimus*

mus Dominum omnipotentem, qui talem nobis demonſtravit Antiſtitem: qui ſicut verus paſtor inducere verbis ſecundum doctrinam ſanctarum ſcripturarum dignam pœnitentiam valet, & eruere, qui ſub ditione ſacerdotali ejus exiſtunt, animas eorum ab inferno inferiori, & ab igne inextinguibili, deducens eos & introducens in portum ſalutis, & offerre pro illis hoſtiam dignam & immaculatam in conſpectu divinæ Majeſtatis omnipotenti Deo. Et quia multum nobis prænominatus Archiepiſcopus in omni ſanctitate ſua, & vitæ converſatione ultro, citroque placuit, ut valde nimis ei credentes, ex auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis, cujus vel immeriti vicem gerimus, talem præbuimus præſulatum, ut ſi quiſpiam ex ſubjectis ſuis, tam Regibus, & Principibus, quam univerſo populo tranſgreſſus fuerit Dominica mandata, excommunicet eum uſque dum pœniteat, & ſi impœnitens fuerit, ſit vobis ſicuti Ethnicus & publicanus. De ſecundo Athelardo jam facto Archiepiſcopo Dorovernenſis Eccleſiæ, ſicut a nobis popoſcit veſtrorum præſulum excellentia, ut ei juſtitiam de ipſis diœceſibus ſuis tam Epiſcoporum, quam monachorum, quibus illicite, ut vos cognoviſtis, expoliatus eſt, & a venerabili ſede ejus quam dudum tenuit, ablatæ ſunt, nos per omnia enucleatius trutinantes, in ſacro ſcrinio noſtro reperimus, ſanctum Gregorium prædeceſſorem noſtrum in ipſa ſancta ſede omnia in integro ipſam paræciam numero duodecim beato Auguſtino Syncello ſuo Archiepiſcopo tradidiſſe, & confirmaſſe Epiſcopos conſecrandi jus. Unde & nos, veritate ipſa reperta, ordinationes ſeu confirmationes Apoſtolica auctoritate eas illi ex integro ſicut antiquitus fuerit, conſtituentes reddidimus, & privilegium confirmationis ſecundum ſacrorum canonum cenſuram Eccleſiæ ſuæ obſervandum tradidimus &c.

De Finchalenſi, & Bacanceldenſi ſynodis in Anglia.

8. Ex his autem Kenulphi ad Leonem, & Leonis ad Kenulphum litteris, ſynodum in Anglia ab Eambaldo Eboracenſi Epiſcopo congregatam fuiſſe ſcimus, tum alteram ab Athelardo Dorovernenſi, ſeu Cantuarienſi Epiſcopo, poſt iter ſuum Romanum, qua Leonis Papæ præceptum, adverſus ſeculares, qui bona eccleſiæ invadebant, publicavit, utraſque conciliorum editores exhibent, ac Leonis Papæ ſententia priſtinam dignitatem, ideſt Primatus in Anglia honorem Athelardum Cantuarienſem Epiſcopum, ſub Hadriano Pontifice

Jesu Chr. An. 797. tifice imminutum recuperaſſe conſtat. Unde Veſtmonſtarienſis rem totam paucis complectens, ad labentem Chriſti annum 797. adnotat. *Kenulphus miſſis ad Leonem Papam Hadriani ſucceſſorem. ſua & omnium Anglorum Pontificum epiſtolis ipſo Archiepiſcopo Athelardo legationem generaliter fungente, quod petiit, impetravit.* Hæc idem auctor uno loco referens, quæ in ea cauſa per plures annos actitata ſunt, nam ut adnotat Pagius eadem controverſia anno tantum 802. finem habuit, cum Athelardus ab Leone Pontifice litteras accepit, quibus Brittanniæ eccleſiæ eidem ſubjiciebantur, has litteras recitat Malesburienſis, eaſque datas adnotat. *Decimo quinto Kal. Febr.* per manum Primicerii Euſthatii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ. *Imperante Domino Carolo piiſſimo Conſule Auguſto, a Deo coronato magno, pacificoque Imperatore,* ideoque poſt annum 800. quo Carolus Auguſti & Imperatoris nomen, & titulum obtinuit. *Anno ſecundo poſt Coſſ. ejuſdem, indictione decima,* quæ anno 802. in curſu fuit.

Leo Papa Eccleſias Romæ exornat. 9. Si temporis rationem in deſcribendis Leonis tertii geſtis ſervavit Anaſtaſius, Eum hoc tempore, antequam anno 799. dira pateretur, ut ibidem dicturi ſumus, in reſtaurandis, exornandiſque urbis eccleſiis intentum fuiſſe conſtat, ejuſdemque generis alia plurima ab eo peracta quadriennio poſt, cum in urbem rediiſſet, addidit. De his quæ ſui Pontificatus initio geſſit, hæc in ejuſdem laudem, adnotat. *Erat enim eccleſiaſticarum rerum defenſor, & contrariorum fortiſſimus expugnator, & nimis mitiſſimus, & eidem eccleſiæ benevolus præclarus amator, tardus ad iraſcendum, & velox ad miſerandum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam ſecundum meritum tribuens, ſed pius ac miſericors a tempore ordinationis ſuæ omnibus ſtuduit juſtitias facere.* De donis vero, vel impenſis in eccleſiarum ornatu, vel reſtauratione, & liberalitate in clerum addit. *Hic rogam clero ſuo in Presbyterio maxime ampliavit.* Ideſt ſtipendia, quem etiam in Baſilica S. Petri, vel Pauli aliiſque locis ſacris, multa ex auro, & argento, utenſilia donaſſe addit.

Triclinium Lateran. Leo Papa ædificat. 10. Inter Leonis tertii ædificia, amplitudine & magnificentia ſua, Triclinium Lateranenſe cetera ſuperabat. De quo Anaſtaſius. *Fecit & in Patriarchio Lateranenſi tricli-*

nia

Digitized by Google

nia nomini ſuæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis columnis tam Porbyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſibus, & liliis ſimul poſtibus decoravit cameram cum abſida de muſivo, & alias duas abſidas diverſas hiſtorias pingens, ſuper marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit &c. Hujuſce triclinii, noſtra ætate veſtigia quædam adhuc ſuperſunt, a Benedicto 14. Pontifice etiam reſtaurata, totumque ædificium, quod *Aula Leonina*, vel etiam *baſilica Leonina* dicebatur, deſcripſit, notiſque illuſtravit Alemannus. De quo Anaſtaſius etiam in Leone quarto teſtatur, Pontificem in die Natali Chriſti epulari ſolitum fuiſſe in Accubitu ſeu Triclinio a Leone III. Papa conſtructo, quia nempe poſtquam ſolemnes epulæ in Eccleſiis fieri deſiere, in adjunctis ad hunc uſum ædibus celebratæ ſunt. Alemannus cap. 9. & 10. quid dextræ patris abſidis, quid ſiniſtræ muſivum Leonis III. repræſentet, duabus muſivi tabulis delineatis inveſtigat, aitque. *Geminæ tabulæ ſunt, altera dextrorſum, ſiniſtrorſum altera collocata. Tres in utraque tabula perſonæ aliæ nituntur genibus, duo pro tribunali ſedent, Chriſtus videlicet parte dextera, ſiniſtra Petrus Princeps Apoſtolorum. Suus utrique Pontifex, hinc, inde Imperator ſubmittit genua, Chriſto Sylveſter, & Conſtantinus, Petro Leo, & Carolus. Horum pro ſua quiſque conditione ab illis ſumit inſignia. Imperatores vexilla, Pontificum alter ſinu claves, alter pallium accipit*, utramque tabulam de Romanorum Pontificum geſtis ſcriptores paſſim exhibent, atque inter ſe diſſident, num præfatas imagines Leo poſuerit, hoc tempore, an poſtquam Carolum anno 800. Imperatorem coronaverat. Rem incertam ſuis pro utraque parte conjecturis innixam, in incerto relinquimus; Anaſtaſius certe quadriennio antequam Carolus Imperiali corona exornaretur, Lateranenſe triclinium ab Leone tertio ædificatum, exornatumque fuiſſe narrat. Unde plura non addimus, cum vix hæc ſcire juvet. Titulum autem *Beatæ Suſannæ ubi Pontifex ordinatus fuerat ob amorem ipſius ampliavit, renovans firmiſſima fundamenta poſuit, ædificavit eccleſiam cum Abſide ampliſſima, & picturis de Muſivo decoravit*: aliaque plurima ibidem adjecit ab Anaſtaſio recenſita, ad rem

Jesu Chr. an. 798.

noſtram adnotare ſufficiet cum Ciampinio in ea eccleſia adhuc exatare Muſivum opus, quo Leo Papa in manibus eccleſiæ formam tenet, ex altera Carolus circa labia barbatus, cum gladio.

JESU CHRISTI annus 798. Leonis 3. Papæ 4.
Irenes Imperatricis 2.
Caroli M. Italiæ Regis 25.

Irenis Imp. legatio ad Carolum M.

1. Cum Irenes, exauctorato, & obcœcato filio, Imperium ſola adminiſtraret, legationem ad Carolum M. miſit ut pacem cum eo firmaret, quam dum Aquiſgrani eſſet Carolus recepit. Ut narrat Annaliſta Loiſellianus his verbis. *Legationem Græcorum a CPoli miſſam ſuſcepit. Erant enim legati Michael Patricius quondam Phrigiæ, & Theophilus Presbyter. Epiſtolam Irenes Imperatricis ferentes, nam filius ejus Conſtantinus Imperator anno ſuperiori a ſuis comprehenſus, & excæcatus eſt. Hæc tamen legatio de pace tantum fuit: quos cum abſolviſſet, abſolvit etiam cum eis*, ideſt dimiſit, *& Siſinnium fratrem Taraſii CPolitani Epiſcopi jam dudum in prælio captum*, eademque Eginhardus, ceterique Annaliſtæ; Hanc primam Irenes ad Carolum legationem, de pace tantum ineunda inter utrumque Imperium adnotat auctor, ut hanc ab altera nobiliori diſtingueret poſt annos aliquot miſſa, qua de nuptiis ineundis ab Irene cum Carolo, & de utriuſque Imperii unione actum eſt, ut infra dicturi ſumus.

Seracenorum excurſiones CPolim usque.

2. Interea cum imbellis, & ambitioſa femina Græcorum teneret Imperium, internis diſſidiis, ac per ſingulos annos ſeditionibus turbatum eſt, dum alii Conſtantini exauctoritati filios, vel conſanguineos ad Imperium evehere conabantur, aut mutuis inter ſe odiis certarent viri Patricii, præcipue Stauracius, & Ætius; Nam *Uterque de Imperio familiæ ſuæ, ac ſanguine ſibi poſt Irenes mortem conciliando ſententiam animo propoſuerat*, uti pluribus per hæc tempora narrat Theophanes. In tanta autem Orientalis Imperii perturbatione, Abimelech Seracenorum Dux Orientis provincias excurſionibus ſuis, & præcipue Cappadociam, & Galatiam afflixit, quem fruſtra miſſis ad eum Dorotheo Cryſopoleos Præpoſito, & Conſtantino magnæ eccleſiæ Carthophi-

philace, de ineunda pace Irenes rogavit, quin audacior factus. *In Romaniam ſuſcepta profectione* ait Theophanes ad hunc annum, *cum prædatoriis militum expeditorum turmis, ad uſque Mangana penetravit. Inde vero ex improviſo in Stauracii ſtabula irruens, ejus equis, nec non ipſo, quo Imperatrix vehebatur, equitatu raptis, citra damnum pedem retulit. Ceteri vero in Lydiam uſque penetrantes, maximam prædam inde reportaverunt. Alterum autem eorum agmen excurſionibus exercitatum, in Paulum Patricium Opſicii Comitem incidens, multa cedæ in univerſum exercitum, & ejus Optimates debacchatum eſt, & accepto belli toto apparatu, ipſum poſtmodum reſtituit, & ad ſuos remiſit.* Mangana locus erat Conſtantinopoli ſic dictus, quod in eo aſſervarentur machinæ bellicæ totius Urbis, & materiæ mechanicæ, & cetera ad Urbium oppugnationes idonea inſtrumenta, ut docet Codinus pag. 38.

Theodorus cum ſuis monachis CPolim migrat.

3. In his autem Seracenorum incurſionibus, cum nullibi ſecurus eſſet Theodorus monachus CPolim cum monachis ſuis migravit, cui monaſterium Studii ad habitandum conceſſum eſt. Ut in ejus vita narrat Michael ejus diſcipulus. *Impiis Arabibus Romanum Imperium per id tempus infeſtantibus, cum ſedes paſſim ſervitutis metu verterent, non ſolum propinqui, verum etiam remoti ac procul diſſiti: neceſſario faciendum patri viſum eſt, ut tempori cederet, nec manifeſto periculoſe, ſocioſque (quod amentis erat) objiceret. Quare in regiam urbem ſe recipit, Patriarchæ optabilis & Auguſtæ, quibus adventu ſuo ſe ſocium incredibilem attulit, Qui mox ſummis ab eo precibus contenderunt, ut Studii moderator cænobii, quod in urbe erat, eſſe vellet, & in eo monaſticæ exercitationis ſcholam collocaret, ut hac ratione a tanto viro civitatum principes ornarentur. Magnificum plane ac præcellens ejus cænobii templum, & ſive pulchritudinem, ſive amplitudinem ſpectes, paucis concedens.* Unde autem acciderit, ut idem monaſterium, Studium ſit appellatum, licet nos ſuo loco ſuperius diximus, rurſum iſtud audi ab eodem auctore, rem breviter perſtringente, cum pergit: *Venerat* (inquit) *ab Urbe Roma vir genere & opibus præſtans, Studius nomine (Eurrepium lingua noſtra vocare ſolet) qui & Patricii & conſulis honorem fuerat adeptus. Hic cum in hac urbe domicilium collocaſſet, præclarum hoc templum magno præcur-*

 ſori

Jesu Chr. an. 793.

ſori Baptiſtæ poſuit, monachorum deputans habitationi. Et quidem nullo unquam tempore defuerunt, qui communem in eo vitam agentes, præclara virtutis ac religionis ſuæ argumenta darent, quod Deo inviſus Conſtantinus Copronymus, indicto monachis bello, cum cæteris omnibus hos pariter ejecit. Poſtquam vero in priſtinum ſtatum res Eccleſiæ redierunt, ceſſavitque ſciſmatis perſecutio: eumdem locum monachi iterum ſed perpauci, nec plures (ut ferunt) numero, quam duodecim inhabitarunt. Hoc ergo cœnobium pater cum inſigni templo aptiſſimum & ornatiſſimum nactus, ex conditoris mente ſcilicet addit, diſcipuloſque ſuos in eo conſtituit. Pergitque auctor pluribus dicere, qua ratione, beatus Theodorus cujuslibet generis, & conditionis homines in monaſterium ſuum recipiebat, eoſdemque exemplo, & exhortationibus ad pietatem excitabat.

Theodori Studitæ ſcripta.

4. Nec ſolum pietate, ſed etiam ſcriptis, & eruditione nomen ſuum Theodorus poſteritati commendavit. De quibus hæc idem auctor. *Edidit præterea inſtitutiones jambicis verſibus conſcriptas, quemadmodum unumquemque imperata facere oporteret. Quorum verſuum contextus initium a propoſito ipſo duceret, cum deinde ceteros omnes ad infimum uſque percurrens, definit ac ſtatuit, quibus pœnis, quibuſque ſeparationibus, aut genuflexionibus affici debeat, qui ad divinas laudes tardius venerit, qui vas confregerit aut temere projecerit: ac negligentius tractarit: qui fratrem in re quapiam offenderit, qui in loquendo modum exceſſerit, & linguæ frenum non injecerit, quibus omnibus congruentes pro delicti modo pœnas impoſuit.* Porro monachorum numerum ad decem perveniſſe centenaria, idem ſupracitatus auctor affirmat, qui pariter occaſione laboris operum manuum ſingulis præſcriptorum, ejuſdem Theodori ſcripta recenſuit, ſed primum in deſcribendis codicibus ejus labores ſic narrat: *Memor autem Beati Pauli dicentis: Neque gratis panem manducavi, ſed manus iſtæ mihi, & iis qui mecum erant, miniſtraverunt: laborare & ipſe conſtituit, manus continuo verſans in codicibus, operamque ſuam ad eos adjungens ex diſcipulis, qui opus manu faciebant. Extant apud nos ad hunc diem ejus manuſcripta pulcherrima. Compoſuit & libros alios, quos propria lingua dictavit, quorum ſenſus manifeſtam quandam divinæ gratiæ vim oſtendunt. In*

In his primum locum tenet, qui parva dicitur Catecheſis, quatuor & triginta ſupra centum diſtincta ſermonibus, quos quidem fratribus, ipſe pronuntiavit, congruentes cuique diei ſingulos, lectiſſimis ſententiis, verbiſque ornatiſſimis ſcite admodum pertractans, nunc de animi fortitudine adverſorumque contemptu, de monaſticæ obſervationis perſeverantia, & membrorum mortificatione, nunc de conſtantia in quotidianis certaminibus, & præſtantia adverſus caſus omnes animi contentione. Ex hoc libro tres ſermonum particulæ prima quaque die hebdomadis apud nos in Eccleſia recitari conſueverunt. Alterum deinde librum elaboravit, magnum Catechiſticum tribus membris ſeu partibus comprehenſum, qui egregia cœnobii inſtituta ſingillatim declarat, diſciplinam tradens ſupra quam dici queat utiliſſimam. Quantum vero utrique inſit gratiæ, cæleſtiſque philoſophiæ, cuivis notum, qui eorum lectionem vel leviter attigerit. Etenim multi ſane libros multos, eoſque utiles elucubrarunt elegantia & ſermonis ornatu excellentes, mihi tamen ſic perſuadeo, nullo ex alio tantum lucis, tantumque compunctionis haurire animam, quantum ex patris Catecheſibus, quæ ſingularem cum ſuavitate perſuadendi vim habent, & conjunctam cum utili gratiam præſeferunt. Scripſit præterea vir divinus panegyricum volumen, in quo inſignes Domini dies feſtos enarrat, & præclaris orationibus exornat, nec Domini ſolum, verum etiam Deiparæ, & præcurſoris item Joannis Baptiſtæ, cujus etiam ſolitudinem, vitamque ad hominum congreſſu ſemotam eleganti hymno celebravit. Scripſit & librum Jambicis verſibus, in quo & primi parentis ortum: lapſumque deſcripſit, Caimoque invidiam ac manum quæ fratri, hec injecta, cædem patravit iniquiſſimam. Enochi deinde gratam innocentiam, ac Noe, ejuſque filiorum exortum, vitam converſationem. Recenſuit inſuper eodem opere univerſam Iconomachorum hæreſim, quos ut malorum fautores atque auctores anathematis nota perſtrinxit. Epiſtolarum autem ejus libri quinque ſunt numero, qui apud nos hactenus aſſervantur: In his & ſingularem patris libertatem videre eſt, & ſolicitudinem ac ſedulam induſtriam, & quemadmodum inter calamitates erectus ſemper manſerit & invictus, nullis ærumnis fractus, nihil remittens de mentis propoſito in tantis incurſibus & temporum injuriis. Præter hos omnes Dogmaticum

JESU CHR. AN. 798. *cum etiam librum compoſuit, in quo validæ inſunt diſputationes refutatoriæ mirabiliter contextæ ad diſſolvenda Iconomachorum ſophiſmata, quibus illi ſic urgentur, & anguntur, ut nec ſpirare eos ſinat, veriſque dogmatum argumentis illorum mendacia expugnet ac dejiciat. Contra impios autem Imperatores multis invehitur, illos pariter congruenti oratione contingens, quæ illorum vitæ moribuſque perpetuam notam inuſſit. Atque hi ſunt libri, quos Deifer pater ore ſuo edidit, ac diſertiſſima lingua explanavit.*

Platonis monachi vitæ aſperitas.

5. Theodoro Platonem addimus, cujus vitam Theodorus ipſe deſcripſit, ac inter plurima de ejuſdem vitæ auſteritate hæc adnotat. *Propter gentis barbaræ incurſionem ex priori monaſterio migravimus Bizantium, ubi pater noſter,* ideſt Plato. *Virtutis amantiſſimus, ne cogeretur reſumere habenas regiminis, vitam recluſam elegit*, atque eum in cella anguſtiſſima, & æſtatis tempore adeo calida, ibidem degiſſe addit, ut *Altera babilonica fornax videretur propter inflammationem plumbi quo tegebatur*. Ferreamque catenam magni ponderis pedi alligatam ſemper detuliſſe adnotat. At de Theodori monachi geſtis, & ſcriptis infra iterum redibit ſermo.

Caroli M. victoria de Saxonibus.

6. Hoc quoque anno adverſus Saxones arma movens Carolus, inſignem ex iis victoriam tulit, cujus geſta deſcribens Annaliſta Lambeccianus adnotat, eum apud Heriſtallum Paſcha celebraſſe, in Saxones deinde profectum, comitantibus cum Abotridis. *Et quamvis illi Abotridi fanatici erant*, (ideſt Gentiles & Ethnici) *tamen fides chriſtianorum, & Domni Regis adjuvit eos, & habuerunt victoriam ſuper Saxones, & ceciderunt de ipſis Saxonibus ante eos in ipſa pugna duo millia novemcentum, & unum, & inde Rex remeavit ad Franciam &c.* Et Aquiſgrano hyemavit. Eademque fere de Saxonica Caroli victoria Eginhardus in ejus vita, Regino, ceterique Francorum annales.

Alphonſi Hiſp. Regis legatio ad Carolum M.

7. Dum in Heriſtallo, aut Aquiſgrano eſſet Carolus, legationem ab Alphonſo Hiſpaniarum Rege miſſam, cum muneribus ſuſcepit, ut paſſim ſupracitati auctores narrant. *Hoc anno* ait Regino, *Alfunſus, quod idem eſt, quod Adefonſus, ſive Alphonſus Rex Gallæciæ & Aſturiæ per Frojum legatum ſuum papilionem miræ pulchritudinis Regi Carolo miſit*. Et inferius eodem anno: *Hadofuns quoque ſupra-*

prædictus Rex prædata Aliſipona Hiſpaniæ civitate, inſignia victoriæ ſuæ loricas, mulos, captivoſque Mauros per Frojum & Baſiliſcum legatos ſuos Carolo miſit. Hæc ibi. Ex quibus patet magnam amicitiæ conſuetudinem interceſſiſſe inter Alfonſum caſtum, & Carolum Magnum, ambos Reges pietate inſignes. Teſtatur hoc ipſum Eginhardus in Vita Caroli, cum ait: *Adeo namque Adelphonſum Gallæciæ, atque Aſturiæ Regem ſibi ſocietate devinxit, ut is cum ad eum litteras, vel Legatos mitteret, non aliter ſe apud illum quam proprium ſuum appellari juberet.*

Alcuini conſilio Carolo datum, ut Hunnos a decimarum ſolutione liberaret.

8. Cum inter Hunnos nuper a Carolo victos, de inferenda chriſtiana religione Carolus æque, ac Albinus ſeu Alcuinus maximam ſollicitudinem gererent, eaque jam inter barbaras gentes, radices fixiſſe videretur, prudenti ſane conſilio Alcuinus Carolo ſuggeſſit, ut decimarum exactiones ibidem fieri prohiberet. Ac deinde evangelii prædicatores ibidem miſſos admonuit, ut baptiſmum non ante conferrent quam populum erudierint, atque ex Sancto Auguſtino, & Hieronymo, quo ordine ætate adulti in chriſtiana fide inſtruendi, & baptiſmate abluendi eſſent, epiſtola eadem Carolo Regi, & ſanctis Verbi prædicatoribus data edocet, Regemque hortatur, ut *Pios populo novello prædicatores, moribus honeſtos, ſcientia ſacræ fidei edoctos & evangelicis præceptis imbutos*, mitteret. Deinde de decimis remittendis addit. *Veſtra ſanctiſſima pietas ſapienti conſilio prævideat, ſi melius ſit, rudibus populis in principio fidei jugum imponere decimarum, ut plena fiat per ſingulas domus exactio illarum, an Apoſtoli quoque ab ipſo Chriſto Deo edocti, & ad prædicandum mundo miſſi, exactiones decimarum exegiſſent, vel alicubi demandaſſent dari conſiderandum eſt. Scimus quia decimatio ſubſtantiæ noſtræ valde bona eſt, ſed melius illam amittere, quam fidem perdere. Nos vero in fide Catholica nati, nutriti, & edocti vix conſentimus ſubſtantiam noſtram pleniter decimare. Quanto magis tenera fides, & infantilis animus, & avara mens illarum largitati non conſentit? Roborata vero fide & confirmata conſuetudine Chriſtianitatis, tunc quaſi perfectis fortiora danda ſint præcepta, quæ ſolida mens religione chriſtiana non abhorreat.* Hæc ille, qui in epiſtola altera ad eumdem anno ſequenti. *Olim veſtræ ſanctiſſimæ pie-*

JESU CHR. AN. 798. *pietati, de exactione decimarum dixi, quia forte melius eſt, vel aliquanto ſpatio, ut remmittatur publica neceſſitas,* donec fides *radicitus inoleſcat &c.*

Alcuini epiſt. Leidrado Lugdun. Epiſc. data.

9. Leidradus, ſive Liobradus Lugdunenſis Epiſcopus hoc anno electus, cum, Alcuino congredi, mutuiſque colloquiis erudiri cupiens, datis ad eum litteris, ubi & quando id fieri poſſet exquiſierat, cui Alcuinus reſpondens, id adhuc ſe neſcire his verbis teſtatur. *Quod vero me interrogare voluiſti de certitudine voluntatis, vel loci, nihil tibi certum adhuc remandare habeo, niſi Deo miſerante, & vita comite, adhuc viſurus eris faciem meam, licet neſciam propter occupationes meas, vel veſtras, ubi, aut quando.*

Alcuini epiſt. 75. ad monachos Lugdun.

10. In Epiſtola autem ſequenti ad Lugdunenſes monachos, ſeu fratres data, ſe quidem ab Laidrado Lugdunenſi Epiſcopo electo, de eorumdem religioſa converſatione edoctum fuiſſe ſignificat. At an id voce, vel ſcriptis didicerit, ignoratur. Eaque occaſione, ut ab erroribus, quibus Hiſpani tenebantur, caverent, eos admonet, quos triplici errore detentos fuiſſe adnotat. *Novas vero*, ait, *fratres cariſſimi, Hiſpanii erroris ſectas, nota vobis cavete intentione, Sanctorum Patrum in fide ſequimini veſtigia &c.* Horum primus de adoptione, ſeu de hæreſi Elipandi & Felicis, qua Jeſum Chriſtum Dei filium adoptivum dicebant, ſecundus error in eo, quod ſalem contra eccleſiæ conſuetudinem in ſacrificio Corporis Chriſti, adhibendum eſſe dicebant. Tertius demum, quo baptiſmum ſub unica merſione nonnulli conferrent.

De baptiſmate ſub una vel trina merſione conferrendo.

11. *Tertia quoque nobis de Hiſpania*, inquit, *quæ olim tyrannorum, nunc vero ſchiſmaticorum, contra univerſalem ſanctæ Dei eccleſiæ conſuetudinem, de baptiſmo quæſtio delata eſt. Affirmantes quidam ſub invocatione ſanctæ Trinitatis unam eſſe merſionem agendam, videtur enim Apoſtolus huic obſervationi eſſe contrarius, in eo loco ubi ait. Conſepulti enim eſtis in Chriſto per baptiſmum.* Quare trinis merſionibus triduanam Chriſti in ſepulchro manſionem exprimi ajebat, quod etiam aliis auctoritatibus, & rationibus confirmare ſatagit. Quia vero Hiſpani conſuetudinem ſuam ex Epiſtola Gregorii Magni ad Leandrum data, tuebantur, eamdem ignotam ſibi ac ſuſpectam eſſe Alcuinus ait. *Epiſtolam vero, quam a B. Gregorio de ſimpla merſione*

ne dicant eſſe conſcriptam, in epiſtolari ſuo libro, qui de Roma nobis allatus eſt, non invenimus. Alias vero omnes perſpeximus in eo libro, quem ad Occidentalium partium eccleſias, Pontifices, & Reges ſcripſerat. Ideo dubii ſumus, an illius ſit, an ab aliquo hujus ſectæ auctore ſub ejus nomine ſcripta ſit &c. Fruſtra tamen, quin etiam injuria, eamdam unicæ merſionis conſuetudinem, inter errores Hiſpaniarum reponebat Alcuinus, uti Ugo Medardus in obſervationibus ad ſacramentarium S. Gregorii, & Mabillonius in elogio S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi obſervarunt. Cum etenim Ariani in Hiſpania, ut tres naturas divinas in tribus perſonis diſtinctas demonſtrarent, trina merſione cathecumenos baptizarent, ne Arianorum ritum in baptiſmate ſervantes catholici, arianorum doctrinam ſequi viderentur. Gregorio M. in epiſtola ad Leandrum Hiſpalenſem data viſum eſt, ut unica merſione baptiſmum conferrent, quam conſuetudinem, tanti Pontificis auctoritate probatam, Toletana ſynodus confirmaverat canone quinto, unde immerito inter abuſus, & errores, eamdem conſuetudinem Alcuinus recenſuit, cujus etiam meminit in Epiſtola ad Paulinum Forojulienſem Patriarcham, qua inter errores in Hiſpania tunc graſſantes, hunc quoque commemorat, dicens. *Sed & frigidiſſimus Aquilo ventus, alio de latere ſolidam eccleſiæ parietem impellens, ſacri baptiſmatis catholicæ conſuetudinis regulam immutare nitens, & ſub invocatione ſanctæ Trinitatis unam aſſerentes merſionem fieri debere, triduanamque noſtri Salvatoris ſepulturam in baptiſmo imitari negligentes &c.* Eorum vero errorem merito arguit, qui in trina merſione baptizantes, ter ſanctiſſimam invocabant Trinitatem. Unde ſubdit. *Alii vero trinam volentes facere merſionem, & in unaquaque merſione invocationem ſanctæ Trinitatis, ac per hoc totas tres perſonas ter nominare ſtudentes, dum ipſa veritas præciperet. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Quid opus eſt tertio replicare, quod ſemel dictum ſufficit.* Hæc de ea quæſtione Alcuinus, zelum ubique ſuum tum pro catholica fide ſervanda, cum pro eccleſiæ diſciplina, & ritibus religioſe ſervandis, demonſtrans.

JESU CHRISTI an. 799. Leonis tertii Papæ an. 5.
Irenes Imperatricis anno 3.
Caroli M. Italiæ Regis an. 26.

Leo Papa a ſeditioſis vexatus.

1. Hoc octavi ſeculi anno ultimo 799. Immane ſane ſcelus, horrendumque ſacrilegium Romæ patratum eſt adverſus Leonem Pontificem, quod vix a Gentilibus nomini chriſtiano infenſis, vel ab hæreticis catholicæ fidei perduellibus tentatum umquam fuerat, idque quod magis mireris, ab Hadriani Pontificis familiaribus, vel etiam cognatis, qui in Romano clero primas obtinebant dignitates, dum invidia tabeſcentes, quod Leo ipſis in Pontificis electione prælatus fuiſſet, Satanico abrepti furore, ſacrilegas in eum manus injicere non dubitarunt, ac dum ſacram Litaniam die ſeptima Kal. Maii acturus, Patriarchio egreſſus, ex Sancti Georgii eccleſia, ad eccleſiam S. Laurentii, quæ in Lucina dicitur, pergeret, oculos ei eruere, linguamque redicitus præcidere conati ſunt, vel etiam præciderunt, tam immani vulgato facinore, totus inhorruit orbis, ac lugubri ſtylo hujus ætatis ſcriptores poſteris rem geſtam tradiderunt, ac præcipue Anaſtaſius hujus temporis ſcriptor, ac de geſtis Romanorum Pontificum ſui temporis præcipuus & acuratiſſimus ſcriptor. Adnotat itaque, quod cum a Notario Rom. eccleſiæ præces indictæ fuiſſent, ſeu Litaniæ, atque ex S. Georgii eccleſia, ad Eccleſiam S. Laurentii cum frequenti virorum, ac mulierum caterva pergeret. *Obviam illi ſine planeta Paſchalis Primicerius occurrit, & in hypocriſi veniam illi petebat, dicens, quia infirmus ſum & ideo ſine planeta veni. Tunc ſanctiſſimus Præſul veniam illi dedit. Similiter & Campulus Sacellarius: qui in ipſorum doloſitate pariter in Pontificali obſequio pergentes, & dulcia verba, quæ non habebant in pectore cum eo loquentes, maligni & iniqui ac perverſi, falſique Chriſtiani, prorſus Pagani filii diaboli in unum ſe ſatanice colligentes, pleni iniqua cogitatione, in ipſo itinere, ante monaſterium ſanctorum Stephani & Silveſtri, quod dominus Paulus Papa fundaverat, clam armati aſtitere, atque repente de loco inſidiarum exilientes, ad ipſum, (quod dictu nefas eſt) trucidandum abſque ulla reverentia confluxerunt, Paſchale ad* caput

caput ſtante, & Campulo ad pedes, ſecundum iniquum eorum conſilium. Accidiſſe autem id ſeptimo Kalendas Maij Ado confirmat. Pergit Anaſtaſius. *Quo facto, omnis qui circa eum erat populus, cum eſſet inermis in divino, officio preparatus, timore armorum perterritus, in fugam converſus eſt. Ipſi vero inſidiatores atque operatores malorum, Judaico more ſine ullo divino, vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram projecerunt, & abſque ulla miſericordia ſcindendo, expoliando eum, crudeliter oculos evulſere, & ipſum penitus necare conati ſunt, nam & lingua ejus ab ipſis præciſa eſt. Et ut ipſis omnino tunc arbitrati ſunt, cæcum eum, & mutum in media platea dimiſere. Verum ipſi maligni Paſchalis, & Campulus ſicut veri Pagani & impii ad ipſius monaſterii Eccleſiam ante Confeſſionem eum trahentes, ante ipſum venerabile altare iterum oculos, & linguam amplius crudeliter eruere, & plagis eum diverſis, ac fuſtibus cædentes laniaverunt, & ſemivivum in ſanguine revolutum ante ipſum altare dimiſere. Poſtmodum vero ſub cuſtodia in ipſo monaſterio dimiſere. Timore autem perterriti, ne a Chriſtianis hominibus inde furatus eſſet, tunc malignum conſilium adepti, ſicut ipſe Hegumenus monaſterii ſancti Geraſimi profeſſus eſt, fecerunt eum ad ſe venire clam per noctem tam Paſchalis malignus, qui tunc Primicerius erat, quam Campulus Sacellarius, & Maurus Nepeſinus, & miſerunt in prædictum monaſterium ſancti Sylveſtri cum pluribus iniquis conſentaneis ipſorum malefactoribus, ſic eum per noctem exinde abſtrahentes deduxerunt in monaſterium S. Geraſimi, & in arcta & anguſta cuſtodia eum recluſerunt &c.* An revera oculos Pontifici eruerint, linguamque præciderint, an id agere tantum tentaverint, incertum eſt, etſi id Anaſtaſius, aliique tradiderint, atque id quidem tentatum Sicarii confeſſi ſunt, non vero factum. Unde id quoque mirum fuiſſe Theodulphus his verſibus cecinit.

Seditioſa cohors Judam eſt ex parte ſecuta,
Ille necem Domini, Præſulis iſta volens,
Reddita namque negat, negat hæc ablata fuiſſe
Nec auferre tamen ſe voluiſſe canit,
Reddita ſunt: mirum eſt: mirum eſt auferre nequiviſſe.
Eſt tamen in dubbio hinc mirer, an inde magis.

 Ideſt

Jesu Chr. an. 799.

Ideſt utrumque mirum eſt, nam ſi oculis evulſis, linguaque preciſa, Dominus evulſa, vel præciſa membra reſtituerit, quam quod eruere, præcidereque tentantes, Deo prohibente, non potuerint.

Leo ab impiorum manibus eruitur.

2. Juſtum autem ſuum Deus in vinculis non dereliquit, ſed miro ſane modo de manibus iniquorum eum liberavit, ac oculos, linguamque, dum adhuc in monaſterio Geraſimi eſſet, eidem reddidit, ait Anaſtaſius, ac inde Albini cubicularii opera, cui fideles alii adſtipulati ſunt inde ereptus, eum in baſilica B. Petri Apoſtolorum Principis deduxere, quod ubi ad ſeditioſorum notitiam delatum eſt. *Albini domum deprædantes* Paſchalis, & Campulus, *deſtruxerunt*, ait Anaſtaſius.

Leo Papa ad Carolum M. perductus.

3. Cumque in eccleſia B. Petri degeret ſanctus Pontifex priſtinæ ſanitati, divinitus reſtitutus eſt. *Confeſtim Vinigiſus glorioſus Dux Spoletanus cum ſuo exercitu obviavit: & cum ſummum Pontificem videntem, & loquentem conſpexiſſet, venerabiliter eum recipiens Spoletum deduxit glorificans Deum & laudans Dominum, qui per talia mirabilia eum clarificavit*. Annales autem Francorum, addunt, apud ſanctum Petrum tunc contigiſſe morari Legatos Caroli Magni: ex iis unus Vuiraldus Abbas, quorum ope fultus Pontifex, una cum Duce Spoletano Vuinigiſo, Spoletum (ut dictum eſt, perductus fuit. Pergit vero Anaſtaſius. *Quo audito, per diverſas civitates Romanorum fideles ad eum occurrere, & pariter cum aliquibus ex ipſis civitatibus Epiſcopis, Presbyteris, ſeu clericis Romanis, & primatibus civitatum ad excellentiſſimum dominum Carolum Regem Francorum & Longobardorum, atque Patricium Romanorum profectus eſt. Ipſe vero Chriſtianiſſimus & Orthodoxus atque præcipuus, clementiſſimuſque Rex, illico ut audivit, miſit in obviam ejus Gildivaldum Archiepiſcopum & Cappellanum, & Aſchatium Comitem, & poſtmodum proprium filium ſuum Pipinum excellentiſſimum Regem cum aliis Comitibus obviam ei iterum, & uſque ubi ipſe magnus Rex ei obviavit, & ſicut Vicarium B. Petri Apoſtoli venerabiliter & honorifice cum hymnis & canticis ſpiritualibus eum ſuſcepit, pariter ſe amplectentes, cum lacrymis ſe oſculati ſunt. Et prædicto Pontifice, Gloria in excelſis Deo inchoante, & cuncto clero ſuſcipiente, oratione ſuper cuncto populo data, tunc benigniſſimus dominus*

minus Carolus Magnus Rex addictum Pontificem conſpicens, gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia ſuper famulum ſuum per ſuffragia principum Apoſtolorum Petri, & Pauli operatus eſt, & ad nibilum prædictos viros iniquos deduxit.

Leo Papa ab ab Carolo honorificè excicipitur, & dimmititur.

4. Totius tragœdiæ ſeriem paucis verbis complectitur Lambeccianus annaliſta Caroli geſta hoc anno enarrans. *Anno 799. iterum dominus Rex Carolus apud Aquiſgrani Palatio celebravit Paſcha, & inſtigante diabolo Romani comprehenderunt Domnum Apoſtolicum Leonem in ipſis Lætaniis, quod eſt VII. Kal. Maij, & abſciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere. Sed juxta Dei diſpenſationem, malum, quoad inchoaverunt, non perfecerunt. Et Domnus Rex eodem anno introivit in Saxoniam, & reſedit ad Padresbrunna, & ibi venit Domnus Leo Apoſtolicus, quem antea volebant Romani interficere, & ſuſcepit eum Domnus Rex honorifice, & multis donis & honoribus eum honoravit, & poſtea cum pace & honore magno eum remiſit ad propriam Sedem, & Miſſi Domni Regis deducebant eum honorifice, & eos qui in mortem ejus conſiliati ſunt, tranſmiſerunt ad Domnum Regem, & ſunt modo, ut digni ſunt in exilio.* Atque ex his conſtat ea tum ſcripſiſſe auctorem, quæ ſuo tempore contingerant, ut ibidem adnotat Lambecius.

Carolus M. de geſtis adverſus Leonem Papam, Alcuinum conſulit.

5. Ut immane ſcelus Romæ adverſus Pontificem patratum audivit Carolus M., quid ſibi agendum eſſet, anxius hœrebat, ac Alcuinum conſulendum cenſuit, ut ex Alcuini Epiſtola ad eum data conſtat, qua litteris Caroli, quæ periere reſpondet, atque in hanc cauſam hæc ſuggerit. *Plurima veſtræ venerandæ dignitati præſens ſuaderem, ſi vel vobis opportunitas eſſet audiendi, vel mihi eloquentia dicendi, quia calamus caritatis cordis mei arcana inſtigare ſæpius ſolet, de veſtræ Excellentiæ proſperitate tractare, & de ſtabilitate Regni vobis a Deo dati, & de profectu Sanctæ Eccleſiæ Chriſti, quæ multimoda improborum perturbata eſt nequitia, & ſceleſtis peſſimorum auſibus maculata, non in perſonis tantum ignobilibus, ſed etiam in maximis & altiſſimis, quod metuendum eſt valde. Nam tres perſonæ in mundo altiſſimæ hucuſque fuerunt: (ideſt), Apoſtolica Sublimitas, quæ B. Petri Principis Apoſtolorum Sedem vicario*

mu-

munere regere ſolet. Quid vero in eo actum ſit, qui Rector præfatæ Sedis fuerat, mihi veneranda bonitas veſtra innoteſcere curavit. Alia eſt Imperialis Dignitas: & ſecundæ Romæ ſecularis potentia. Quam impie gubernator Imperii illius depoſitus ſit, non ab alienis, ſed a propriis & concivibus, ubique fama narrante crebreſcit. Tertia eſt Regalis Dignitas, in qua vos Domini Jeſu Chriſti diſpenſatio Rectorem populi Chriſtiani diſpoſuit: ceteris præfatis dignitatibus potentia excellentiorem, ſapientia clariorem, Regni dignitate ſublimiorem, ac ut moderatam excerceret vindictam, his verbis hortatur. *Nullatenus capitis cura omittenda eſt. Levius eſt pedes dolere, quam caput. Componatur pax cum populo nefando, ſi fieri poteſt. Relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant, ſed in ſpe retineantur, donec ſalubri conſilio ad pacem revocentur. Tenendum eſt, quod habetur, ne propter aquiſitionem minoris, quod majus eſt, ammittatur. Servetur ovile proprium, ne lupus rapax devaſtet illud. Ita in alienis ſudetur. Ut in propriis damnum non patiatur &c.* Timebat quippe Alcuinus, ne acerbitate ſupplicii exacerbati Romani, aliquid vel adverſus Pontificem, vel adverſus Regem molirentur, ac cum duce Beneventano, qui tum adverſus Romanos in armis ſtabat, vel cum Græcis, qui Siciliam adhuc tenebant, opportnitatem expectantes recuperandi, vel Romanum ducatum, vel Exarchatum Ravennatenſem, vel etiam ipſum Carolum, ejuſque filium Pippinum Longobardico Regno exturbarent, hinc ut mitius ageret, ſuaſit, cujus conſilium Carolus ſecutus eſt, nam exilio tantum tanti ſacrilegii reos mulctavit.

Alcuinus, Romam ire recuſat.

6. Interea Carolus, qui Aquiſgrano Paſcha celebraverat, Rheno trajecto Paderbonam uſque Leoni Pontifici obviam factus, ut ex Lambeciano Annaliſta audivimus, dum eum in Italiam, & ad urbem cum miſſis ſuis remittere cogitabat, datis ad Alcuinum litteris, ut Leoni itineris comes fieret, hortatus eſt, excuſationem tamen Alcuinus petiit, nam ſubdit. *De illo itinere longo & laborioſo Romam eundi, nullatenus infirmum, & quotidianis fractum doloribus corpuſculum meæ fragilitatis perficere poſſe arbitror. Deſiderium jam habuiſſem, ſi poteſtas eſſet peragendi. Ideo obſecro clementiſſimam paternitatis veſtræ benevolentiam, ut dimittatis me fideliter, & inſtanter orationibus cum Deo ſervien-*

vientes apud ſanctum Martinum veſtrum iter adiuvare &c. Jᴀsu Chr.
Eadem vero Epiſtola de adventu Leonis Papæ ad eum. ᴀɴ. 799.
Sicut de Domino Apoſtolico, ait, *nuper actum*, *per veſtras ſuaviſſimas litteras audivimus*, *qui etiam veſtræ beatiſſimæ præſentiæ gaudet advenire*, *ut innotuit nobis chartbula benignitatis veſtræ*, & iterum paulo poſt. *Ecce quod actum eſt de Apoſtolica ſede in civitate præcipua*, *in dignitate excellentiſſima*, *quæ omnia veſtro tantummodo ſervantur judicio*; *ut prudentiſſimo conſilio ſapientiæ vobis a Deo datæ temperata conſideratione corrigantur*, *quæ corrigenda ſunt*, *conſerventur*, *quæ conſervanda ſunt*, *& quæ clementer divina geſſit pietas extollantur in laudem nominis illius*, *qui ſalvum fecit ſervum ſuum*, ideſt Leonem Pontificem, *& liberavit a perſecutione execrandæ infidelitatis*. *Veſtra vero ſapientiſſima animi prudentia*, *dum omnia intelligat*, *quid cui conveniat perſonæ in benefaciendo*, *ſive in vindicando*, *faciat & perficiat*, *quod Deo placet*, *& omnibus bona in vobis voluntas oſtendatur*, *laudetur*, *& ametur*. Hæc ad Carolum Alcuinus, qui in fine epiſtolæ, ut Leonem Pontificem, ad ſe venientem, ac ob acceptas injurias mœrentem, lœtiorem in urbem remitteret his verſibus admonet.

Qui triſtis venit, redat jam lætus ad urbem
Per pia dona Patris, conſiliumque ſacram
Quod petit inveniens, quidquid ſperavit adeptus,
Huic quoque laudes hymnidicans referens

Quia vero Carolus officioſe Alcuino objecerat, quod Romanum iter ſuſcipere recuſaſſet, quaſi fumoſa Turonis tecta, auratis Romanorum arcibus præponeret, & ipſe quoque cum Carolo ludens Alcuinus Epiſtola altera ad eum anno proximo data, cum iter Romanum ſuſcepturus eſſet hæc ſcribebat: *Sed & de hoc quod mihi improperare voluiſtis*, *me fumo ſordentia Turonorum tecta*, *auratis Romanorum arcibus præponere*. *Scio veſtram legiſſe prudentiam* Salomonicum illud elogium. *Melius eſt ſedere in angulo domatis*, *quam cum muliere litigioſa in domo comuni*, *& cum pace dicam*, *magis ferrum nocet oculis*, *quam fumus*, ita plane ad Leonem alludens, quem impii Sicarii ferro excœ-

cœ-

JESU CHR. AN. 799. cœcarunt, vel excœcare conati ſunt. *Turonis enim fumoſis tectis contenta Deo donante, per veſtræ bonitatis providentiam in pace permanent. Roma vero, quæ fraterna diſcordia initiata eſt, inſitum diſſenſionis venenum hucuſque tenere non ceſſat, veſtræque venerandæ dignitatis potentiam, ad hujus peſtis compeſcendam perniciem, e dulcibus Germaniæ ſedibus feſtinare compellit &c.* Se tamen pro ejuſdem itinere, & reditu continuas ad Deum preces effundere addit Alcuinus, qui totam hanc hiſtoriam verſibus deſcripſit.

Leo Papa Romam rediens cum gaudio excipitur. 7. Eodem autem honore, quo Paderbonæ Leo Papa ab Carolo exceptus fuerat, eodem inquam, inde in ſuam ſedem dimiſſus eſt, nam etſi. *Præfati iniqui, & filii diaboli moliti ſunt, Deo illis contrario, falſa adverſus ſanctiſſimum Pontificem imponere crimina, & poſt eum ad prædictum mittere Regem, quod nequaquam probare potuiſſent,* ait Anaſtaſius, hinc ſubdit. *Dum adhuc apud prædictum clementiſſimum magnum Regem præfatus Pontifex cum magno & condecenti honore degeret, ex omni parte tam Archiepiſcopis, quam Epiſcopis, & cæteris ſacerdotibus venientibus, una cum filio ejuſdem piiſſimi magni Regis, omnibuſque eximiis Francis, Deo prævio, illum remeantem in ſuam Apoſtolicam Sedem honorifice cum nimio (ut decuit) remiſerunt honore, qui per unam quamque civitatem, tamquam ipſum ſuſcipientes Apoſtolum, uſque Romam deduxerunt. Quum Romani præ nimio gaudio ſuum recipientes Paſtorem, omnes generaliter in vigiliis beati Andreæ Apoſtoli, tam proceres clericorum cum omnibus clericis, quamque Optimates, & Senatus, cunctaque militia, & univerſus populus Romanus cum ſanctimonialibus, & diaconiſſis, & nobilibus matronis cum univerſis fœminis, ſimul etiam & cunctæ ſcholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Friſonum, Saxonum, atque Longobardorum, ſimul omnes connexi ad pontem Milvium cum ſignis & bandis, & canticis ſpiritualibus ſuſceperunt, & in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli eum deduxerunt, ubi & Miſſarum ſolemnia celebravit. Et omnes communiter corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter participati ſunt, & alia die ſecundum olitanam conſuetudinem natale beati Petri Apoſtoli celebrantes, Romam ingrediens cum multo gaudio & lætitia, in patriarchium Lateranenſe introivit.*

8. Cum

Jesu Chr. An. 799. Inſidiatores vitæ Leonis Papæ exilio relegantur.

8. Cum vero ſuam ſedem cum gloria recepiſſet Leo Papa, Caroli legati Romam cum eo miſſi, de nefariis in Pontificem geſtis, quæſtionem habuerunt. *Poſt aliquantos dies*, ait iterum Anaſtaſius, *fideliſſimi miſſi, qui cum eo venerunt in Pontificale obſequium, videlicet Gildivaldus, & Arno reverendiſſimi Archiepiſcopi, atque Cunibertus, Berabardus, Atto, & Jeſſe reverendiſſimi ſanctiſſimi Epiſcopi, nec non & Flaccus electus Epiſcopus, una cum Kelmgoth, Reticario, & germano glorioſis Comitibus, reſidentes in Triclinio ipſius Domni Leonis Papæ, & per unam, & amplius hebdomadam, inquirentes ipſos nefandiſſimos malefactores, quam malitiam ab ipſorum Pontifice habuiſſent tam Paſchalis, quam Campulus cum ſequacibus eorum, & nihil habuerunt adverſus eum quod dicerent. Tunc illos comprehendentes prædicti Miſſi Magni Regis, emiſerunt eos in Franciam*. Hæc ibi. Quæ omnia facta eſſe ſubdit ante adventum ipſius Caroli Magni Romam, qui contigit anno ſequenti, licet judicium hujuſmodi præſente Carolo factum alii tradant. Sed dices quomodo fieri potuit, ut tam atrocia perpetrata ſcelera levi exilio punirentur? Regino his ſatisfacit, dum tradit pro ſuis perſecutoribus exoraſſe ipſum Leonem Pontificem, ne quid detrimenti in ipſorum corporum membris paterentur; idque ipſi enixe roganti conceſſum eſſe, cum tamen antea capitis ſententiam accepiſſent. Idemque teſtantur Annales Francorum, ſub Ludovico, filio Caroli M., conſcripti. In vita autem Caroli M. per annos ſingulos ſcripta, hæc etiam leguntur: *Poſt paucos autem dies juſſit Carolus, eos qui Papam anno ſuperiori dehoneſtaverant exhiberi, & habita decies ſecundum legem Romanam, quæſtione, ut majeſtatis rei capite damnati ſunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu ad Imperatorem interceſſit, & vita, & membra eis conceſſa ſunt, ſed pro facinoris magnitudine exilio deportati ſunt*. Hæc ibi, eademque reliqui ejuſdem ſæculi ſcriptores, ſed ſequenti anno id factum tradunt, poſtquam Carolus acclamatus, & coronatus eſt Imperator. Nos tamen ſequimur Anaſtaſium, indecens exiſtimantes, quod primum de Pontifici objectis criminibus actum ſit, quam de adeo facinoriſſimis delinquentibus. Porro de cauſa Pontificis tractata anno ſequenti, ubi Carolus Romam venit, ſuo loco dicemus. Ceterum judicium hoc

Jesu Chr. an. 799.

hoc anno factum eſſe cum idem auctor affirmet, ſententiæ autem executionem, expectato Caroli adventu, in ſequentem annum eſſe dilatam, vero proximum eſt, de quibus iterum anno ſequenti.

Rom. synodus Elipandi, & Felicis hæreſim damnat.

9. Antequam vero ab ſceleſtiſſimis Paſchali, & Campulo, ſociiſque eorum, quæ ſupra narravimus, pateretur Leo Papa, hujus anni intio Romæ ſynodum adverſus Felicis, & Elipandi hæreſim celebraverat. Cum etenim, ut ſupra anno 794. diximus, Felix Urgellitanus Epiſcopus, poſt Ratiſponenſem ſynodum, qua ejus hæreſis damnata fuerat, Romam ipſe juſſu Caroli miſſus, apud Hadrianum Pontificem hæreſim ſuam ejuraſſet anno 792. in patriam reverſus, ad vomitum ſuum, priſtinamque inſaniam rediit, unde in Ratiſponenſi ſynodo iterum anno 794. damnatus fuerat. Alcuini vero hortatoriæ Epiſtolæ, ut ad ſaniorem mentem rediret, virulento libello reſpondiſſet, quem cum Alcuinus ad Carolum M. miſiſſet, ejuſdem libelli, & hæreſis confutationem, jubente Carolo Alcuinus ſuſcepit, eumdemque obſtinati hæretici libellum, ad Leonem quoque Romanum Pontificem, & Paulinum Aquilejenſem, ſuggerente eodem Alcuino miſſum quoque fuiſſe, circa annum 798. ſupra diximus. Quo accepto, ſicuti Paulinus Aquilejenſis, eumdem ſcriptis ſuis confutavit, ita Leo Papa ſynodum Romæ Epiſcoporum quinquaginta ſeptem congregavit, ut Felicis hæreſim a prædeceſſore ſuo Hadriano damnatam, iterato anathemate feriret, cujus ſynodi egregia extant fragmenta a Pitheo primum edita, & in conciliorum collectionem tranſlata, tribus actionibus, ſive ſeſſionibus diſtincta, quarum prima, Leo Papa dixit. *De peſte illa, quæ per miſerum Felicem ex Epiſcopo de nomine adoptionis in Chriſto Dei Filio orta eſt concilium facere atque tractare pariter deberemus. Et olim quidem a prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ domno Hadriano Papa, & ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ejuſdem Regis magni juſſione ſynodali tramite, ſub anathematis vinculo putabatur eſſe extincta, nunc magis ac magis creſcendo pullulat.* Et paulo poſt. *Et ut nobis viſum eſt, pejores hæreſes, vel majores blaſphemias, quam ante in ejus ſcriptis, vel dictis unquam audiſſemus, ibidem cognovimus. Aſſerens autem Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, nec Filium Dei verum, nec etiam verum Deum, ſed noncupati-*

Digitized by Google

tivum. In ſecunda autem actione. *Leo Epiſcopus dixit, quis non videat miſerrimum illum & infelicem hæreticum, quia non ſolum hæreſiarcha dudum de adoptione in Filio Dei latrans factus eſt, ſed etiam & ſemel, & bis, & tertio perjuratus effectus eſt*. Nempe ut ibidem adnotat, primo in Ratiſponenſi ſynodo, ubi hæreſim ſuam Felix ejuraverat, ſecundo Romæ apud Hadrianum Papam, tertio cum in confeſſione B. Petri Apoſtoli. *Ipſum ponens Orthodoxum ſuum libellum ſimiliter & illic juravit, ſe nequaquam dicere audere adoptivum, ſed proprium & dilectum Filium Dei, teneo, & confiteor &c.* Eidem etiam exprobrat, quod auctoritati Francofordienſis concilii reſtiterit hactenus, quo ejuſdem hæreſis anathemate percuſſa fuerat, quin poſt hac pejora præſumpſerat. Nam ut addit Pontifex. *Et ut audivit veſtrum concilium, in ſuum vomitum, ut canis reverſus eſt in volutabro luti, ut audiſtis per ſuum blaſphemum libellum, quem ad venerabilem virum Albinum Abbatem monaſterii Sancti Martini emiſit &c.*

Anathematis ſententia in Felicem lata.

10. Quare in tertia actione, hanc adverſus contumacem Felicem ſententiam Leo Papa dixit. *Felici Orgellitanæ eccleſiæ Epiſcopo, ſi noluerit declinare ab hæretico dogmate ſuo, in quo auſus eſt Filium Dei adoptivum aſſerere, anathema ſit, atque ante tribunal Dei Omnipotentis condemnatus, ſeu a ſancta & Apoſtolica Dei eccleſia extorris, noſtroque conſortio alienus &c.* Ejuſdem concilii ipſemet Felix meminit in confeſſione fidei, quam labente hoc anno edidit, cum ad eccleſiæ communionem, unitatemque rediit, vel redire finxit, cujus hæc ſunt verba. *Per auctoritatem ſynodi, quæ nuper in Roma hac intenſione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo Domino noſtro Carolo adverſus epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Albino Abbati Turonenſis Eccleſiæ ſcripſeram, congregata eſt. In qua Synodo, præſente Leone Apoſtolico, & cum eo ceteri Epiſcopi numero 57. reſidentes, & plerique Præsbyteri, ac Diaconi cum eis in domo Beatiſſimi Petri Apoſtoli, per quorum omnium auctoritatem iſtas jam dictas ſententias noſtras, non qualibet, ut dictum eſt, violentia, ſed ratione veritatis, ut oportuit, excluſerunt &c.*

Aquiſgranenſe concilium in quo

11. Romanam ſynodum, Aquiſgranenſis ſubſecuta eſt, cui idem Felix Urgellæ Epiſcopus cauſam dedit. Carolus ete-

Jesu Chr. An. 799. Felix iterum hæreſim ejurat.

etenim de fidei catholicæ integritate ſollicitus, ut eam ab Felice, & Elipando iterum turbari cognovit, Leidradum Lugdunenſem Epiſcopum cum ſociis aliquot, & nominatim cum Neſrido Epiſcopo Narbonenſi, & Benedicto Ananienſi Abbate in Hiſpaniæ partes, Franciæ tunc ſubditas, & præcipue Urgellas miſit, ut Felicem in ſuam relapſum hæreſim, ab ea revocarent. Felix vero fidei ſuæ ſe rationem coram Carolo Rege redditurum eſſe promiſit, ac commeatum obtinuit. Quam ob cauſam Carolus congregatis Aquiſgrano, ubi conſederat, Epiſcopis, diſputationem ibidem coram Rege, & Epiſcopis, Felix cum Alcuino, qui illuc vocatus fuerat, habuit, qua Alcuini rationibus, & auctoritatibus edoctus, victas tandem manus dedit, ac hæreſim, quam obſtinato hactenus animo tenuerat, abjecit, hæc quidem tum Felix in confeſſione fidei, poſt converſionem ſuam, ad Urgellitanos miſſa teſtatur, cum Alcuinus in litteris ſuis, & libris hoc eodem anno, vel ſequentibus editis. Poſtquam, inquit Felix. *Ad præſentiam Domini noſtri ac piiſſimi, glorioſique Caroli Regis perductus ſum, & ejus conſpectui præſentatus, licentiam ab eo ſecundum quod & venerabilis Domnus Laidracus* (ſeu Laidradus) *Epiſcopus nobis in Orgello pollicitus eſt, accepimus, qualiter in ejus præſentiam in conſpectu Epiſcoporum, quos ad ſe ordinatio glorioſi Principis noſtri convenire fecerat, ſententias noſtras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, ſeu nuncupatione in humanitate ejus credebamus, præſentaremus, qualiter non in violentia, ſed ratione veritatis, noſtra adſertio rata judicaretur, ſi ab illis per auctoritatem SS. Patrum minime repudiaretur, quod ita factum eſt.* Felicem vero ibidem habita cum Alcuino diſputatione errorem ſuum retractaſſe, narrat Alcuinus, præcipuæ in libris adverſus Elipantum hoc anno, poſt Aquiſgranenſem ſynodum, ſcriptis. *Ac dominis in Chriſto charitate venerabilibus, atque dilectiſſimis Lairado Epiſcopo Lugdunenſi, & Nefridio Epiſcopo Narbonenſi, & Benedicto Abbati, ſimulque Sanctiſſimis nobiſque valde honorabilibus Gothiæ provinciæ partibus, Epiſcopis, Abbatibus, & fratribus, humillimus ſanctæ eccleſiæ filius Albinus ſalutem, &c.* ubi de ſynodo Aqiſgranenſi, & Felicis converſione libro primo hæc narrat. *Felix anno præfati glorioſi Prin-*

Jesu Chr. an. 799.

Principis 32. ideſt hoc anno, *advocatus voluntarie veniens ad Aquis Palatium, ibique in præſentia Domni Regis, & Optimatum illius, ſive Sacerdotum Dei, rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in pacem unanimitatis reverſus eſt cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes &c.* Suadetque Elipanto, ut Felicis exemplum ſectaretur, & iterum lib. 4. cap. 5. illum, ſectatoreſque ejus his verbis hortatur. *Sequentes cariſſimi veſtri quondam Felicis, nunc autem noſtri, exemplum, qui viam veritatis cognoſcens, non erubuit erroris ſui confiteri ignorantiam, & per fidem catholicam unitati eccleſiæ Chriſti ſe ipſum compaginari* & alibi lib. 1. *Felix olim veſtri erroris catenis vobiſcum colligatus, nunc Deo miſerante rationabili diſputatione convictus, & in catholicæ pacis unitatem redactus eſt*, cui operi ſe multum adlaboraſſe teſtatur Alcuinus. *Ego* inquit eodem libro primo num. 7., *Felicem olim veſtri erroris complicem, Deo miſerante catholicum effeci*, ejus vero converſionem euſque ſinceram fuiſſe credebat Alcuinus, ut eum inter amicos ſuos numeraret, & ad Arnonem, quem Aquilam appellabat ſcribens, ajebat. *Felix modo fuit ad ſanctum Martinum apud præfatum filium noſtrum*, (Laidradum ſcilicet) *& multum amat me, totumque odium quod habuit in me, verſum eſt in charitatis obſequium &c.* Librum vero Felicis ad Urgellæ clerum, populumque datum, qui etiam confeſſio fidei catholicæ inſcribitur, in fine libri quarti adverſus Elipandum ſcripti addidit Alcuinus, ubi etiam nunc legitur.

Felix ab Epiſcopatu depoſitus, Lugduno relegatur, ubi hæreticus obiit.

12. Cumque olim fidem datam non ſemel violaſſet Felix, ne inconſtantia ſua turbas iterum in eccleſia excitaret, ab Aquiſgranenſi ſynodo, antequam hæreſim damnaret, Epiſcopatu dejectum fuiſſe, diſertis verbis tradit Agobardus, hinc poſt retractationem ſedi ſuæ nequaquam reſtitutus eſt, ſed Laidrado Lugdunenſi Epiſcopo cuſtodiendus traditus eſt, ut in epiſtola altera ad Arnonem, ſive Aquilam narrat Alcuinus. Quare Aldo de eodem addit. *Felix perpetuo exilio apud Lugdunum relegatus eſt, quem ferunt in ipſo ſuo errore mortuum*. Et ſane Agobardus Laidradi in ſede Lugdunenſi ſucceſſor adverſus Felicianam hæreſim ſcribens, ac Ludovico Auguſto opus inſcribens, narrat, ſe poſt obitum

Jesu Chr. an. 799. tum ejus ſchedulam inveniſſe, qua hæreſim ſuam tuebatur. *Poſt obitum Felicis illius*, inquit, *qui fuerat quondam Epiſcopus in urbe Orgellitana, inventa eſt a nobis quædam ſchedula ab eo edita ſub ſpecie interrogationis & reſponſionis, quam cum legentes conſideraremus, inſpeximus hominem diligenter, & fraudulenter inſtauraſſe, quantum in ſe fuit omnem pravitatem dogmatis ſui, in qua dudum fuerat deductus & convictus, & propter quam ab honore Epiſcopatus depoſitus, qui, licet aliqua verba, quæ prius inprudenter efferrebat, poſtea ſuppreſſerit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reſtituit*, quamobrem ſe ad eam hæreſim confutandam compulſum fuiſſe addit. *Ut quiſquis dignatus ſit legere, agnoſcat, qua cautela catholicæ veritatis puriſſimum ſenſum ſequatur &c.* Vitam nihilominus uſque ad annum 818. Felicem tenuiſſe paſſim auctores ſcribunt, Madriſius, Frobenius, & auctor hiſtoriæ litterariæ Galliæ tom. 4. pag. 431.

Laidradi, & ſociorum iter alterum in Hiſpanias.

13. Bis autem Laidradum Lugdunenſem Epiſcopum cum ſociis ſuis Neifridio Narbonenſi Epiſcopo, & Aniano Abbate in Hiſpaniam jubente Carolo iter hoc anno ſuſcepiſſe tradunt eruditiſſimi viri, ac Alcuinus teſtatur, dum binam profectionem diſtinguit, priorem ſic attigit. *Deo Chriſto donante cæptum prædicationis opus multa ex parte perfeciſtis*. Dum ſcilicet Felicem Urgella abductum, ad Aquis Palatium duxerant, ubi in ſynodo hæreſim ejuraverat, ut hactenus diximus, poſteriorem vero his verbis indicat. *Ad cujus piiſſimæ prædicationis venerabile opus, mandante glorioſo Principe, & devotiſſimo in omni bonitate Carolo Rege vos iterum ituros eſſe audivimus*. Si iterum ergo ituri erant, jam ergo inde redierant, & ſane hæc ſcribebat Alcuinus, cum jam Felix ad catholicam fidem rediiſſet, ut narrat Alcuinus, quibus etiam *ad itineris ſolatium*, ſe hunc libellum, una cum Elipandi Epiſtola ad Felicem data ſe mittere eodem loco teſtatur. Quare poſt Aquiſgranenſem ſynodum, iter iterum eos in Hiſpaniam, vel deſinente hoc anno, vel proximi anni initio ſuſcepiſſe conſtat. De quibus, ut Pagium prætereamus, plura afferunt, cum Madriſius, tum Frobenius, editores operum Paulini Aquilejenſis Epiſcopi, & Alcuini in diſſertatione de hæreſi Elipandiana, & Feliciana. Cum etenim ſuum pro fide catho-

catholica ſtudium in Felicis converſione, quem ſperaverat exitum habuiſſe cerneret, Eoſdem legatos ſuos iterum in Hiſpanias miſit, ut Elipandum quoque decrepitæ jam ætatis virum, & in hæreſi tuenda pertinaciſſimum, ſi fieri potuiſſet, zelo, & rationibus adductis ad meliora conſilia revocarent, quare mirum non eſt, eos ea ſpe allectos, itineris labores iterum ſuſcepiſſe, nec modicum ex ea peregrinatione fructum ſuſcepit, ut narrat Alcuinus in Epiſtola ad Arnonem, poſt Felicis retractationem data, qua eum apud Laidradum Lugduni tunc fuiſſe narrat, ac addit, quod etſi Elipandus in ſua perfidia perſeveraret, multos nihilhominus iis in regionibus, cujuslibet conditionis viros ad catholicam fidem Lairadi opera & zelo perductos fuiſſe. *Nam quidem Elipandus civitatis Toletanæ nomine, non dignitate Epiſcopus, in damnata ſynoduli auctoritate, & Apoſtolica cenſura hæreſi permanet. Sciat tamen dilectio veſtra, quod filius noſter Laidradus Epiſcopus frater veſter magnum profectum in illis partibus Deo donante egit, quotidieque agit, ut mibi vere dixerunt ex illis partibus viri religioſi & veraces, uſque viginti millia converſi ſunt inter Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, populum, viros, & fœminas, plangentes priſtinum errorem, gaudenteſque, quotidie Deo agentes gratias in agnitione veritatis, & in catholicæ fidei firmitate &c.* Hæc ad Arnonem Alcuinus hoc, vel ſequenti anno, dum adhuc Lairadus Lugdunenſis Epiſcopus cum ſociis in extirpanda adoptianorum, ſeu Elipandi, & Felicis hæreſi in Hiſpania moraretur, hinc ait, *multum profectum egit, quotidieque agit*. Exhortatoriæ Alcuini epiſtolæ Felicem prolixiori ſtilo libellum oppoſuiſſe ſupra adnotavimus anno 794., eumdemque Felicis libellum ab Alcuino Caroli juſſu confutatum fuiſſe, ac diſputatione cum eodem Aquiſgrano hoc anno habita, eumdem iterum ad Palinodiam recantandam coegiſſe ſupra narravimus.

Alcuinus libros quatuor adversus Elipandi epiſtolam Laidrado mittit.

14. Cum vero Laitdradus cum ſociis in Hiſpaniam hoc anno rediret, ut Epiſcopos, ceteroſque clericorum, vel plebis ab Helipanto, & Felice hactenus ſeductos, ad catholicam fidem, unitatemque revocaret. Alcuinus quoque operam ſuam in id contulit, & ut pro fide catholica certaturos roboraret, libros ſuos, contra Elipandum, & contra Felicem ſcriptos iis miſit, cum in ſecundi itineris procinctu

Jesu Chr. an. 799. ctu eſſent, ut in præfatione ad libros contra Elipandum vulgatos teſtatur. *Prædicationis opus multa ex parte perfeciſtis*, cum primum Urgellæ fuiſſent. Deinde jubente Carolo; *Vos iterum ituros eſſe audivimus: quapropter paucorum arripui laborem dierum, in ſolatium ſanctiſſimi itineris veſtri, quatenus haberetis in manibus cujuſdam epiſtolæ meo nomini directæ ab Elipando Toletano Epiſcopo, pias & pernecessarias reſponſiones, ne forte aliquorum ex ejuſdem epiſtolæ lectione mentes maculentur*, narrat deinde qua mente, aut ratione motus, ſuam eidem epiſtolam dederit. *Ut virum* ſcilicet *longæva ætate gravem, & vitæ religioſæ multo tempore famoſum ab errore revocaret. Sed ille*, ſubdit Alcuinus, *dum accepiſſet meæ devotionis literulas, mox iracundiæ flammis incanduit, totamque animi ſui intentionem colligens in iram, nec eo pietatis intuitu apices aſpexit meos, quo me, Chriſtum teſtor, illi dirigere ſcio. Sed mox in maledictionis verba proſiluit, totumque ſe armavit in ſuæ ſectæ defenſionem, nobisque litteris demandare curavit, quid ſentiret, quid ſuos diſcipulos credere doceret, me falſarium clamans, atque per vices hæreticum, per vices ſubverſorem, nec non & perſecutorem Chriſtianorum reputans: nullumque propemodum maledictionis genus, vel perfidiæ dimiſit, quod noſtro non inureret nomini, oſtendens ſeipſum quid eſſet, & quam impatienter toleraret, ſi aliquis impietatis ſuæ errori contraire tentaret: multa colligens teſtimonia, ex ſanctarum ſerie ſcripturarum, multaſque catholicorum ſententias Doctorum deduxit in medium, quæ pene omnia graviſſima interpretatione maculare non timuit. Quibus illius veſaniæ literulis brevi ſermone* duobus Libellis *reſpondere curavi, evacuans veraciſſimis ſanctorum Patrum ſenſibus omnes illius adſertiones, atque interpretationes graviſſimas. Illis quoque duobus Libellis, alios duos adjunxi, plano ſermone catholicæ fidei de Chriſto Deo veritatem teſtantes, atque ſanctorum Patrum teſtimonis abundantiſſime confirmantes &c.* Quos ideo Laidrado, ſociiſque dicavit.

Epiſtola altera Alcuini ad Laidradum.

15. Nec multopoſt Elipanti epiſtolam ad Felicem datam ad eos miſit, quem adhuc in priſtina ſententia, ſeu errore verſari putabat, cum tamen jam Felix in ſynodo Aquiſgranenſi hæreſim abjuraſſet. *Epiſtolam illius Elipanti*, ait Alcuinus, *ad Felicem quondam illius defenſorem ſectæ, nunc*

nunc vero Deo donante chriſtianæ Fidei prædicatorem, *ejuſque converſionis ad fidem catholicam epiſtolam*, ſeu libellum confeſſionis fidei a Felice in ſynodo editum, & ad Urgellitanos miſſum ſe iis mittere addit. *Quatenus ex iis omnibus pius lector ſe ipſum conſideret*, *&* *caveat divina opitulante gratia*, *ne laqueo hiſpanici erroris teneatur*. Eam epiſtolam ab Elipanto ad Felicem ſcriptam eo tempore fuiſſe addit. *Dum eumdem Felicem adhuc ſui erroris catenis conſtrictum eſſe arbitrabatur &c.* At eum reſipuiſſe adnotat, atque hanc alteram epiſtolam, tamquam ad priores libros appendicem, dum iter ſuſcepturi erant, ſe miſiſſe ait. *Vos vero dilectiſſimi Fratres ſedula devotione perlegite hæc omnia*, *priuſquam in publicas præcedere aures harum ſeries litterarum faciatis*. *Ego ſiquidem in procinctu ob itineris veſtri feſtinationem*, *hæc qualiacumque ſunt*, *dictavi*, *ita ut mihi tempus relegendi*, *vel emendandi non fuit idoneum*, *veſtræ caritatis tantummodo contentus lectione atque emendatione*. Hæc, & alia ibidem Alcuinus, dum eis libros adverſus Elipantum ſcriptos tranſmittit, quem etiam ejuſdem perfidiæ auctorem præcipuum, propagatoremque fuiſſe ſcimus, ut hæc etiam Alcuini verba indicant. *Ut video*, *maxime hujus origo perfidiæ de Cordua civitate proceſſit*, *ſicut in epiſtola illius Elipanti ad Felicem præfatum directa intelligi poteſt*. Et ſane cum extra Caroli Imperii fines ſuam ſedem Cordubæ teneret Elipantus, Seracenorum Principis protectione fultus, vel jugo conſtrictus, nulla umquam ratione, auctoritate, aut vi, ut hæreſim adoptianorum retractaret, adigi potuit, in qua ut veroſimile eſt, uſque ad obitum in ſenectute decrepita, ideſt annos natus ultra nonaginta, circa annum 810. vivere deſiit, ut, in citata ſæpius diſſertatione de hæreſi Feliciana adnotat Alcuini editor Forbenius, vel Madriſius inter opera Paulini Aquilejenſis Patriarchæ; atque hæc de infelici tum Felicis, cum Elipanti exitu adnotaſſe ſufficiat. Nam quæ Tamajas in catalogo Toletanorum Archiepiſcoporum, aliique Hiſpaniæ ſcriptores de Elipanti converſione ſcripſerunt, ſua ſponte corruunt, utpote nullo antiquorum ſcriptorum teſtimonio fulta.

JESU CHR. AN. 799.

16. De Caroli geſtis hoc anno, dum dimiſſo jam ad Urbem Leone Pontifice, Paderbonæ moraretur, hæc etiam adnotat Eginhardus. *Quo dimiſſo*, *Rex paucos poſt dies ibidem*

Legatio Græcorum ad Carolum.

Jesu Chr. an. 799.

dem moratus, legatum Michaelis Patricii de Sicilia nomine Dianelem ad ſe miſſum abſolvit. Accepit etiam triſte nuncium de Geroldi, & Erici interitu, quorum alter Geroldus videlicet Bojariæ Præfectus, commiſſo cum Hunnis prælio cecidit; alter vero ideſt Ericus poſt multa prælia, & inſignes victorias apud Turſaticum in Liburniæ civitatem, inſidiis oppidanorum interceptus, atque interfectus eſt, quorum interitum alii quoque Annaliſtæ paſſim commemorant.

Bello Hunnico finem Carolus imponit.

17. Hoc etiam anno, bello, adverſus Hunnos anno 791. cœpto, feliciſſimo exitu finem Carolus impoſuit, de quo ſupra nonnulla adnotavimus. Hujus autem belli ſeriem fauſtumque finem his verbis narrat Eginhardus in vita Caroli. *Maximum omnium, quæ ab eo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, bello contra Vilſos, ſucceſſit illud, quod contra Avaros ſive Hunnos ſuſceptum eſt, quod ille & animoſius quam cetera, & longe majori apparatu adminiſtravit. Unam tamen per ſe in Pannoniam (nam hanc Provinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit, cæteras filio ſuo Pippino ac Præfectis Provinciarum, Comitibus etiam, atque Legatis perficiendas commiſit. Quod cum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octavo tandem anno completum eſt. Quod prælia in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat, ita deſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Totamque regionem cum gente Hunnica tunc fere periiſſe adnotat, totque exinde Francos ſpolia tuliſſe addit, ut cum uſque in id temporis pene pauperes viderentur, tantum auri & argenti in Regia repertum, tot ſpolia pretioſa in præliis ſublata, ut merito credi poſſet, hoc Francos, Hunnis juſte eripuiſſe, quod Hunni prius aliis gentibus injuſte eripuerant*. Quo vigente bello, etſi duo ex Francorum Ducibus periiſſe adnotat, Geraldum ſcilicet Bojariæ Præfectum, & Ericum Forojulienſem Ducem, feliciſſimum nihilominus, & incruentum pene Francis fuiſſe ait. Rebuſque ita compoſitis ex Paderbona in Franciam reverſus eſt Carolus, ac Aquiſgrano hyemavit, ibique Natalem Domini celebravit, ubi cum eſſet, Vido Comes Brittanici littoris ad eum advenit, ab eoque totam provinciam ſubactam fuiſſe didicit. *Videbatur enim, quod ea provincia tum eſſet ex toto ſubacta, & fuiſſet, niſi perfidæ gentis inſtabilitas,*

cito

cito animum alíorſum, more ſolito convertiſſet: Cum iterum adverſus Carolum rebellarunt.

SECULI NONI

PROSPECTUS.

1. SEculum eccleſiæ nonum, Chriſto auſpice, ingredimur, cujus initio Occidentalis eccleſiæ, & Imperii felix fauſtaque conditio fuit, in progreſſu tamen turbulenta, & in exitu infauſta: Orientalis autem eccleſiæ, vel Imperii ſtatus, jam inde hæreſibus fœdatus, vel Seracenorum incurſionibus diſtractus, turbulentiſſimus, undique ac ubique fuit. Et ut res tantum in eccleſia geſtas attingamus, excitatas iterum de imaginum cultu ab Leone Armeno, & ab Theophilo Auguſto quæſtiones, quæ jamdiu extinctæ quodammodo, ab univerſali ſynodo ſeptima, ſeu Nicæna ſecunda, videbantur, Orientalis eccleſiæ plagas eouſque exaſperarunt, ut priſtinam dignitatem, vel incolumnitatem recuperare nuſpiam potuerit, cum præſertim ob illicitam Photii in CP. Epiſcopum ordinationem, ob quæſtionem de Bulgarorum ſubjectione, num ſcilicet Romano Pontifici, vel Epiſcopo CPolitano ſubeſſe deberent, & additionem ad Symbolum unius verbi Filioque, talis tantaque inter Orientalem, & Occidentalem eccleſiam diſcordia, hoc ineunte ſeculo nono exorta eſt, quæ brevi admodum intervallo ſopita, mox recruduit, ac etiam nunc perſeverat. Hinc ſchiſma ab ejus auctore, Photianum dictum, exortum eſt. Quo Orientalis eccleſia in reprobum ſenſum, & in direptionem data, ab ſponſi conſortio & amplexu, ideſt ab unitate eccleſiæ, ejuſque ſponſo Jeſu Chriſto, tamquam Agar ejecta eſt, ne ejuſdem filii cum Iſaac hæredes fierent. De quibus cum plurima in ſeculi hujus hiſtoria dicturi ſimus, nunc alia non addimus.

Occidentalis & Orientalis eccleſiæ & Imperii ſtatus.

2. In occidente vero Eccleſiæ, & Imperii variam in ſeculi decurſu fortunam fuiſſe adnotavimus. Nam uſque dum in Galliis, Germania, & Italia Carolus M. imperavit, hoc etiam anno Imperiali corona, ab Leone Papa exorna-

Occidentalis Imperii ſtatus imminutus.

 tus,

Jesu Chr. an. 800.

tus, cum Imperii majeſtate, ſuam quoque eccleſia dignitatem retinuit. At eo anno 814. e vivis ſublato, ſub Lodovico pio, Lothario, Lodovico altero, & ſucceſſoribus ad ſeculi finem res Imperii, ob inteſtina diſſidia, & civilia bella, atque ex Normannorum irruptionibus in Galliis, vel Seracenorum in Italia, res Imperii, inquam, eo uſque prolapſæ ſunt, ut ex Francorum Regibus Imperii dignitas, in Germaniæ Reges, vel Italiæ Principes translata fuerit. Imminuta autem Imperii dignitate ſub Caroli ſucceſſoribus, Eccleſiæ quoque dignitatem imminutam, tranquillitatemque turbatam fuiſſe, quiſque facile intelligit, qui eccleſiam cum Republica ita conjunctam eſſe novit, ut & ipſa eamdem cum Imperio fortunam ut plurimum experiri cogatur.

Variæ de religione quæſtiones hoc ſeculo in Galliis agitatæ.

3. Inter publicas vero graveſque Imperii, & Reipublicæ calamitates undique irruentes, ſacrarum litterarum, bonarumque artium ſtudia ſic elanguerunt, ut temporis tractu pene exciderint. Unde ſequens ſeculum decimum, obſcurum, plumbeum dictum eſt. Mira quippe paulatim ex ſtudiorum incuria, irrepſit in clero, & populo ignorantia, & eccleſiaſticæ diſciplinæ oblivio, & contemptus, morumque corruptela. Inter litterarum autem funera ad eccleſiæ perniciem ſola litigandi prurigo viguit, ut vix altero ſeculo tot de rebus eccleſiaſticis agitatæ quæſtiones fuerint. Ex Oriente quippe de imaginum cultu in Occidentem quæſtio translata, Gallicanam eccleſiam longo hujus ſeculi ſpatio turbavit, atque ex Gallicana eccleſia verbum, *Filioque*, ſymbolo additum, Orientalis eccleſiæ ſchiſmati fomentum præbuit: Proprias etiam, nec paucas, aut leves Galliarum eccleſia hoc ſeculo habuit quæſtiones, quarum prima, vel ſaltem præcipua de Euchariſtiæ ſacramento inter Paſchaſium Ratbertum Corbejenſem monachum, & Ratramnum ejuſdem monaſterii incolam, & Joannem Scotum agitata fuit: majori etiam cum animi ardore, ac ſtyli aſperitate de divinæ gratiæ auxiliis, de divina electorum, reproborumque prædeſtinatione, ac de Chriſti ſanguine pro hominum ſalute effuſo, inter Gotheſcalchum, & Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, ceteroſque, qui aut pro Gotheſcalcho, aut contra Gotheſcalcum pugnarunt, diſputatum eſt. His aliæ ſubſequtæ ſunt, de partu Virginis ſcilicet, ſeu de modo quo ex intemerato

Digitized by Google

to Virginis utero, Dei filius homo factus proceſſit. De hominum anima, an una omnibus hominibus communis eſſet, an ſingulis propria ab eodem Retramno Corbejenſi inſipienter agitata, atque his de quæſtionibus, quæ eccleſiæ fidem ſpectabant, breviter prænotatis, ceteras de eccleſiæ diſciplina agitatas ab Regibus Francorum cum Romanis Pontificibus, vel inter Epiſcopos præterimus. Hoc unum adnotare contenti, quod earum quæſtionum hiſtoria, nec ingrata, vel inutilis lectoribus futura ſit, cum earum plurimæ temporis tractu, & noſtra fere ætate, vel a Novatoribus, Lutheranis & Calvinianis iterum excitatæ fuerint, cujuſmodi ſane fuere, quæ de ſacrarum imaginum cultu, Sanctorumque veneratione, de reali Jeſu Chriſti præſentia in Sacramento Euchariſtiæ, ſeu de panis & vini tranſubſtantiatione in Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam Paſchaſius Radbertus diſerte in libro de corpore, & ſanguine Domini, vel de Sacramento docuit, eadem inquam eſt cum ea, quæ cum Calvinianis agitatur, eadem de unitate eccleſiæ, deque Romani Pontificis Primatu, & auctoritate, quam cum Græcis hoc ſeculo habuit, habet etiam cum ceteris Hæterodoxis Romana eccleſia, & ut ceteras, aliaſque de diſciplina etiam eccleſiaſtica motas quæſtiones, quas præcipue de Epiſcoporum auctoritate, & poteſtate Hincmarus agitavit, prætereamus, quibus vulgatæ tunc primum Iſidorianæ epiſtolæ cauſam dederunt, ex dictis hactenus patet, hujus ſeculi geſta, ad ſequentis temporis hiſtoriam illuſtrandam non minimam cum delectatione, utilitatem fore allaturam. His etiam adde, quod etſi litterarum ſtudia labente hoc ſeculo deferbuerint, unaque cum litterarum contemptu, eccleſiaſtica quoque diſciplina elanguerit, innumeræque corruptelæ inter clericos, & laicos invaluerint, non defuerunt tamen omnino viri & doctrina, & pietate celeberrimi, qui pro viribus, & ſtudia inſtaurare, & pietatem fovere conati ſunt, de quibus plura dabunt auctores hiſtoriæ litterariæ, tum Italiæ, cum Galliæ, vel Mabillonius in prolixiori præfatione ad ſeculum quartum actorum ordinis Sancti Benedicti, quare ne diutius in his immoremur, primum hujus ſeculi annum auſpicamur.

JE-

Jesu Chr. an. 800.

JESU CHRISTI annus 800. Leonis 3. Papæ 6. Caroli M. Imperatoris 1. Irenes Imperatricis 4.

Caroli M. geſta hoc anno.

1. Octingenteſimum indictionis octavæ Redemptionis annum attingimus, Eccleſiæ, & Imperii faſtis celeberrimum, ob Caroli Magni inaugurationem ab Leone tertio Pontifice Romæ, die Natali factam, de qua prius quam ſermo fiat, quæ hanc præceſſerint, adnotamus, ac Caroli geſta hoc anno ab Anonymo Lambeciano auctore cœvo ſummatim expoſita præmittimus. *Anno octingenteſimo*, ait, *Ipſum hyemem reſedit apud Aquis Palatio, & circa Quadrageſimæ tempus circuivit villas ſuas, ſeu etiam, corpora Sanctorum, uſque dum poſt Paſcha pervenit Toronos, ubi corpus Beati Martini requieſcit, & fuerunt cum eo filii ſui Carolus, & Pippinus. Sed & Clodoveus* (ideſt, Ludovicus) *ibi advenit filius ejus, nec non Liudgardis conjux Domni Regis ibi defuncta eſt, & facta ibi oratione ſolemniter, & cum pace reverſus eſt ad propriam ſedem. Et in æſtivo tempore congregavit Optimates, & fideles ſuos ad Moguntiam civitatem, & cum cognoviſſet undique per omnes fines ſuos pacem, rememoravit de injuria, quam Romani Apoſtolico Leoni fecerunt, & direxit faciem ſuam, ut iret partibus Romæ, & ita fecit. Et ibi fecit Conventum maximum Epiſcoporum, ſeu Abbatum cum Presbyteris, Diaconibus, & Comitibus ſeu reliquo Chriſtiano populo, & ibi venerunt in præſentia, qui ipſum Apoſtolicum condemnare voluerunt, & cum cognoviſſet Rex, quia non propter aliam juſtitiam, ſed per invidiam eum condemnare volebant, tunc viſum eſt & ipſi piiſſimo Principi Carolo, & univerſis Epiſcopis, & ſanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut ſi ejus voluntas fuiſſet, & ipſe petiiſſet, non tamen per eorum judicium, ſed ſpontanea voluntate ſe purificare debuiſſet, & ita factum eſt. Et ipſo ſacramento expleto incipiebant illi ſancti Epiſcopi cum univerſo Clero, ſeu ipſo Principe Carolo, cum devoto Chriſtiano populo hymnum Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Quo expleto & ipſe Rex & univerſus populus fidelis cum eo dabant laudem Deo, quia ipſum Apoſtolicum Leonem, & ſanum in corpore, & in animo cuſtoditum meruerant habere, & ipſum hyemem Romæ fecit.* Hæc auctor, cui Francorum annales conſentiunt, dum Caroli iter, vel geſta fuſius exponunt. 2. At-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 800. Luitgardis Caroli M. uxoris obitus.

2. Atque cum Eginhardo, aliiſque addit Annaliſta Loiſellianus. *Carolus medio Martio menſe Aquiſgrani Palatio digrediens, littus Oceani Gallici perluſtravit, in ipſo mari, quod tunc pyratis infeſtum erat, Claſſem inſtituit, præſidia diſpoſuit, Paſcha in Centulo apud Sanctum Richarium celebravit. Indeque iterum per littus Oceani Rotomagum Civitatem profectus eſt: ibique Sequana amne tranſmiſſo, Turonis ad Sanctum Martinum orationis cauſa pervenit, moratus ibi dies aliquot propter adverſam Domnæ Liudgardæ conjugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta, & humata eſt. Obiit autem die pridie Non. Jun. Inde per Aurelianos, ac Pariſios regreſſus Aquiſgrani reverſus eſt.* Poſt Luitgardis vero uxoris obitum, nullam ultra uxorem Carolus duxit, quatuor tamen poſthac concubinas eum habuiſſe narrat Eginhardus in ejus vita. Has autem uxores ſine ſolemnitate ſucceſſive ductas, ac concubinas potius, quam uxores dictas, Carolo fuiſſe, ſcriptorum plurimi cenſent, ſicque Carolum tantæ religionis virum, deque eccleſia benemerentem ab ea labe vindicare conantur, quæ ſane etſi certa non ſint, vero tamen proxima nonnullis videntur. Inter paradoxa tamen hæc numerat Pagius. Ac vere concubinas re & nomine fuiſſe cenſet Bailetius, eaſque fœditates, eum in ſenectute diluiſſe ſcribit. Harum nomina fuere Mathalgardis, Gerſuinda Saxonici generis fœmina, Regina, & Adeluida, quæ ei Filios, filiaſque pepererunt.

Carolus M. Romam proficiſcitur.

3. Nunc Romanum Caroli iter proſequimur, qui Aquiſgrano egreſſus, *Menſe Auguſto inchoante Mogontiarum veniens, iter in Italiam conduxit*, ait Annaliſta Loiſellianus, indeque profectus. *Cum exercitu Ravennam venit, ibique non amplius diebus ſeptem moratus, Pippinum filium ſuum cum eodem exercitu in terram Beneventanorum ire juſſit, movenſque Ravenna una cum filio Anconam uſque pervenit, qui ibi dimiſſo*, ipſe Carolus *Romam proficiſcitur*. Ibique octavo Kal. Decembr. pervenit, ait Eginhardus in ejus vita.

Quomodo Carolus in urbe exceptus fuerit.

4. Quanto cum honore a Leone Pontifice, omnibuſque Romanorum ordinibus exceptus fuerit Romæ Carolus, his verbis narrat Eginhardus in Caroli vita. *Pridie quam Carolus Romam veniret, Leo Papa apud Nomentum occurrit, & eum magna veneratione ibidem ſuſcepit. Poſt cœnam qua ſimul refecti ſunt, ibi ille manente, Pontifex ad Urbem*

pro-

Jesu Chr. an. 800. *proceſſit. Poſteroque die miſſis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatis etiam atque diſpoſitis per congrua loca tam peregrinorum, quam civium turmis, qui venienti laudes dicerent: ipſe Leo cum clero, & Epiſcopis equo deſcendentem, gradusque aſcendentem ſuſcepit, dataque oratione, in baſilicam B. Petri, pſallentibus cunctis introduxit. Facta ſunt hæc octavo Kalendas Decembris, Poſt ſeptem vero dies, Rex concione vocata, cur Romam veniſſet, omnibus patefecit. Et exinde quotidie iis propter quæ venerat facienda operam impendit. In quibus ut maximum, ita difficillimum erat, quod primo inchoatum eſt, de inveſtigandis videlicet, quæ Pontifici objiciebantur. Qui tamen poſtquam nullus eorumdem criminum probator eſſe voluit; coram omni populo, in Baſilica B. Petri Apoſtoli Evangelium ferens, ambonem conſcendit, invocatoque ſancto Trinitatis nomine, de objectis ſe criminibus jurejurando purgavit.*

Leonis Papæ cauſa diſcutitur.

5. Quo autem ordine Leonis Papæ cauſa diſcuſſa, & finita ſit coram Carolo, convocatiſque ab eo illuc Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Optimatibus Francorum, & Romanorum cum univerſo populo, Anaſtaſius his verbis refert, *Fecit Carolus M. in eadem eccleſia* (B. Petri) *congregari Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Abbates, & omnes nobiles Francorum, atque inclytos Romanorum, & ſedentes pariter tam magnus Rex, quam beatiſſimus Pontifex fecerunt reſidere ſanctiſſimos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, ſtantibus reliquis ſacerdotibus, & Optimatibus Francorum, & Romanorum, ut crimina quæ adverſus almum Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui univerſi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei eccleſiarum, judicare non audemus: Nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex conſuevit, jubeat, canonice obediemus. At venerabilis vero Leo Præſul inquit. Prædeceſſorem Pontificum veſtigia ſequor, & de talibus falſis criminationibus, quæ ſuper me nequiter exarſerunt, me purificare paratus ſum. Alia vero die in eadem Eccleſia B. Petri Apoſtoli, in eorum præſentia amplectens venerabilis Pontifex ſancta Chriſti quatuor Evangelia, coram omnibus aſcendit ambonem, & ſub jurejurando clara voce dixit: Quia de iſtis falſis*

falſis criminibus quæ ſuper me impoſuere Romani, qui iniquè me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco. Et hoc peracto, omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, & cuncti Clerici lætania facta laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici, ſemperque Virgini Mariæ Dominæ noſtræ, & Beato Petro Apoſtolorum Principi, omnibuſque Sanctis Dei. Juramenti formulam, qua ſe Leo Papa ab objectis criminibus purgavit, exhibent Baronius, & Labbeus, qua ſe a nemine coactum, ſed ſponte ad id deveniſſe teſtatus eſt, ut innoxium ab ſceleribus impactis diceret. *Et hoc facio*, addit, *non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in ſancta eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem.*

Jesu Chr. an. 800.

Carolus M. Imperator coronatur.

6. Interea cum dies Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti dicata adveniſſet, qua juxta Romanorum ritum, tunc inſequens ingrediebatur annus, ab Leone Pontifice inter Miſſarum ſolemnia Carolus M. Imperator inauguratus, oleo inunctus, & corona redimitus eſt, cujus inaugurationem ad annum 801. paſſim ſcriptores alligant, quæ hoc anno contigit, ſi a Kalendis Januarii anni initium ſumatur. Rem geſtam, quæ multis quæſtionibus occaſionem dedit, his verbis narrat Anaſtaſius. *Poſt hæc adveniente die Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti, in jam dicta Baſilica B. Petri Apoſtoli omnes iterum congregati ſunt, & tunc venerandiſſimus almificus Pontifex manibus ſuis propriis pretioſiſſima corona coronavit eum. Tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem & dilectionem, quam erga ſanctam Romanam Eccleſiam & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſona voce, Dei nutu atque B. Petri clavigeri regni cælorum exclamaverunt;* Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, Pacifico imperatori vita et victoria. *Ante ſacram Confeſſionem B. Petri Apoſtoli plures Sanctos invocantes, ter dictum eſt ab omnibus, & conſtitutus eſt Imperator Romanorum. Illico ſanctiſſimus Antiſtes & Pontifex unxit oleo ſancto Carolum & excellentiſſimum filium ejus Regem, in ipſo die Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Anaſtaſio conſentit Theophanes, qui poſtquam Leonem in ſuam ſedem a Carolo reſtitutum fuiſſe narravit, ſubdit. *Leo Carolo Regi vicem relaturus, eum capite ad imos uſque pedes oleo perunctum in ſancti Apoſtoli ædem Impera-*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 800. *torem ſalutatum corona redimivit. Imperatoria veſte circumdedit, & capitis ornamenta contulit menſis Decembris die 25. indictione nona*. Eademque ceteri Scriptores Latini, & Græci, ut de his nulla ſit dubitatio; hoc unum vix credibile nonnullis videtur, id inſcio, ac fere invito Carolo accidiſſe, ut narrat Eginhardus. *Quo tempore*, cum Romæ hoc anno eſſet, *Imperatoris, & Auguſti nomen accepit, quod primo tantum adverſatus eſt, ut affirmaret ſe eo die, quamvis præcipua feſtivitas eſſet, eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet*.

Imperatorum Græcorum querelæ adverſus Carolum.

7. Ignorare quippe vix poterat Carolus Imperatores Græcos in ipſum exaſperatos eſſe, eo quod Longobardorum Regnum in Italia occupaſſet, cæteraſque provincias, Græcorum Imperio olim ſubditas, Romanæ eccleſiæ tradidiſſet, cujus præcipuus hactenus protector, & vindex, aſſumpto etiam Patricii Romanorum titulo fuerat, itaque ne hac nova addita Imperiali dignitate magis exaſperarentur, ab ea lubens abſtinuiſſet, at Pontificis, Populique Romani voluntati, acclamationibuſque cedere coactus fuit, hinc etiam nonniſi ab Pontifice rogatus, tunc ſemel veſtem Imperatoriam induit. *Peregrina indumenta quamvis pulcherrima reſpuebat*, ait Eginhardus, *nec umquam eis indui patiebatur, excepto quod Romæ ſemel Hadriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante, longa tunica, & clamyde amictus, & calceis Romano more formatis induebatur*. Quænam communis veſtitus forma Carolo eſſet, his verbis indicat idem Eginhardus. *Veſtitu patrio, ideſt Franciſco utebatur. Ad corpus camiſiam lineam, & fœminalibus lineis induebatur. Deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia: tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat, & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros, ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accintus: cujus capulus ac balteus, aut aureus, aut argenteus erat. Aliquoties & gemmato enſe utebatur. Quod tamen nonniſi in præcipuis feſtivitatibus veſte auro texta: & calciamentis gemmatis, & fibula aurea ſagum adſtringente, diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat. Aliis autem diebus habitus ejus parum a communi ac plebejo diſcrepabat &c.*

Caroli juramentum Ro-

8. Cum autem Imperatoris titulum, coronamque Imperialem adeptus eſt Carolus, ſe in poſterum Romanæ Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ protectorem, defenſoremque futurum promiſit, cujus formulam exhibet, ordo Romanus his verbis .. *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & Beato Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout ſciero, poteroque*. Eamdemque juramenti formulam, ceteri in Imperio ſucceſſores ut plurimum retinuerunt.

Jesu Chr. an. 800. man. Pontifici factum.

9. Pro accepta dignitate, Regia munera, eaque ampliſſima, præcipuis urbis eccleſiis Carolus M. Deo, in honorem Sanctorum contulit, ut his verbis narrat Anaſtaſius. *Poſt celebrationem miſſarum obtulit ipſe ſereniſſimus Dominus Imperator menſam argenteam cum pedibus ſuis penſantem libras* .... deeſt numerus. *Sed & in confeſſione ejuſdem Dei Apoſtoli obtulit una cum præcellentiſſimo filio ſuo Rege, & filiabus diverſa vaſa ex auro puriſſimo in miniſterio ipſius menſæ, penſan. lib..... Sed & coronam auream, cum gemmis majoribus, quæ pendet ſuper altare, penſan. lib. 55. Et patenam auream majorem, cum gemmis diverſis, penſan. lib. 30. Et calicem majorem cum gemmis, & anſis duabus, penſan. lib. 58. Item calicem majorem fundatum, cum ſcyphone, penſan. lib. 37. Immo & alium calicem majorem fundatum, penſan. lib. 36. Obtulit & ſuper ſacratiſſimum altare beati Petri Apoſtoli, immo & in Baſilica Beati Pauli Apoſtoli menſam argenteam minorem, cum pedibus ſuis, penſan. lib. 55. Cum diverſis vaſis argenteis miræ magnitudinis, quæ ad uſum ipſius menſæ pertinent. Item in baſilica Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quam Conſtantinianam vocant, obtulit Crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in Letania præcedere conſtituit, ſecundum petitionem ipſius piiſſimi Imperatoris. Immo & altare cum columnis argenteis, & Cyborio, verum etiam & Evangelium ex auro mundiſſimo cum gemmis ornatum penſantem libr..... Item & in Baſilica Beatæ Mariæ Virginis ad præſepe obtulit ſicla majora* penſant. lib..... &c. Hactenus de his Anaſtaſius, qui de exilio Paſchalis, & Campuli, aliorumque ſceleratorum, qui vitæ Leonis Papæ inſidiati fuerant, hæc ſubdit. *Poſtmodam vero dum deducti fuiſſent iniquiſſimi illi malefactores, videlicet Paſchalis, & Campulus, & ſequaces eorum in præſentia piiſſimi Domni Imperatoris, cir-*

Caroli M. dona Romæ eccleſiis facta.

Rr 2 *cum-*

Jesu Chr. an. 800.

cumſtantibus nobiliſſimis Francis, & Romanis, & omnibus exprobrantibus de malis ipſorum conſiliis & operationibus, increpabat Campulus Paſchalem dicendo. Mala hora faciem tuam vidi, eo quod tu me miſiſti in iſtud periculum, & ceteri ſimiliter, alter alterum condemnans, manifeſtabant ſuum ipſorum reatum. Qui dum tam crudeles, & iniquos piiſſimus Imperator cognoviſſet, in exilium in partibus Franciæ miſit &c. Ut autem tanti ſceleris reos exilii tantum pœna plecterentur, Leonis Papæ interceſſio effecit, uti ſupra jam diximus.

Loca ſacra Hieroſolym. Carolo conceſſa.

10. Dum Romæ Carolus eſſet hoc anno *Eadem die*, ideſt octavo Kal. Decemb. ait Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli. *Zacharias cum duobus monachis, uno de monte Oliveti, altero de Sancto Saba, de Oriente reverſus Romam venit, quos Patriarcha ad Regem miſit. Qui benedictionis cauſa claves Sepulchri Domini, ac loci Calvariæ, Claves etiam civitatis, & Montis oliveti cum vexillo detulerunt, quos Rex benigne ſuſcipiens, aliquot dies ſecum detinuit, & Aprili menſe*, anni ſequentis *remuneratos abſolvit*, ſeu dimiſit. Hos quidem ex corrupto auctoris vitæ Caroli textu, ab Joanne Hieroſolymorum Patriarcha miſſos fuiſſe Baronius tradidit. At Georgium tunc eam ſedem tenuiſſe demonſtrat Pagius.

Carolus ab Hieroſolym. reliquias accipit, ac munera Hieroſolymis mittit.

11. Quæ hactenus de legatione, & muneribus ab Hieroſolymorum Patriarcha ad Carolum miſſis diximus, ex his, quæ Eginhardus in vita Caroli narrat, clarius exponenda ſunt. Cnm itaque anno elapſo 799. Carolus Aquiſgrano eſſet. *Monachus quidam de Hieroſolymis veniens, benedictionem, & reliquias de loco Reſurrectionis Dominicæ, quæ Patriarcha Regi miſerat, detulit*, tunc Rex, *Monachum reverti volentem abſolvens, Zachariam quemdam Presbyterum de Palatio ſuo cum eo ire juſſit, cui & donaria ſua ad illa veneranda loca deferrenda commiſit.* Is porro Zacharias Presbyter, & Caroli legatus cum muneribus ad loca ſancta, & ad Aronem Seracenorum Caliphamanno proximo miſſus, hoc anno cum duobus monachis reverſus, Romæ, ut diximus, Claves Sepulchri, & civitatis Carolo obtulit.

Aron Seracenorum Calipha lega-

12. Nam ut alibi in vita Caroli adnotat idem Eginhardus. *Cum Aron Rege Perſarum*, ſeu Seracenorum, qui in Perſide imperii ſui fines dilataverat, *qui excepta India*, *totum*

totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam (Carolus ſcilicet), *ut is gratiam ejus omnium, qui in toto Orbe terrarum erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolumque illum honore ac munificentia ſibi colendum judicaret: ac proinde cum Legati ejus, quos cum donariis ad Sacratiſſimum Domini, ac Salvatoris noſtri Sepulcrum, locumque Reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & eidem Domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, ut illius poteſtati adſcriberetur, conceſſit: & revertentibus Legatis ſuos adjungens, inter veſtes & aromata, & ceteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona direxit, cum ei,* PAUCOS ANTE ANNOS, *eum, quem tunc ſolum habebat, roganti, mitteret Elephantem.* Hic autem Elephans tardius ad Carolum delatus eſt, nam antea Zacharias Presbyter Caroli legatus ad eum cum duobus monachis rediit, muneraque obtulit hoc anno, Elephans vero eodem Eginhardo teſte in annalibus, hoc tantum anno in portum Piſis delatum eſt, unde de Caroli itinere poſt Paſchatis feſtum Romæ celebratum, anno ſequenti, idem auctor: *Poſt Paſcha ſeptimo Kal. Maji Roma profectus, Spoletum venit* Carolus. *De Spoleto Ravennam, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nuntiatum eſt ei legatos Aron Regis Perſarum portum Piſas intraſſe, quibus obviam mittens, inter Vercellas, & Eporediam*, Pedemontis oppida, *eos ſibi fecit præſentari. Hic Iſaac Judæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Perſarum cum Lanfrido, & Sigiſmundo legatis ſuis miſerat, reverſum cum muneribus nunciaverunt. Nam Lanfridus, & Sigiſmundus ambo in eodem itinere defuncti ſunt. Tunc ille miſit Echelbardum notarium in Liguriam ad claſſem parandam, qua Elephans*, qui in portu Piſano ſubſtiterat, *& ea quæ cum eo efferrebantur, ſubveherentur*. Hinc eodem anno 801. iterum Eginhardus. *Menſe Octobri Iſaac Judæus de Africa cum Elephante regreſſus, portum Veneris intravit*, cum in Liguriam uſque beſtiam perduxiſſet. *Quia propter nives Alpes trajicere non poterat, Vercellis hyemavit.* At vere adveniente anni ſequentis 802. *Menſe Julio* 13. *Kal Aug. venit Iſaac cum Elephante, & ceteris muneribus, quæ a Rege Perſarum miſſa fuerant, & Aquiſgrani omnia*

In-

JESU CHR. AN. 800.
tos, & munera Carolo mittit.

JESU CHR. AN. 800.

Imperatori detulit, hucuſque de Elephantis itinere, deque muneribus ab Arone Carolo miſſis. Eademque in vita Caroli Poeta Saxonicus ad hunc annum.

Hoc de longinquis Elephas regionibus anno
Primitus adductus, mira ſpectacula Regno
Francorum dederat Perſarum denique Princeps
Hunc Aaron:

Et de muneribus ab eo miſſis, paulo poſt.

Nam gemmas, aurum, veſtes, & aromata crebra

Ac reliquas Orientis opes direxerat illi,

Adſcribique locum ſanctum Hieroſolymorum
Conceſſit propriæ Caroli ſemper ditioni

Hinc factum, ut frequentiores eſſent, in poſterum ex toto Chriſtiano orbe peregrinationes ad loca ſancta Hieroſolymorum.

Imperialis dignitas, quid Carolo contulerit.

13. Quid autem Imperialis dignitas Carolo M. ab Leone tertio tradita, eidem contulerit, in controverſiam vertitur, atque inprimis, minus recte, translationem quamdam Occidentalis Imperii a Græcis Imperatoribus in Carolum factam ab Leone fuiſſe ſcripſiſſe Baronium, & Bellarminum, adnotat Pagius, nam nil Græcis Imperatoribus detractum inde, vel ablatum fuit, ut ex his in Carolum transferretur. Nam quæ hactenus in Italia, ſeu in Sicilia, & Ducatu Neapolitano retinuerant, in eorumdem poteſtate perſeverarunt, uſque dum a Seracenis, deinde a Normannis Italia pene tota exturbarentur, quorum in Occidente Imperium jamdiu exciderat, cum Occidentis Regna, & Provinciæ temporis tractu iiſdem barbaris gentibus, vel Francis ereptæ fuerant.

Occidentale Imperium in Carolo renovatum.

14. In Occidente tamen renovatum fuiſſe Imperium adnotat merito Sigonius his verbis. *Hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cum in Momulo Auguſtulo ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos fere annos, ſub Regnum Gothorum in Italia defeciſſet, in eodem Occidente Pontifex re-*

renovavit, ut haberet Romana eccleſia adverſus infideles, hæreticos, ac ſeditioſos tutorem, cujus officium repudiaſſe jampridem Imperator Orientis videretur. Ejuſdemque renovationis Imperii teſtes ſunt numiſmata Caroli, quæ adhuc ſuperſunt, in quibus, ut ait Pagius, legitur, *Renovatio Imperii*, ſicque qui hactenus Romanorum Patricius dicebatur. *Omiſſo Patricii nomine, Imperator, & Auguſtus appellatus eſt*. Ait Eginhardus. At etſi nomen, officium tamen non mutavit, nam ſicuti Patricii Romanorum officium erat Romanam eccleſiam, Romanumque Pontificem, ab hoſtilibus infeſtationibus, ab hæreticorum inſidiis, vel ab ſeditioſorum civium inſultibus tueri, uti hactenus erga Leonem Pontificem egregie functus fuerat Carolus, cum compreſſis ſeditioſis Romanis, & in exilium ejectis, eumdem ſuæ ſedi reſtituerat, hocque idem Imperatorum officium erat, & ſane ad id exequendum nemo aptior Carolo erat, cujus Imperio non ſolum univerſa, qua late patet Gallia parebat, ſed in Hiſpania quidquid a Piræneis montibus occurrit ad Rubricatum uſque, omnem cum Balearibus inſulis, in Italia quidquid Longobardicæ ditionis fuerat cum adjacentibus Iſtria, & Liburnia, inſulaque Corſica, Rhetiam quoque, Vindeliciam, Noricum, & quidquid Danubium, & Alpes interjacet. Ultra vero Danubium, partem non modicam Pannoniarum, & Germaniam non tantum cis Alpim, ſed etiam ulterius ad Oderam uſque flumen, & mare Balticum in ſua retinebat poteſtate. Quare ne vel a Græcis, Romano nomini, & Romanæ eccleſiæ ſemper infeſtis, inſidias aut damnum pateretur Romana eccleſia, aut a Ducibus Beneventanis, eum ſibi defenſorem, protectoremque elegit, qui ob Imperii ſui robur, cunctis terrori eſſe poterat, eaque de cauſa, qui Patricius hactenus Romanorum dictus fuerat, Romanorum deinde Imperator dici meruit, totaque errarunt via, quotquot Theophanis auctoritatem ſecuti, Urbem ipſam, vel Romanum Ducatum in Caroli poteſtatem tunc tranſiiſſe dixerunt. *Sub id tempus primum & deinceps in Francorum poteſtatem Roma ceſſit*. Ait Theophanes, quod ſane falſiſſimum eſſe dicta hactenus, vel inferius ſequentibus annis dicenda probabunt. De quibus, ſicuti & de hac Caroli inauguratione in Romanum Imperatorem, plura dabit Cennius in diſſertatione prævia ad litteras Leoni tertii, ut plura addere jam pigeat. JE-

JESU CHRISTI an. 801. Leonis tertii Papæ an. 7. Caroli Imp. 2. Irenes Imperatricis anno 5.

Carolus M. in Galliam redit.

1. Carolum Magnum Romæ hyemantem anno proximo reliquimus. *Qui ordinatis Romanæ urbis, & Apoſtolici, totiuſque Italiæ, non tantum publicis, ſed etiam eccleſiaſticis, & privatis rebus, nam tota hyeme non aliud fecit Imperator, miſſaque iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino filio ſuo. Ipſe poſt Paſcha, ſeptimo Kal. Maji Roma profectus eſt*, ait Annaliſta Loiſellianus, his vero addit Eginhardus in Annalibus. *Spoletum venit, & dum eſſet ibi, pridie Kal. Maji hora noctis ſecunda, terræ motus maximus factus eſt, quo & tota Italia graviter concuſſa eſt. Quo etiam terræ motu Romæ tectum baſilicæ B. Pauli Apoſtoli magna ex parte cum ſuis trabibus decidit, & in quibuſdam locis urbes, monteſque ruerunt &c.* De hac vero clade, quam tunc Romæ paſſa eſt baſilica S. Pauli, Anaſtaſius agit his verbis in ipſo Leone. *Nona vero Indictione, peccatis noſtris imminentibus, ſubito terræ motus factus pridie Kal. Maji, Eccleſia beati Pauli Apoſtoli ab ipſo terræ motu concuſſa, omnia ſarta tecta ruere. Quæ conſpiciens magnus ac præclarus Pontifex, in magnam venit tribulationem, & lamentari cœpit tam pro argento, quam pro cæteris ſpeciebus, quæ ibidem demolitæ, & confractæ ſunt. Sed domino annuente, & B. Principe Apoſtolorum protegente, præclarus Pontifex totis niſibus ſuis, certamen petentis inſtar, ſicut antiquitus exiſtebat ampla & maxima, fortitudine potens, in meliorem deduxit ſtatum, & in meliorem ſpeciem eam marmoribus decoravit, & tam presbyterium, quam totam Eccleſiam marmoravit, & ejus porticus renovavit: ſimulque & in navi, quæ eſt ſuper altare, ſarta tecta omnia noviter reſtauravit; quin etiam & tres imagines aureas ibidem obtulit, ſcilicet Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, & B. Apoſtolorum Petri & Pauli. Sed & aliam imaginem Salvatoris deauratam ſuper poſtes in introitu poſuit penſantem libras ſexaginta: ſed & omne argentum ibidem, quod quaſſatum erat, noviter reſtauravit. Nec non & feneſtras ipſius Eccleſiæ miræ pulchritudinis ex metallo Cyprinio decoravit.* Et inferius de eadem baſilica: *Item fecit in eadem baſilica B. Pauli*

Digitized by Google

Pauli calices majores fundatos ex argento puriſſimo, ex ipſius Apoſtoli donis, qui pendent inter arcus majores numero undecim, alios, qui pendent inter columnas majores dextera levaque numero quadraginta: ſimul penſantes libras ducentas, & ſexaginta ſeptem. Fecit & ciborium cum columnis quinquagintaquinque ſuper altare miræ magnitudinis & pulchritudinis ex argento puriſſimo, penſans duo mille & quindecim libras, nec non & Crucem anaglypham pendentem in pergula ante altare penſantem libras tredecim, atque velum rubeum quod pendet ante altare habens in medio Crucem de chryſoclavo: & rurſus. Fecit ibidem idem beatiſſimus Pontifex caniſtros ex argento puro numero quadraginta: ſeptem penſantes ſimul libras ducentas quadraginta: & inferius Fecit in eadem baſilica Doctoris mundi B. Pauli Apoſtoli Angelos ex argento puriſſimo duos, juxta imaginem Salvatoris in ingreſſu veſtibuli, penſantes libras centum & ſemis. Verum & polycandilum pendentem in pergula ante Confeſſionem cum catenulis aureis, quæ penſant libram unam. Præterea & in ingreſſu baſilicæ ſuper rugas majores fecit imagines ex argento quinque penſantes libras ducentas viginti novem. Fecit & ubi ſupra Aquamanus ante.... deauratos duos argenteos penſantes libras quatuordecim. Fecit & ſuper ceroſtratas majores verſatiles anaglyphos ex argento puriſſimo, penſantes ſimul libras octoginta ſex, & uncias octo, atque lucernas majores faſiles bimixas anaglyphas duas penſantes libras quinquaginta ſeptem. Et conſtituit ejus beatitudo, ut quotidianis noctibus ante altare ipſius Apoſtoli ardere debeant. Idem divina inſpiratus gratia inveſtivit trabem majorem, quæ eſt ſub arcu principali ex argento mundiſſimo penſante undique libras mille trecentas quinquanginta, duas. Fecit & ſuper altare majus veſtem cryſoclavam mira pulchritudine decoratam, habentem hiſtoriam Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque ejus Genitricis, atque duodecim Apoſtolorum cum periclyſi de chryſoclavo, undique ex margaritis ornatam, atque ab utroque latere blatthi cum chryſoclavo, quæ in natalibus Apoſtolorum ibidem poni conſtituit. Fecit etiam ibi ſuper Crucem majorem ex auro fulvo nimis epanoclyſtum ornatum gemmis pretioſis penſantem libras quadragintaduas & uncias duas, necnon & ceroſtratorum paria quatuor inveſtita ex argento deaurato penſan-

Jesu Chr. an. 801.

Jesu Chr. An. 801. *ſuntia libras ſeptuagintaſeptem* . Ac rurſum inferius hæc habentur: *Fecit & in baſilica eadem veſtem ſuper altare habentem hiſtoriam Reſurrectionis, & imagines Apoſtolorum cryſoclavam ornatam margaritis, & imagines Apoſtolorum duas ex argento deaurato penſantes libras octoginta ſex* . Et inferius multa alia de donis eidem eccleſiæ S. Pauli, aliiſque urbis eccleſiis ab Leone Papa oblatis ibidem addit, quarum plurimas etiam vel inſtauravit, vel a fundamentis erexit, ut mirum ſit, tantas contuliſſe opes, ut vel ipſas trabes argento mundiſſimo operiret, ac collecta ſumma ibidem ab Anaſtaſio relata in una tantum doctoris gentium baſilica, auri libras centumſexagintaſeptem cum unciis aliquot efficiat, argenti vero libras quatermille, nongentas, octaginta duas: his adde cetera, quæ in aliis eccleſiis obtulit, longiorem catalogum ex Anaſtaſio ad hunc annum, & iterum annum 816. Leonis ultimum refert Baronius.

De Leonis 3. Papæ, & Caroli victoria apud Anſedoniam.

2. Ad hunc quoque annum poſt Cointium Pagius narrat victoriam, quam Leo Papa, & Carolus ad Anſidoniam urbem Tuſciæ, apud Orbetellum olim ſitam, de hoſtibus retulerunt, ut ex eorum patet diplomate, nec non ex alio, quod in ejuſdem poſtea confirmationem Alexander Papa IV. emiſit, utrumque recitat Ughellus in Oſtienſium Epiſcoporum Catalogo in Epiſc. XI. Leo III. & Carolus Imp. in ſuo Diplomate ſic loquuntur: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus per Angelum ſuum in viſione nobis videri fecit, ut caput prædicti Martyris* (Anaſtaſii ſcilicet) *ad ejus pugnam, quam nos ad præſatam Civitatem* (nempe Anſidoniam) *habebamus, cum Dei laudibus adveheret, noſtris vero inimicis dicebat, ut vincebamus, & nos ita talia fecimus: & nunc auxiliante Deo, & iſto præfato Martyre adveniente ejus capite* (quod ex Monaſterio prope Romam ad Aquas Salvias ſito delatum eſt) *terræ motus venit ſuper noſtris inimicis, & terror apprehendit eos, & parietes irruerunt, inimici vero noſtri in noſtris manibus devenerunt, & omnes interfecti fuerunt*. Alexander IV. in ſuis ad Abbatem, Fratreſque Monaſterii Sancti Anaſtaſiii litteris, idem confirmat dum eorum monaſterio. *Civitatem Anſedoniæ cum omnibus Eccleſiis, & pertinentiis ſuis, olim ab infidelibus & iniquis hominibus poſſeſſis, ſed præterea a memorato Carolo Imperatore una cum præfato Leone Prædeceſſore noſtro* (inquit Alexander) *meritis*

ritis & auxiliis B. Anaſtaſii Martyris, ejuſdem capitis oſtenſione devictam & deſtructam, donavit &c. ait Alexander Papa quartus. Hi autem infideles, qui Anſedoniam in Thuſciæ littoribus invaſerant, Seracenos fuiſſe dubitari vix poteſt, qui ex Hiſpano littore ſolventes, Mediterraneum mare hac ætate excurriſſe, ac Baleares etiam inſulas occupaſſe ſcimus. At de his agens Muratorius, mirari ſatis ſe ait, viros eruditos non animadvertiſſe, vulgatum ab Volteranno, & Ughellio diploma purum, putumque figmentum eſſe, quod bona fide Alexander Papa quartus confirmavit. Quod quam vere Muratorius adnotaverit aliis expendendum relinquimus.

Caroli leges in Italia editæ.

3. Caroli nunc relegentes iter, adnotandum eſt, eum dum Ticini eſſet, leges plurimas pro componendis Italiæ rebus edidiſſe. Nam ut ait Eginhardus in ejus vita. *Poſt ſuſceptum Imperiale nomen, cum animadverteret multa legibus populi ſui deeſſe (nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diverſas) cogitavit, quæ deerant, addere & diſcrepantia inire, prava quoque, & perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum eſt, quam quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub ejus ditione erant, jura quæ ſcripta non erant, deſcribi, ac litteris mandari fecit &c.* Legibus hoc anno vulgatis hanc præfationem addidit. *Carolus divino nutu coronatus Romanorum regens Imperium ſereniſſimus Auguſtus, omnibus Comitibus, Caſtaldis, ſeu cunctis Reipub. per provinciam Italiæ a noſtra manſuetudine præpoſitis, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti* 801. *Indictione* 9. *anno Regni noſtri in Francia* 33. *In Italia* 28. *Conſulatus autem noſtri primo. Cum in Italiam propter utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac provinciarum diſponendarum veniſſemus, multæ atque diverſæ per urbes ſingulas ante conſpectum noſtrum quæſtiones venerunt, tam de Eccleſiaſticis, quam de publicis, & privatis rebus, per ea, quæ ſtatim recitata, ex Romana, ſeu Longobarda lege competenti ſententia terminata ſunt, quorum judicialis ſententia a legislatoribus aut penitus omiſſa eſt, aut a poſteris oblivioni tradita. Quocirca nos conſiderantes utilitatem noſtram, & populi a Deo nobis conceſſi, ea quæ ab anteceſſoribus noſtris Regibus Italiæ in edictis legis Longobardicæ ab ipſis editæ prætermiſſa ſunt, juxta rerum, ac temporam conſiderationem*

Ss 2 *addere*

addere curavimus, ſolliciti ut neceſſaria, quæ legi defuerunt, ſupplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, ſed noſtræ legis auctoritas prævaleret. Præfationem ſequuntur capitula octo his titulis inſcripta. De chartis donationis faciendis, 2. De heribanno, ſeu qui militare vocatus recuſaverit. 3. De diſertoribus. 4. De latronibus exhibendis. 5. De mancatione qualibet. 6. De Aldionibus publicis ſive ſervis, & libertis. 7. Item de Latronibus. 8. De Servis fugacibus. Deinde capitula 49. ex Longobardorum Codice excerpta ſequuntur. De eccleſiaſticis, & de ſecularibus negotiis agentia, quæ partim confirmantur, aut in nonnullis immutantur. Ex his caput decimumtertium hæc continet. *De fœminis, quas defunctis viris Lex Longobardorum prohibet ante anni ſpatium veſtem religionis mutare, velumque ſuſcipere, petierunt noſtram licentiam, ut mox dum divina pietas inſpiraverit, eas indemnes liceat ſuſcipere. Nos autem conſiderantes quia præterito tempore pro ipſa dilatione multæ raptæ intra idem ſpatium ad aliam partem diſtractæ fuerunt, ideo petitionem earum, quia cenſuimus eſſe juſtum, ſuſcepimus, & eis fieri ita concedimus*.

Comites cum Epiſcopis concordiam foveant.

4. Cumque plura de Epiſcoporum, Presbyterorum, ceterorumque clericorum ſecuritate, immunitate, & officiis ibidem legantur, capite 33. hæc etiam notatu digna occurrunt. *Volumus ut Epiſcopi, & Comites concordiam, & dilectionem inter ſe habeant ad Dei, & Sanctæ Eccleſiæ pertractatum peragendum, & ut Epiſcopus ſuo Comiti, ubi ei neceſſitas popoſcerit, adjutor & exhortator exiſtat qualiter ſuum miniſterium explere poſſit. Similiter & Comes nil faciat contra ſuum Epiſcopum, ut in omnibus illi adjutor ſit, qualiter intra ſuam parrochiam canonicum poſſit explere miniſterium*. Sequenti vero capite de eo, qui crimen alicui ingeſſerit, ſtatuit. *Melius viſum eſt in campo cum fuſtibus pariter contendant, quam perjurium abſconſe perpetrent*. Pro colonis vero & ruricolis ſublevandis, hæc etiam jubet. *Audivimus etiam, quod juniores Comitum, vel aliqui miniſtri reipublicæ, ſive etiam nonnulli fortiores vaſi Comitum, aliquas redhibitiones vel collectiones, quidam per paſtum, quidam etiam ſine paſto, quaſi deprecando a populo exigere ſolent. Similiter quoque operas collectionis frugum, arare, ſeminare, runcare, carrucare, vel cetera his ſimilia a populo per eaſdem, vel per alias*

ma

machinationes exigere conſuevere, non tantum ab eccleſiaſticis, ſed etiam a reliquo populo, quæ omnia nobis ab omni populo juſte removenda eſſe videntur. Quia in quibuſdam locis in tantum inde populus oppreſſus eſt, ut multi ferre non valentes, per fugam a dominis, vel a patronis ſuis lapſi fuerint, & terræ ipſæ in ſolitudinem redactæ ſint, potentioribus autem, vel ditioribus ex ſpontanea tamen voluntate, vel mutua dilectione volentibus ſolatia præſtare invicem, minime prohibemus.

Jesu Chr. an. 801.

5. Dignum quoque tanti Principis, hoc alterum in Romanæ eccleſiæ obſequium decretum edidit Carolus, a Gratiano relatum, his verbis. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam ſedem, ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas: Ut licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet ſive ſit presbyter, ſive diaconus aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando, redarguetur falſam ab Apoſtolica Sede detuliſſe epiſtolam, vel aliud aliquid, quod inde non venerit: ſalva fide & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcoporum ſit poteſtas, utrum eum in carcerem, aut aliam detrudat cuſtodiam, uſquequo per epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis Legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, ut potiſſimum tam ſancta legatione dignetur decernere, quid de talibus juſto ordine ſtatuat lex Romana definire, ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.* Hæc Carolus, ut in Romanam eccleſiam, Romanoſque Pontifices obſequium, reverentiamque ſuam teſtaretur. Epiſcoporum vero ſententias quacumque de re latas, Theodoſii exemplo, ab omnibus Imperio ſuo ſubditis religioſe ſervandas eſſe his verbis juſſit. *Volumus, atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bajoarii, Saxones, Thuringii, Freſones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Vaſcones, Beneventani, Gothi, Hiſpani, cæterique nobis ſubjecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo conſtricti, vel conſuetudinario more connexi, hanc ſententiam, quam ex ſextodecimo Theodoſii Imp. libro, capitulo videlicet undecimo ad interrogata Ablavii Ducis*

Caroli decretum pro Rom. eccleſiæ dignitate.

JESU CHR. AN. 801. *Ducis illi, & omnibus reſcriptam ſumpſimus, & inter noſtra capitula pro lege tenendam conſultu omnium fidelium noſtrorum tam clericorum, quam laicorum poſuimus, lege cunctis perpetua tenenda, ideſt: Quicumque litem habens, ſive poſſeſſor ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum inceperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ legis Antiſtitis: illico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragetur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque cauſæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius tractari negotium, quod Epiſcoporum ſententiis deciderit. Teſtimonium etiam ab uno licet Epiſcopo perhibitum, omnes Judices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a ſacroſancto homine conſcientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus: hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes, ut miſeri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis impliciti, ab improbis petitionibus, vel a cupiditate perpera maturo fine diſcedant. Quicquid itaque de ſententiis Epiſcoporum clementia noſtra cenſuerat, etiam hac ſumus lege complexi, gravitatem tuam, & cæteros pro utilitate omnium, in perpetuum obſervare conveniet.* Atque hæc de Caroli legibus, pro eccleſiarum dignitate, & immunitate ſervanda, proque eccleſiaſtica diſciplina reſtauranda, dicta hactenus ſatis ſint, ne plura, ex ejuſdem capitularibus exſcribendo, lectores fatigemus.

Carolus in Galliam redit Alcuini ad eum epiſtolæ.

6. Interea Carolus. *Celebrato die natali S. Joannis Baptiſtæ apud Eporediam*, in ſubalpinis, *Alpes tranſgreſſus in Gallias reverſus eſt*. Ait Eginhardus, aliique: in Gallias redeuntem Alcuinus etſi febribus laboraret, epiſtolis ſuis adiit, ut de reditu gratularetur, cui etiam deſiderium ſuum expoſuit, quo jamdiu tenebatur, ut ab ſecularibus negotiis liber vitam tranſigere poſſet. *Longa feſſus infirmitate*, ait in Epiſtola 103. *Deo miſerante dum aliquantulum conva-*

valuit, affatim veſtram adire pietatem feſtinabat, ſed & lacrymarum manuſcula mearum in orationibus apud S. Martinum pro deſideratiſſima auctoritatis veſtræ proſperitate, vobis tranſmitto ſponſione &c. Et in altera epiſtola, excuſans ſe, quod ad eum non perrexerit. *Ecce*, inquit, *Flaccus effœto corpore militaris cingulo laboris depoſito, ſecundum piiſſimum Domini ſui David*, ſive Caroli, *conſilium* devote Deo ſoli quieta pace ſervire toto elegit *deſiderio, quid igitur iterum pugnare cogitur, & ſub faſce armorum deſudare, quæ infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo levare ....* & paulo poſt. *Ne quæſo ſancta mens Domini mei iraſcatur tarditati meæ, quod modo venire non valeam. Erit iterum, ſi Deo placuerit, tempore opportuno &c.* Infirmitate vero detentus cum eum adire nequaquam potuiſſet, iterum utorationibus, quietique vacare daretur, Carolum his verbis rogavit. *Speravi atque optavi me tranſactis diebus veſtræ adhuc vel ſemel beatitudinis faciem videre, ſed ingraveſcente infirmi corporis flebilitate, omnimodis hoc idem fieri non poſſe probatum habeo. Quapropter deprecor veſtræ invictæ bonitatis miſericordiam, ut nullatenus mens ſancta, voluntas benigna, quæ in vobis eſt, meæ iraſcatur infirmitati, ſed pia compaſſione feſſum concedat requieſcere, orationibuſque pro vobis inſtare, & prævenire faciem æterni judicis in confeſſione, & lacrymis.* Hæc Flaccus Albinus ad Carolum, cum ætate jam provecta, infirmitatibuſque gravatus, ultimum fere ſibi diem inſtare præviderет. De quo iterum anno 804. quo obiit, dicturi ſumus.

Jesu Chr. an. 801.

7. Ad hunc annum S. Salvii Engoliſmenſis Epiſcopi martyrium contigiſſe narrat Sigebertus, qui cum Valentianas adveniſſet, ut Idololatriæ reliquias extirparet, in Genardi procuratoris fiſci cum ſocio ingreſſus, a quo fuerat ad epulas invitatus, ab Lenardi filio, una cum ſocio interfectus eſt, ut ſacram ſuppellectilem, quam ſecum Salvius detulerat, eriperet, Calicem ſcilicet aureum, & indumenta prætioſa. Quare ad ea loca tranſiens hoc anno Carolus, cœdis auctores, gravi pœna mulctavit, & translationi reliquiarum, ſeu corporis S. Salvii Valentiani idibus Octobris factæ interfuit. Cujus memoria die ſexta Kal. Julii martyrologio Romano, aliiſque recolitur.

De Sancto Salvio Epiſcopo Engoliſmenſi, & Martyre.

8. De geſtis Caroli in bello Seracenico, & Bene-

Carolus Bar

ne-

JESU CHR. AN. 801. cinonam occupat. neventano narrat Eginhardus ad hunc annum. *Ipſa æſtate capta eſt Barcinona civitas in Hiſpania, jam biennio obſeſſa, Zatin Præfectus ejus, & alii complures Saraceni comprehenſi.* Seracenico bello Lodovicum Carolus præfecerat, qui eo bello feliciter geſto, ad Carolum Aquiſgrano, ubi & Natale Domini celebravit, rediit.

Barcinone religio catholica reſtituitur. 9. Barcinone occupata Berum Comitem eidem præfecit Lodovicus, ac ut ibidem chriſtiana religio, & catholica fides reſtauraretur juſſit. *Tradita & patefacta civitate*, ait auctor vitæ Lodovici, qui rem geſtam accurate deſcripſit. *Primo quidem die cuſtodes Rex illuc deſtinavit, ipſe autem ab ejus ingreſſu abſtinuit, donec ordinaret, qualiter cum digna Deo gratiarum actione capitam atque ſuſceptam victoriam ejus nomini conſecraret. Antecedentibus ergo cum in craſtinum & exercitum ejus Sacerdotibus, & clero cum ſolemni apparatu & laudibus hymnidicis portam civitatis ingreſſus, & ad eccleſiam ſanctæ & victoriſſimæ Crucis pro victoria ſibi collata, gratiarum actionem Deo auctore progreſſus eſt.*

Caroli victoria in Ducatu Beneventano ubi Theatem occupat. 10. In Italia quoque, ideſt adverſus Beneventanum Ducem, Pippino Duce victoriam Carolo ceſſiſſe idem Eginhardus adnotat, hinc ſubdit. *Italia Theate civitas*, Abrutiorum, *ſimiliter capta, & incenſa eſt, ejuſque Præfectus Roſelinus comprehenſus. Caſtella, quæ ad ipſam pertinent civitatem, in deditionem accepta ſunt.* Hujus Beneventani belli meminit Alcuinus in epiſtola ad Carolum hoc eodem anno data, eique feliciſſimum auguratur exitum. *Intimo cordis affectu depoſco, ut ſanctiſſima ſapientiæ veſtræ conſideratio provideat, quid Deo placeat, vel quid populo chriſtiano de expeditione hoſtili in terra Beneventana, ne majus ſibi eveniat damnum de fidelibus tuis Optima noſtri quomodo divina pro te pugnabat providentia. Patrem, fratremque hujus impiiſſimi hominis, nempe Grimoaldi ducis, in brevi tulit articulo. Sic etiam, ſic faciet, credimus, ſi illius ſancta voluntas diſponit, ut & iſte pereat, ſine aliquo fidelium damno tuorum eveniat. Talia poſſunt fere melius ex conſilio, quam aperta expugnatione, finem habere &c.* Ac ut cuncta recte diſponeret hortatur, ac continuas pro eo preces, ſe fundere addit, atque de geſtis hoc anno hactenus dicta ſufficiant.

JE-

Jesu Chr. an. 802.

JESU CHRISTI annus 802. Leonis 3. Papæ an. 8. Caroli Imp. 3. Nicephori Imp. 1.

1. Imperante Irene Auguſta Ætium, & Stauracium diu inter ſe contendiſſe, quis eorum, aut vivente Irene, aut poſt ejus obitum Imperium obtineret, ſupra diximus, pluribuſque verbis narrat Theophanes. Interea cum Stauracius ſanguinis vomitu anno 800. periiſſet. *Ætius Stauracii metu liber, & ab ea cura exoneratus, ſummam Imperii poteſtatem in fratrem ſuum transferre operam omnem adhibebat, qua de cauſa ſupremum exercitus ducem per Thraciam, & Macedoniam eum inſtitui curaverat*. Dumque arrogantia plenus Ætius cunctos deſpiceret, ab Nicephoro præventus, ſua ſpe omnino excidit, quæ antequam fierent, adnotandum eſt, cum eodem Theophane, quod cum Carolus Imperiali corona Romæ anno 800. accepta, ut Italiæ tranquillitati conſuleret, Græcos inde ejicere, *Siciliamque adoriri meditatus, conſilium mutavit, cum Irene conjugium, & pacem contrahere animo gerens, cujus gratia inſequente anno* 801., *indictione nimirum decima, legatos deſtinavit*. Jeſſem nempe Ambejanenſem Epiſcopum, & Elinigaudium Comitem, qui Adone teſte hoc anno, dum adhuc indictio decima uſque ad Septembrem in curſu eſſet, CPolim. *Irenem Carolo matrimonio conjungendam, atque ita Orientis, & Occidentis Imperia in unum componenda poſtulantes, advenerunt, quibus ipſa aſſenſura erat, ſi non Ætius iſte, poſt Imperatricem, ut ſæpe memoravimus, cuncta adminiſtrans, ac Imperium in fratrem transferre meditatus, ejus ſe conſiliis oppoſuiſſet*.

Carolus M. & Leo Pontifex legatos CP. ad Irenem mittunt.

2. Cumque hæc CPoli agerentur, repente nuptiarum conſilia everſa ſunt, ac in tragœdiam mutata, nam ut narrat Theophanes. *Hoc anno menſis Octobris die trigeſimo primo, indictionis undecimæ, hora noctis quarta, illuceſcente feriæ ſecundæ, Nicephorus Patricius, & Generalis Logotheta in piiſſimam Irenem, Deo delictorum noſtrorum multitudine irritato, & ineffabilibus ſuis judiciis ita permittente, tyrannidem excitavit*. Hoc ſcilicet Chriſti anno. Narrat poſtea quibus adjutoribus uſus ſit, additque *ante noctis medium* Imperatoris inaugurationem perfectam fuiſſe, & ex Eleutherii

Irenes Imperatrix deponitur, in exilium mittitur ejus obitus.

Jesu Chr. an. 802.

Palatio Irenem facto diluculo translatam, in magno Palatio incluſam fuiſſe. *Poſtridie nonnullis Patriciis comitatus* (nempe Nicephorus) *ad Imperatricem ſub cuſtodia detentam ſe contulit, familiariſque ſibi benevolentiæ fallacem ſpeciem, qua multos decepit, præſeferens*. Invitum omnino ad Imperium evectum fuiſſe addit, ac Irenem adiens, juramento præſtito eamdem certiorem fecit, ſe obſequium, quale decet Imperatricem a ſervo præſtiturum. At illa generoſo atque prudenti animo reſpondit, ſe exauctorationis ſuæ cauſam delictis ſuis adſcribere, eumque tamquam a Deo promotum Imperatorem venerari. Petiit tantum ab eo, ut Eleutheri ædem a ſe conſtructam habere permitteretur, quod ille promiſit, modo illa juraret, ſe Imperii theſaurorum nihil occultatuam. Sed poſtquam Irene juravit. *Is deſideriorum compos in Principi inſulam, in Monaſterium ab ipſa ædificatum, Caroli legatis adhuc in Urbe agentibus, & quæ gerebantur ſpectantibus eam relegavit, &c. Menſe Novembri, frigore aſperrimo jam terris incumbente, inclemens ac nulla in eam pietate motus, in Inſulam Lesbum deportari, & ſub ſtrictiſſima teneri cuſtodia, & a nemine penitus conſpici mandavit*. Atque ibidem anno proximo 803. *Menſis Auguſti die nono indict. undecimæ diem obiit. In inſulam autem Principi, in monaſterium, quod ipſa condidit, corpus ejus tranſlatum fuit*. Ait idem Theophanes, quam etiam, ob cultum ſanctis imaginibus ejuſdem opera reſtitutum, inter ſanctos Græci colunt.

Nicephorus Imperium occupat, vir undique ſceleratiſſimus.

3. Nicephorus autem, qui die decimatertia Auguſti Imperium ſumma perfidia invaſerat, majori adminiſtravit impietate, vir undique ſceleratiſſimus, ut ſtylo ſuo proſequitur Theophanes, nam etſi catholicum ſe eſſe ſimularet, omni tamen religione expertem fuiſſe, geſta ab eo ſequentibus annis monſtrabunt, quem etiam omni vitiorum genere eouſque obrutum fuiſſe videbimus, in quo cum avaritia certabat libido, cum libine crudelitas, cum crudelitate ſimulatio, cum ſimulatione impietas in Deum, in eccleſiam, atque religioſos viros.

JoannesGradenſis Patriarcha, a Duce Venetiarum interfectus.

4. Immane ſcelus ab Joanne Venetiarum Duce hoc anno admiſſum fuiſſe narrant ſcriptores Veneti, Dandulus, Juſtinianus, aliique, cum Joannem Gradenſem Patriarcham occidit. *Per hos dies*, ait Dandulus in chronico lib. 7. cap. 14. part. 23. *ſumpta occaſione Mauricium filium ſuum*

cum

cum navali apparatu Gradum miſit, ut Joannem Patriarcham interficeret, Mauricius autem cum furore civitatem invaſit, in qua invaſione Patriarcha a Venetis captus, graviter vulneratus eſt, & de turri altiſſima Palatii ſui ad ima dejectus expiravit, cujus ſanguis in teſtimonium mortis ſuæ in parietibus præſentialiter apparet. Ideſt ſua adhuc ætate apparebat. Sceleris patrandi occaſionem inde Joannes Dux ſumpſit, quod Joannes Gradenſis Epiſcopus, ut Venetiarum tribunis faveret, Chriſtophorum virum Græcum in Olivenſem Epiſcopum, Ducis juſſu electum, ordinare recuſaverat, quem etiam eccleſiaſtica communione privaverat, ut narrat Sigonius, quam injuriam, ut ulciſceretur Joannes Dux Venetiarum, cum filio ſuo Mauricio Joannem Gradenſem Patriarcham nefarie interfecerunt. Olivola porro inſula eſt prope Venetiam, immo, ut hodie eſt, pars Venetiarum, ubi nunc Patriarchalis ſedes perſeverat.

Joanni Gradenſi Patriarch. Fortunatus ſuccedit.

5. Joanne e vivis ſublato, Tribunorum Venetorum factione Fortunatus Joannis defuncti conſanguineus, ſeu nepos ſuffectus eſt, cui Leo Papa anno ſequenti pallium miſit, ut ex ejuſdem Pontificis epiſtola conſtat, quæ ſcripta dicitur. *Per manum Benedicti notarii & ſcriniarii S. R. E., in menſe Marcio indictione II. Datum* (vero) 12. *Kal. Aprilis per manum Euſtachii Presbyteri ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Imperante Domino noſtro Carolo piiſſimo Auguſto, a Deo coronato: magno & pacifico Imperatore anno tertio XI.* Ideſt anno ſequenti 803. ut adnotat Pagius nota 4. ad hunc annum.

Fortunatus Grad. Patriarcha pallium recipit in Galliam tranſit.

6. Fortunatus vero in locum Joannis ordinatus, etſi pallium ab Leone Pontifice accepiſſet, nihilominus Joannis Venetiarum Ducis, filiique ejus Mauricii iram timens, cum iis invitis eam ſedem adeptus eſſet, in Franciam ad Carolum Regem, opem ab eo adverſus Venetiarum Duces imploraturus tranſiit. *Fortunatus conſilium Franciam adeundi cœpit*, ait idem Sigonius, *ut Carolum adverſus duces incenderet, res Nicephori Imp. Græci, majori quam par erat ſtudio complectentes*. Nec mirum Venetiarum Duces, totis viribus Græcorum Imperio faviſſe, cum Caroli potentiam ſuſpectam haberent, ſibique timerent, ne eamdem cum Longobardis ſortem ferre cogerentur. Hinc eo accepto conſilio, *Duces ſubito claſſem Gradum iterum promoverunt, ac Fortuna-*

Jesu Chr. an. 802. *natum, & Abelerium inde excedere coegerunt. Ii cum ſe Tarviſium contuliſſent, Obelerius a venetis exulibus Dux eſt declaratus: Fortunatus in Franciam, ut conſtituerat, properavit.*

Altinenſe concilium a Paulino Aquilej. Patriarcha celebratum.

7. Joannis Gradenſis Patriarchæ necem ab Venetiarum Duce illatam, Altinenſi concilio occaſionem dediſſe eruditorum plurimi tradiderunt, Baronius, Pagius, Cointius, Madriſius, aliique, quod anno labenti, vel proximo celebratum fuiſſe putant, ab Paulino Aquilejenſi ſeu Forojulienſi Patriarcha. Atque ex epiſtola Paulini ad Carolum Magnum data, id ſe probare conantur; Hanc quidem mutilam corruptamque exhibent Baronius, & Labbeus. At integram poſt Baluzium tom 7. Miſcellaneorum vulgavit inter Paulini opera Madriſius pag. 191. His autem ejuſdem epiſtolæ verbis, ad Joannis Gradenſis Patriarchæ necem repexiſſe Paulinum putant. *De Sacerdotibus autem plagis impoſitis, ſemique vivis relictis, vel certe Diabolico ferveſcente furore per ejus ſatellites interemptis, non meum, ſed veſtræ definitionis erit judicium*; ac ne tantum ſcelus inultum relinqueret, admonet, cum præcipuum Principum chriſtianorum officium ſit, injurias eccleſiis illatas vindicare, unde capite ultimo ait. *Egrediatur quapropter ſi placet una de hac re per univerſam Regni veſtri latam diffuſam monarchiam decretalis ſententiæ ultio, quæ nulla umquam poſſit inimica veritatis, & adverſatrix juſtitiæ, quælibet urgente refragationis inſtinctu oblivio abolere. Valde enim hujus ſceleris truculenta præſtigia, ob incuriam diſciplinæ, per cunctas mundi Eccleſias prævaluere partes. Unde veſtri eſt cenſura magiſterii reſecanda hæc noxialis morbi modis omnibus peſtis, & potentiſſima dociliqueˌfunditus manu extirpanda, quatenus ſit ſancta Eccleſia, veſtris adjuta præſidiis, libera ab humano ſanguine impolluta, quæ Chriſti eſt prætioſo ſanguine purpurata &c.* Cumque ſynodi Altinenſi acta perierint, qua non ſolum de vindicta ſanguinis, & injuriarum Presbyteris illatarum actum eſt, ſed etiam ut in ſupracitata epiſtola narrat Paulinus. *De quacumque activi negotii qualitate, de cauſa ſiquidem Orthodoxæ fidei, de ſtatu, quin etiam ac formoſa eccleſiaſtici culminis dignitate, de rerum quarumcumque diſpendioſa jactura, de quibuſcumque neceſſariis ſuſurrantium cujuſquam petitione, de quibus juſte recteque conqueri poteſt, quarumque querulæ diſputationis exhibitio. nodoſa litium allegatione*

ne contrita, *ſacerdotali nihilominus deſiderabat enodatim dirimentione reſolvi &c.* Hæc, & alia ibidem Paulinus, ex ſupracitatis tamen verbis de injuria Sacerdotibus illata vindicanda, quorum alii plagis impoſitis ſemivivi relicti ſunt, alii interempti, ad Joannis tantum Gradenſis Epiſcopi necem referri non poſſunt. Nam ut adnotat Derubeis, ad vindicandam Romanæ eccleſiæ dignitatem, a ſeditioſis turpiter violatam in perſona Leonis Papæ, ut anno 799. narravimus, Carolum ab Paulino excitatum fuiſſe vero ſimilius eſt, quorum cauſa Altinenſis ſynodus celebrata fuit.

Jesu Chr. an. 802.

8. Quamdiu poſt Altinenſem ſynodum vixerit Paulinus incertum eſt, cum ſynodi epoca, ut diximus, obſcura ſit. At eum hoc anno obiiſſe narrat Annaliſta Fuldenſis his verbis. *Anno* 802. *Paulinus Patriarcha Forojulienſis obiit*. Eademque tradunt Annaliſtæ Hildesheimenſis, & Cæſareus a Lambeccio editus, aliique, eiſque conſentiunt Baronius, & Pagius, nonnulli tamen ad ſequentem, vel ad annum 804. Paulini obitum differrunt, Cointius, Bollandus, Ferrarius, & Madriſius operum Paulini editor, vitæque ſcriptor diligentiſſimus. De cujus geſtis, doctrina, vitæ ſanctitate, miraculis, & religioſo cultu, plurima adnotat, nobis ad ea, quæ de Paulino adnotavimus anno 796. addimus, eum cum Carolo Magno Imp. cum Alcuino, ceteriſque ea ætate præſtantibus ſanctitate, vel doctrina viris, cariſſimum, & in maxima æſtimatione fuiſſe, ut ad eum ab Alcuino datæ, vel receptæ epiſtolæ teſtantur, quas inter ejus opera collegit Madriſius, ejuſdemque opera, & conſilio, tum in litterarum ſtudiis promovendis, cum in eccleſiaſtica reſtauranda diſciplina uſum fuiſſe Carolum ſcimus, quem in Gallias, frequenter revocatum, ſynodis ibidem congregatis adeſſe voluit, uti ſupra ad annum 796. adnotavimus.

Paulini Aquilej. Patriarchæ obitus

9. Eruditionis vero ſuæ, pietatiſque in Deum monumenta plurima poſt ſe Paulinus noſter reliquit, & ut epiſtolas aliquot prætereamus, primum ſe offert libellus exhortatorius ad Henricum Comitem, ſeu Ducem Forojulienſem, quo non ſolum credenda proponit, ſed etiam vitæ Chriſtianæ præcepta, admonitioneſque addit. Contra Felicis autem, & Elipandi hæreſim libros tres Carolo Magno cum epiſtola ſua direxit, in eamdemque cauſam Elipando libellum ſacroſyllabum inſcriptum oppoſuerat. Ad Heinſtulphum quemdam

Paulini Aquilej. opera.

JESU CHR. AN. 802.

dam homicidam, qui uxorem adulterio ſuſpectam occiderat, exhortatoriam dedit epiſtolam, ut eum ad pœnitentiam pro tanto crimine agendam excitaret, carmina etiam ſacra variis rithmis compoſita adhuc extant, quæ in unum collecta, Madriſius cum cæteris ejuſdem operibus, vita, & diſſertationibus ſex, quibus ejuſdem geſta, & ſcripta illuſtrantur, digeſſit.

Diplomata Caroli in gratiam eccleſ. Aquilej.

10 Caroli quoque diploma circumfertur, in Paulini gratiam editum, ac Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Gaſtaldis, domeſticis, Vicariis, ſeu reliquis fidelibus præſentibus, & futuris datum, quo Regum, Ducum, aliorumque largitates, eccleſiis Aquilejenſis Diœceſis factas confirmat, & pia quædam loca Aquilejenſi eccleſiæ addicuntur, cujus diplomatis exemplaria duo ſe habuiſſe teſtatur Derubeis, unum ex Archivio Veronenſi, alterum in archivio Abbatiæ Sanctæ Mariæ ad Organum, hocque integrum exhibet. Nullum tamen ſe habere potuiſſe dolet Madriſius, atque ex Maffejanis obſervationibus ſuſpectum habet. At Maffei, & Madriſii dubia ſolvere conatur Derubeis, ut ibidem videre eſt. Alterum eodem in loco Reginoburgi ſcilicet diploma ab Carolo obtinuerat Paulinus, datum anno 791., quo electio Forojulienſis Patriarchæ ejuſdem eccleſiæ clero libera tribuitur, quam ſibi Gradenſes Patriarchæ vindicare curabant, aliæque exemptiones tribuuntur, præceteris, *ut ſancta congregatio*, *quæ ibidem* ſub ſancto ordine vitam gerere videtur, ſalva *principali poteſtate*, ſeu Caroli jure, ſecundum *canonicam auctoritatem*, *licentiam habeat ſuper ſe eligendi paſtorem*. Eademque eccleſia libera declaratur, *a Fodero*, *Manſionario*, *& Herbatico*, quæ onera erant publica Principi pendenda. *Excepto ſi veniat*, *quod non ipſi aut dilectus filius noſter Pippinus*, *vel regale reditum propter impedimenta inimicorum partibus Forojulienſibus*, *aut in fine Tarviſani advenerint &c*: Tunc etenim ob publicam neceſſitatem, vel Principis adventum, eadem onera ſubire debebat, hujus initium eſt. *Si petitionibus Sacerdotum &c.* Atque integrum extat apud Madriſium. Idem initium habet diploma aliud, quod Romæ a Carolo M. datum dicitur, ad poſtulationem ejuſdem Paulini quo electio Epiſcoporum Concordiæ, aliorumque quatuor eidem Patriarchæ, ex Caroli privilegio, aſſeritur, idemque diploma autenthicum ſe ha-

Digitized by Google

habere Utinenſe capitulum gloriatur, ut apud Madriſium, & Derubeis videre eſt, atque Romæ anno 803. cum ibidem Carolus ab Leone tertio Imperator coronatus eſt, datum dicitur, cum ibidem Paulinus eccleſiæ ſuæ jura vindicaturus adeſſet. At ſuſpectum habet Madriſius, quin ſubdititium etiam appellat Derubeis, ut ibidem videre eſt, nobis etenim otii tantum non eſt, ut in iis perſcrutandis diu immoremur. Jesu Chr. an. 802.

11. Idem Madriſius, & Derubeis formam juramenti exhibent, quam Forojulienſis Diœceſis Epiſcopi, Metropolitano ſuo hac ætate præſtabant, atque anno 801. cum quidam Epiſcopus electus eſſet, eam ſponſionem edidit, cujus hæc eſt inſcriptio. *Spontio* Epiſcoporum ad ſanctam Aquilejenſem ſedem, ac his verbis exorditur. *Doctoris Mundi præcepta teſtantur, oportere Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.* Ac multa de cautione adhibenda in præſtando jurejurando adnotantur: electus autem Epiſcopus jurabat. *Ego ergo* III. ſeu N. *Preſentis temporis ordinandus Epiſcopus, idcirco non juxta aliam, ſed ſecundum illam, quam Magiſtrum gentium didici formulam Paulum religioſe juraſſe Apoſtolum, teſtor nunc tactis Sacroſanctis Evangeliis coram Deo & Chriſto Jeſu, qui judicaturus eſt vivos & mortuos in adventu ejus, catholicæ fidei regulam juxta definitionem Concilii Nicœni, & ut Tomus declarat Beati Papæ Leonis, ſecundum vires nimirum intelligentiæ meæ, & in quantum auxiliante Domino conari potuero, & in corde inviolabiliter retinere, & ore ſi quando neceſſitas exegerit juxta captum ingenii mei audientibus ſinceriter prædicare &c.* Statuta deinde canonum eccleſiæ ſe pro viribus ſervaturum eſſe promittit. Deinde ſe non ſolum ab homicidii crimine, vel furti, aut falſi teſtimonii innoxium eſſe jurabat, ſed etiam ab occultis delictis Simoniæ ſcilicet, a nefanda lepra, ſeu Sodomia, ceteriſque pollutionibus cum brutis, cum uxore alterius, vel virgine Deo dicata &c. Obſequium deinde, obedientiamque Metropolitano ſuo prommittit, ac ad ſynodum vocatum pro viribus adſuturum, ſpondet. Miſſos ejus honorifice ſuſcipere, & obſequium humanitatis eis prebere prommittit. In officiis etiam Eccleſiaſticis, vel in ſedula Miſſarum celebratione. *In pſalmis, hymnis, & canticis modulatis, in luminariis candelabrorum, & in fumicandis thymia-*

Formula juramenti ab Epiſcopo quodam Paulino facta.

Jesu Chr. an. 802. *miamatibus, diverſorum temporum horis exhibendis ſolicitum me officioſiſſime repromitto. In rebus quidem Eccleſiaſticis, mobilibus ſeu immobilibus, ſeſeque moventibus ſtudioſe me agere, juxta ut vires mihi intelligentiæ effectum efficiendi præbuerint repromitto &c.* Quam juramenti formulam ſubſcriptam. *Vobis*, ſubdit, *ter Beato Paulino Patriarchæ obtuli de præſenti. Anno dominorum noſtrorum Caroli, & Pippini filii ejus viris excellentiſſimis Regibus, XXIX & XIX. ſub indictione nona feliciter.* In numerariis autem notis, vel in indictione mendum irrepſiſſe uterque adnotat, ac ſponſionis exemplar ab Laurentio a Turre, ex chartis Filippi a Turre Epiſcopi Adrienſis accepiſſe ambo teſtantur, alterum vero ex Vaticana bibliotheca a Joſepho Blanchino noſtræ Congregationis olim Presbytero, mihique amiciſſimo, teſtatur Derubeis, Madriſius vero idem exemplar ex Vaticana bibliotheca opera Palidori, procurante patre Nicolao Minuccio, ejuſdem Romani Oratorii Presbytero accepit.

Carolus M. Miſſos ſuos ad juſtitiam peragendam undique mittit.

12. Cum hoc anno a bellis vacaret Carolus M. omnem curam ſuam in reddenda populis ſibi ſubditis juſtitia, in reſtauranda eccleſiaſtica, & monaſtica diſciplina convertit, cujus geſta ſummatim referens Annaliſta Lambecianus hæc de geſtis ab eo hoc anno adnotat. *Eo anno demoravit domnus Ceſar Carolus apud Aquis Palatium quietus cum Francis ſine hoſte, ſed recordatus miſericordiæ ſuæ de pauperibus, qui in Regno ſuo erant, & juſtitias ſuas pleniter habere non poterant, noluit de infra Palatio pauperiores vaſſos ſuos tranſmittere ad juſtitias faciendum propter munera, ſed elegit in Regno ſuo Arciepiſcopos, & reliquos Epiſcopos, & Abbates cum Ducibus, & Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes munera accipere, & ipſos miſit per univerſum Regnum ſuum, ut Eccleſiis, viduis, & orphanis, & pauperibus & cuncto populo juſtitiam facerent.*

Miſſorum Dominicorum poteſtas & officium.

13. Hi porro Miſſi dominici, qui a Rege mittebantur, unus, ut plurimum, ex clero erat, Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel Abbas doctrina, & pietate præſtans, alter laicus ex nobilioribus, vel Comitibus, ac raro pluſquam duo mittebantur, ne multiplici viatico provinciæ gravarentur, vel eccleſiæ. Ii ab Rege electi priuſquam proficiſcerentur, capitula accipiebant, ſeu admonitiones, & inſtructiones, quarum plurima exemplaria exhibent Caroli capitularia de

datis

datis hoc anno miſſis per provincias ſingulas, primum quadraginta capita continet, alterum vigintitria, quorum hæc eſt præfatio. *Sereniſſimus & chriſtianiſſimus Domnus Imperator Carolus elegit ex optimatibus ſuis prudentiſſimos, & ſapientiſſimos viros, tam Archiepiſcopos, quam & reliquos Epiſcopos, ſimulque & Abbates venerabiles, laicoſque religioſos, & direxit in univerſum Regnum ſuum, & per eos cunctis ſubſequentibus ſecundum rectam legem vivere conceſſit. Ubi autem aliter quam recte & juſte in lege aliquid eſſet conſtitutum, hoc diligentiſſimo animo exquirere juſſit, & ſibi innoteſcere quod ipſe donante Deo meliorare cupit. Et nemo per ingenium ſuum, vel aſtutiam præſcriptam legem, ut multi ſolent, vel ſibi ſuam juſtitiam marrire audeat, vel prævaleat, neque Eccleſiis Dei, neque pauperibus, nec viduis, nec pupillis, nullique homini Chriſtiano: Sed omnes omnino ſecundum Dei præceptum juxta rationem viverent*: & unuſquiſque in ſuo propoſito vel profeſſione abſque turpis lucri cupiditate ſervarent; Sanctimoniales ſub diligenti cuſtodia vitam ducerent; Laici & ſeculares abſque fraude in mutua caritate viverent: *& ut ipſi Miſſi diligenter perquirerent, num aliquis homo ſibi injuſtitiam factam ab aliquo reclamaſſet, cui abſque mora, ut providerent, juſſit*. Quod ſi tale negotium eſſet. *Quod ipſi per ſe cum Comitibus provincialibus emendare & ad juſtitam reducere nequiviſſent, hoc abſque ulla ambiguitate cum brebitariis ſuis ad ſuum referrent judicium, & per nullius hominis adulationem, vel præmium, nulliuſque conſanguinitatis defenſione, vel timore potentum, recta juſtitia impediretur ab aliquo &c.* Dominicos miſſos honoris cauſa comitabantur Epiſcopi, eorumque juſſa exequi unuſquiſque cogebatur.

14. In eamque rem procurandam, ſynodum quoque univerſalem ex toto Regno ſuo Aquiſgranis congregavit, cui Epiſcopos, Abbates Monaſteriorum, & Regni Proceres, & Comites adeſſe voluit, ut omnes officii ſui munera diſcerent: quapropter eccleſiæ canones clero, Regulam Sancti Benedicti monachis, Proceribus autem, & Comitibus legum ſtatulegenda tradidit, ac ut in conventu publico legerentur juſſit. *Et menſe Octobrio*, ſequitur Annaliſta Lambecianus, *congregavit univerſalem ſynodum in jam nominato loco*, ideſt Aquiſgrani, *& ibi fecit Epiſcopos cum Presbyteris, ſeu Diaconibus*

Synodum univerſalem ex toto Regno ſuo congregat Carolus.

Jesu Chr. An. 802. *bus relegi univerſos Canones, quos Sancta ſynodus recepit, & Decreta Pontificum, & pleniter juſſit ea tradi coram omnibus Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipſa Synodo congregavit univerſos Abbates, & Monachos, qui ibi aderant, & ipſi inter ſe conventum faciebant, & legerunt Regulam Sancti Patris Benedicti, & eam tradiderunt ſapientes in conſpectum Abbatum, & Monachorum, & tunc juſſo ejus generaliter ſuper omnes Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, ſeu univerſo Clero facta eſt, ut unuſquiſque in loco ſuo, juxta conſtitutionem Sanctorum Patrum ſive in Epiſcopatibus, ſeu in Monaſteriis, aut per univerſas Sanctas Eccleſias, ut Canonici juxta Canones viverent, & quidquid in Clero, aut in populo, de culpis, aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendaſſent, & quidquid in Monaſteriis ſeu Monachis contra Regulam Sancti Benedicti factum fuiſſet, hoc in ipſum juxta ipſam Regulam Sancti Benedicti emendare feciſſent. Sed & ipſe Imperator, interim quod ipſa Synodus facta eſt, congregavit Duces, Comites, & reliquo Chriſtiano populo* (loco reliquum Chriſtianum populum) *cum legislatoribus, & fecit omnes Leges in Regno ſuo legi, & tradi unicuique hominum legem ſuam, & emendare ubicumque neceſſe fuit, & emendatam legem ſcribere, & ut judices per ſcriptum judicaſſent, & munera non accepiſſent, ſed omnes homines, pauperes, & divites in Regno ſuo juſtitiam habuiſſent*, ideſt facerent.

Principes Epiſcoporum ſunt adjutores, & commonitores.

15. Nec mirum videri debet, quod Carolus M. ſucceſſoreſque ejus tantam curam, diligentiamque adhiberent, ut eccleſiaſtica diſciplina ſarta, tectaque, juxta canonum ſtatuta, ſervaretur, cum ad ſuum pertinere miniſterium ſcirent, divinas æque, ac humanas res curare, ea tamen adhibita diſtinctione, quod in rebus divinis & eccleſiaſticis Epiſcoporum admonitores erant, & in exequendo coadjutores, in rebus autem humanis & ſecularibus proprio utebantur jure, propriaque auctoritate imperabant. Unde Lodovicus pius in admonitione generali ad utriuſque ordinis homines, ideſt ad Epiſcopos, & Comites, ajebat. *Unde apparet, quod ego omnium veſtrum admonitor eſſe debeo, & omnes vos noſtri adjutores eſſe debetis. Nec enim ignoramus, quid unicuique veſtrum in ſibi commiſſa portione conveniat: & ideo præ-*

prætermittere non poſſumus, quin unumquemque juxta ſuum Ordinem admoneamus. Statim vero Epiſcopos admonet, ut in miniſterio ſuo accurate verſentur, ac addit. *Ut quantum ad veſtrum miniſterium pertinet nobis veri adjutores in adminiſtratione miniſterii nobis commiſſi exiſtatis, ut in judicio non condemnari pro noſtra, & veſtra negligentia, ſed potius pro utrorumque bono ſtudio remunerari mereamur*. Deinde cap. 4. & 6. Comites admonet, ut viciſſim partem miniſterii ſibi commiſſi fideliter peragerent, hoc inter Epiſcopos, & Comites diſcriminis addens, quod illis a Deo commiſſa ſit miniſterii ſui cura, Comitibus vero ex Regio mandato: *Sed quamquam ſumma hujus miniſterii in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione, ita per partes diviſum eſſe cognoſcitur, ut unuſquiſque veſtrum in ſuo loco, & ordine partem miniſterii noſtri habere cognoſcatur*. At de his hactenus. JESU CHR. AN. 802.

16. Cum S. Benedicti regulam monachis legendam in conventu Aquiſgranenſi Carolus tradiderit, *ut quidquid in monaſteriis, ſeu Monachis contra regulam S. Benedicti factum fuiſſet, hoc ipſum juxta ipſam regulam S. Benedicti emendare feciſſent*. Hinc ſequitur, ut ad rem adnotat Mabillonius, in omnibus Galliarum monaſteriis, eamdem regulam, vel adoptatam jam fuiſſe, vel tunc receptam; Ejuſdemque Benedictinæ regulæ propagatorem Benedictum Anianenſis monaſterii Abbatem fuiſſe nonnulli tradunt, eoque auctore quotquot hactenus in Galliis remanſerant, monachi antiquiorum Patrum regulam, ſeu inſtituta ſectantes, Columbani ſcilicet, Martini, Caſſiani, Cæſarii, aliorumque, Benedictinæ regulæ tunc ſe ſubjeciſſe ſcribunt, quorum opinionem refellit Mabillonius, ac Benedictum Anianæ Abbatem, non tantum Benedictinæ regulæ propagatorem fuiſſe contendit, quam ejuſdem collapſæ reſtitutorem, quam jamdiu ubique fere ſub Carolo Magno, filioque ejus Ludovico collapſam fuiſſe fatetur. Nec collapſæ tunc monaſticæ diſciplinæ exempla deſunt, unum adferre ſat erit, ex Monaſterio Galliarum præcipuo, cujuſmodi erat S. Martini Turonis, cui hoc tempore inſignem ſane virum Carolus Magnus præfecerat, Alcuinum ſcilicet, ut in eo regularem obſervantiam revocaret. At monachos ibidem conſtitutos, neque Caroli votis, neque Alcuini induſtriæ ſatisfeciſſe, in epiſtola ad eos data con-

Benedictina regula in omnia Galliarum monaſteria recipitur.

Vv 2

Jesu Chr. an. 802. conqueritur Carolus. Cum etenim contumacem clericum ab Theodulpho Epiſcopo Aurelianenſi condemnatum, in ſua Clauſtra recepiſſent, ac Epiſcopo reddere recuſarent, ſub prætextu, quod ad Cæſarem appellaſſet, eo quod Epiſcopi juſſa contempſerint, eoſdem arguit, ac ut clericum traderent, juſſit. Deinde de abjecta ab iis jamdiu monaſtica diſciplina, hæc addit. *Ipſi quoque noſtis, qui congregatio hujus monaſterii, ac ſervi Dei, (& utinam vere dicimini) qualiter jam crebro vita veſtra a multis diffamata eſt, & non abſque re; aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos eſſe dicebatis. Et nos conſulendo vobis, & ad malam famam abolendam Magiſtrum & Rectorem idoneum vobis elegimus, & de longinquis provinciis invitavimus, qui & verbis, & admonitionibus rectam vitam inſtruere, &, quia religioſus erat, bonæ converſationis exemplo potuiſſet informare. Sed pro dolor! aliorſum cuncta converſa ſunt, & diabolus vos quaſi miniſtros ſuos ad ſeminandum diſcordiam, inter quos minime decebat, invenit, ſcilicet inter ſapientes & doctores Eccleſiæ: & qui peccantes corrigere & caſtigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiæ atque iracundiæ prorumpere. Sed illi, Deo miſerante, nequaquam aſſenſum veſtris malis ſuggeſtionibus præbituri ſunt. Vos autem, qui contemptores noſtræ juſſionis exiſtitis, ſive Canonici, ſive Monachi vocamini, ad placitum noſtrum, juxta quod præſens Miſſus noſter vobis indixerit, nobis vos adſiſtere ſcitote. Et quamvis ad nos miſſa hic facta ſeditionis vos excuſet epiſtola, venite, & condigna ſatisfactione inuſtum crimen eluite.*

Luitgerus primus Epiſcopus Monaſterienſis.

17. Interea cum catholica fides inter Saxones a Carolo ſubjugatos, altiores in dies radices figeret. Luitgerus earumdem gentium Apoſtolus, Epiſcopus ordinatus eſt. *Cujus Parochiæ ſedes eſt principalis in pago Sudergoe, in loco cujus vocabulum eſt Mimigerneford, ubi Domino, ipſe honeſtum conſtruxit monaſterium, ſub regula canonica Chriſto famulantium*, ait auctor vitæ ejus. Unde ex Monaſterio ibidem conſtructo, Monaſterienſis Epiſcopus, vulgo Munſter dictus eſt is locus; duo alia iis in regionibus monaſteria ædificavit, Verthine ſcilicet ad Ruram fluvium apud Veſtphalos, & Helmenſtapienſe in Ducatu Brunſvichienſe, in quibus Benedicti regula adhuc ſervatur ait Mabillonius, qui de eodem

Digitized by Google

eodem Luitgero plura in annalibus refert, ſicuti vitam in actis ſui ordinis. Is porro ab Hildebaldo Colonienſi Archiepiſcopo ordinatus, unus fuit ex octo Epiſcopis, pro Saxonum populis in fide enutriendis, retinendiſque juſſu Caroli ordinatis.

Carolus M. Ortonam, & Luceriam occupat.

18. De geſtis Caroli Magni in Italia, ſeu de geſtis adverſus Grimoaldum Beneventanum Ducem adnotat Eginhardus. *Ortona civitas in Italia*, ad mare Adriaticum poſita. Unde Ortona ad mare dicitur, *in deditionem accepta*, *Luceria quoque frequenti obſidione fatigata*, & *ipſa in deditionem venit*, *præſidiumque noſtrorum in eo poſitum*. At Grimoaldus Beneventanorum Dux paulopoſt. *Vinigiſum Comitem Spoleti*, *qui præſidio præerat*, *adverſa valetudine fatigatum Luceriæ obſedit*, & *in deditionem accepit*, *captumque honorifice habuit*, ac anno ſequenti *Vinigiſus a Grimoaldo redditus eſt*. Hoc autem cum Benoventano Duce bellum, per Pippinum Italiæ Regem, Carolus gerebat. Dum ipſe Aquiſgrano ut plurimum hoc anno ſubſtitiſſet, ubi *Natalem Domini celebravit*, ait idem auctor, cui, & ceteri Annaliſtæ ſubſcribunt.

Brithericus Occident. Saxonum in Britannia Rex moritur eique Egbertus ſuccedit.

19. Triennio poſt excitatam a ſeditioſis civibus Romanis adverſus Leonem Papam perſecutionem, Brithericum in Anglia Occidentalium Saxonum Regem obiiſſe tradit Malesburienſis, ideſt hoc anno, quem veneno imprudenter hauſto periſſe adnotat, ab Eadburga uxore ſua, filia Offæ Merciorum Regis propinato, quod quidem præparaverat, ut adoleſcentem Britherico familiarem interficeret: ei autem ſucceſſit Egbertus Regis Inæ abnepos, qui ejuſdem Inſulæ Regna in unum collegit, ſuæque poteſtati ſubdidit, ut infra videbimus. Hunc quidem Brithericus e vivis eripere meditabatur, quod Egbertus præſentiens, ad Offam confugerat, cum miſſa legatione perſugam ad ſupplicium expetiiſſet, ne ab Offa traderetur. *Egbertus tranſnavigato mari Franciam venit*, *quod Dei conſilio factum intelligo*, ait Malesburienſis, *ut vir ille ad tantum Regnum electus*, *regnandi diſciplinam a Francis acciperet* &c. *Itaque defuncto Britherico frequentibus ſuorum nunciis in Brittanniam reverſus*, *moxque imperare juſſus*, *patriæ deſiderio ſatisfecit Anno Dominicæ Incarnationis octingeſimo*, *Regnante in Francia Carolo Magno anno* 34. *qui etiam duodecim annis ſupervixit*. At loco

JESU CHR. AN. 803. loco octingenteſimo, lege octingenteſimo ſecundo, ut annus 33. Caroli Magni demonſtrat, & anni duodecim, in quibus ſuperſtes fuit, ait Pagius nota 21. hoc anno.

JESU CHRISTI ANNUS 803. LEONIS 3. PAPÆ 9. CAROLI M. IMPERATORIS 4. NICEPHORI IMPERATORIS 2.

Bardanes Imperator ab exercitu dictus.

1. De ſceleribus ab Nicephoro hoc tempore, & anno perpetratis agens Theophanes, ait. *Quæ oratio valeat enarrare, Menſis Aprilis die 30. Triphilius Nicetas veneno, ut ajunt, a Nicephoro propinato extinctus eſt. Menſis deinde Maii die quarto feria hebdomadis quinta, Nicephorus in Chalcedonis ſuburbana egreſſus, cum equo manſuetiſſimo atque mitiſſimo inſideret, quæ Dei providentia fuit, in terram excuſſus, dexterum pedem contrivit. Menſis autem Julii die decimo nono, feria hebdomadis quarta, hora prima Bardanes Patricius & Orientalium Dux, qui cognomento Turcus, a Thematibus trans fretum poſitis Imperator ſalutatus eſt: qui cum poteſtatem multum detrectaſſet, a militibus aufugere non valuit. Is Chryſopolim profectus, circumducto per dies octo exercitu, & ab Urbis civibus haud admiſſus, ad Malagina uſque reverſus eſt. Tum vero Dei timore ductus, & ne forte ejus cauſa multæ patrarentur cædes attenti us cogitans, miſſis ad Nicephorum Legatis, fidem accepit propria ejus manu ſcriptam, cui etiam ſanctiſſimus Patriarcha Taraſius, & Patricii omnes ſubſcribere, qua ſe ſuoſque omnes incolumes atque impunitos ſervatum iri ſibi cavebat. Die poſtmodum ſeptemb. octavo ſub mediam noctem fugam latenter arripiens, Cyum Bithyniæ urbem profectus eſt in Heraclii Monaſterium, ubi cum navigium ab Imperatore ad hoc iſtuc miſſum inveniſſet: in eo caput abraſit, ac deinde habitu Monaſtico indutus eſt. Mox conſcenſo navigio: in inſulam Profem vulgo dictam, in qua Monaſterium olim condiderat, trajecit, veſanum Nicephorum tremendi juſjurandi fidem reveriturum arbitratus, & ab eo nullam ſe paſſurum injuriam. Ille vero primum quidem eum facultatibus nudat, & occaſione arrepta, cunctos Thematum proceres & locupletes viros, inter quos ex Imperante Urbe nonnulli in captivitatem miſit: univerſum autem exercitum debitis ſtipendiis deſraudavit*. Bardanem autem non multopoſt, contra datam fidem in monaſterio latitan-

tantem, miſſis ſicariis excæcavit: patratum ſcelus Patriarcha, ac Senatus, cunctique Deum timentes exhorruerunt, ut idem adnotat Theophanes, quam infamiam, ut a ſe averteret nefarius homo, ſe inſcio, ac invito hæc geſta fuiſſe ſimulavit. *Inerat enim homini præter alia naturæ vitia, facilis ad ſimulandum propenſio, hoc ejus genii præcipuum munus, quo etiam ante ſuſceptum Imperium plurimos decepit, ſimulatum tamen ejus ſtudium & affectationem expertis deridiculo extitit*, ait idem auctor.

Nicephorus Stauracium filium Imperatorem coronat.

2. Interea hoc eodem anno, menſe Decemb., indict. 12. *Nicephorus filium ſuum Stauracium, Taraſii ſanctiſſimi Patriarchæ manibus in Ambone magnæ Eccleſiæ Imperatorem coronavit, hominem ſive vultus ſpeciem, ſive corporis robur, ſeu denique mentis captum ſpectes, ad eam dignitatem plane ineptum &c.* Qui ſane, etſi a patre Imperio ſociatus fuerit, patri nihilominus nequaquam ſucceſſit, ut in Nicephori obitu dicturi ſumus.

Carolus M. conventum Mogontiæ celebrat.

3. Multo feliciora per hæc tempora fuere Caroli M. fata, cujus fama toto percrebuerat Orbe. Cumque Aquiſgrani Natale Domini celebraſſet, ibidem etiam Paſcha celebravit, ait Annaliſta Lambecianus deinde *Conventum habuit ad Mogontiam, & ipſe ſine hoſte fecit*, ſeu fuit, *eodem anno, excepto quod Scaras ſuas*, ideſt cohortes militares, *tranſmiſit in circuitu, ubi neceſſe fuit*. Quibus verbis Annales ſuos decem annorum is auctor abſolvit. In conventu, ſeu concilio Epiſcoporum, & Magnatum hoc anno Mogontiæ celebrato, iterum pro eccleſiaſtica diſciplina tuenda, capitula vulgavit, ut apud Balutium, & Labbeum videre eſt, quorum altero rogatus a Proceribus, ne Epiſcopos, aut Presbyteros ad bellum ire compelleret, eorum voto ſatisfaciens, eoſdem in eccleſiis ſuis remanere juſſit, ut apud Deum Moyſis exemplo, pro victoria preces offerrent, ac tandem, ut Regni pacem, ſtabilitatemque promereretur. Hæc ſummatim edixit. *Prohibemus omnino ſub pœna ſacrilegii generaliter omnibus, cunctarum eccleſiarum rerum invaſiones, vaſtationes, alienationes, ſacerdotumque & reliquorum ſervorum Dei oppreſſiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, nec non & cunctis utriuſque ſexus hominibus, adulteria, fornicationes, ſodomiticaſque luxurias, atque inceſta, vel cuncta inlicita conjugia, homici-*

dia

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 803. *dia, injuſta perjura, falſa teſtimonia, & omnia inlicita; pro quibus non ſolum regna, vel Reges, ſed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus &c.* Ut ibidem pluribus proſequitur Carolus.

Pax inter utrumque Imperium firmatur.

4. Cumque in Germania Carolus hoc anno eſſet, in loco Salæ dicto, quos anno proximo CPolim legatos miſerat ad firmandam cum Irene Imperatrice pacem, conciliandaſque nuptias, ut ibidem diximus, cum legatis Nicephori Imperatoris ad Carolum reverſi ſunt. De quibus hæc Annaliſta Metenſis. *Miſſi Imperatoris a CPoli regreſſi ſunt, & venerunt cum eis legati Nicephori Imperatoris, qui tunc rem publicam gerebat, quorum nomina hæc ſunt, Michael Epiſcopus, Petrus Abbas, Calliſtus, & Candidatus*, ſeu potius Calliſtus Candidatus, *qui venerunt ad Imperatorem in Germania ſuper fluvium Sala, in loco qui dicitur Sala, & pactum faciendæ pacis in Chriſto ſuſceperunt. Inde dimiſſi cum epiſtola Imperatoris Romam venerunt, inde CPolim regreſſi ſunt.* Pacis conditiones has fuiſſe ſcimus, ut invicem a bello inferrendo uterque abſtineret, ac Carolus æque, ac Nicephorus, quæ hactenus retinuerant, poſſiderent, ob eamque cauſam, ab inferrendo Græcis bello, ut eos ab Sicilia, vel ducatu Neapolitano exturbaret, Carolus ſe abſtinuit, quin maritimas Dalmatiæ, Iſtriæ, & Venetiæ urbes Nicephoro Imperatori conceſſit. *In hoc phœdere*, adnotat Dandulus in chronico: *ſeu decreto nominatim firmatum eſt, quod Venetiæ urbes, & Dalmatiæ civitates maritimæ, quæ in devotione Imperii* (Græci) *illibatæ perſtiterant, ab Imperio Occidentali nequaquam debeant moleſtari, invadi, aut minorari, & quod Veneti poſſeſſionibus, libertatibus, & immunitatibus, quas ſoliti ſunt habere in Italico Regno libere perfruantur.* Eginhardus vero in vita Caroli, Hiſtriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam, eum poſſediſſe narrat. *Exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo phœdus CPolitanum Imperatorem habere permiſit.* Eoque fœdere factum eſt, ut dum Carolus, & Nicephorus vixerunt, pax ubique in Italia vigeret. Nam Grimoaldus Beneventanorum Dux, qui hactenus Græcorum fultus præſidiis Carolo reſiſtere auſus fuerat, arma depoſuit. Et Quinigiſum Spoletanorum Ducem, quem captivum anno proximo Luceriæ fecerat, Carolo

Digitized by Google

rolo liberum remiſit. Ut anno proximo diximus. Jesu Chr. an. 803.

5. Dum adhuc in loco Saltz eſſet Carolus. *Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis aſſerens ſecum, inter cetera dona, duas portas eburneas mirifico opere elaboratas*. Hunc Fortunatum, quem Patriarcham de Græcis appellat Annaliſta Metenſis, Gradenſem Epiſcopum fuiſſe ſcimus, qui cum in locum Joannis, invito Venetiarum Duce, anno proximo ordinatus fuiſſet, ejuſdem Ducis iram, inſidiaſque timens, ad Carolum ab eo opem imploraturus, perrexerat, quem ſane ſolita benignitate Carolus excepit, extatque Caroli M. diploma hoc anno datum. *Idibus Auguſti in ſacro Palatio noſtro*, ſeu potius ut adnotat Cointius, in Saltz Palatio noſtro, *anno* 33. *Regni noſtri in Francia*, 28. *in Italia*, *Imperii tertio*, eoque *Fortunatus Gradenſis Patriarcha*, *ſedis Sancti Marci Evangeliſtæ*, *& Sancti Hermagoræ Epiſcopus* dicitur, ejuſdemque eccleſia cum ſervis, & colonis, *qui in terris ſuis commanent in Iſtria*, *Romandiola*, *ſeu Longobardia* ſub Caroli protectione eſſe declarat. Eumdemque Fortunatum monaſterio Modianenſi ſeu Medianenſi a Carolo præpoſitum fuiſſe, ibique etiam diem ultimum clauſiſſe, probat Mabillonius, cum ejus nomen in catalogo Abbatum ejuſdem monaſterii legatur. Et ſane inſigne quoddam beneficium in Francia eum obtinuiſſe, his verbis indicat Leo Papa in epiſtola anno 807. ad Carolum ſcripta, qua de Fortunati in Gallias profectione adnotat. *Reperimus in eis*, ideſt in litteris ab Carolo acceptis, *quatenus a Gradenſi inſula ubi Fortunatus Archiepiſcopus ſuam propriam ſedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum, ſeu Venetorum exul eſſe dignoſcitur*, & in fine, ſeu in Embolo, de ejuſdem converſatione in Galliis, & beneficiis a Carolo eidem collatis. *Et hoc veſtræ Serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut ſicut ſemper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per veſtrum pavorem, ſuum miniſterium melius expleat. Quia non audivimus de eo ſicut decet de Archi-piſcopo, neque de partibus iſtis, neque de partibus Franciæ, ubi eum beneficiaſtis*, quem in ea epiſtola, ſe ad regendam Polanam eccleſiam deſtinaſſe adnotat, uſque dum in Gradenſem redire poſſet, ſed de his infra.

Fortunati Gradens. Epiſc. adventus ad Carolum.

6. De reliquis ab Carolo hoc anno geſtis, hæc idem Anna-

Cetera Caroli geſta hoc anno.

Jesu Chr. An. 803.

Annaliſta Metenſis addit. *Imperator autem Bojariam profectus, venationem bubalorum, cæterarumque ferarum, per ſaltum Hircanum exercuit. Inde vero ad Regenesburg veniens, diſpoſitis his, quæ utilia videbantur eſſe, adventum exercitus de Pannonia redeuntis præſtolabatur. Quibus reverſis obviam illi ad Rogenesburch venit. Ibi etiam cum illis Zodan Princeps Pannoniæ veniens, Imperatori ſe tradidit. Multi quoque Sclavi, & Hunni in eodem conventu fuerunt, & ſe cum omnibus quæ poſſidebant Imperatoris Dominio ſubdiderunt. Conſtitutiſque omnibus utilitatibus, quæ in illis partibus neceſſaria erant, per Alemaniam & per Vormatiam hyemis tempore ad Aquis Palatium venit, ibique Natalem Domini celebravit.* Ait idem auctor, cui conſentiunt ceteri Francorum hiſtorici. Pannonicæ autem, & Hunnicæ gentis per Carinthiam, & Pannoniam ſparſæ converſionem Arnoni Saliſburgenſi Epiſcopo viro præclariſſimo commendavit, ad quem plures Alcuini extant Epiſtolæ, cui operi ſedulo vir ſanctus incumbens, earumdem gentium partem maximam ad Chriſti fidem convertit.

Arno Saliſburgenſis Archiepiſcopus Pannoniæ gentes ad Christi fidem convertit.

7. *Simili modo etiam Arno Epiſcopus ſucceſſor Virgilii.* Ait auctor Anonymus apud Caniſium tom. 6. antiq. lectionum, *ſedis Juvanenſis*, ſeu Saliſburgenſis, *Deinde curam geſſit paſtoralem, undique ordinans Presbyteros, & mittens in Sclaviniam, in partes videlicet Karintianas, atque Inferioris Pannoniæ illis Ducibus, atque Comitibus ſicut pridem Virgilius fecit, quorum unus Ingo vocabatur, multum charus populis & amabilis propter ſuam prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis populus, ut ſi cuique vel charta ſine litteris ab illo directa fuit, nullus auſus eſt ſuum negligere præceptum. Quod etiam mirabiliter fecit. Vere ſervos credentes ſecum vocavit ad menſam, & eos qui eis dominabantur infideles, foris quaſi canes ſedere fecit, ponendo ante illos panem & carnem, & fuſca vaſa cum vino, ut ſic ſumerent victus. Servis autem ſtaupis deauratis propinare juſſit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt. Cur facis nobis ſic? At ille, non eſtis digni, non ablutis corporibus cum ſacro fonte renatis communicare, ſed foris domum ut canes ſumere victus. Hoc facto ſide Sancta inſtructi, certatim cucurrerunt baptizari, & ſic deinceps chriſtiana religio ſuccreſcit*: At de his hactenus.

8. Dum

Jesu Chr. an. 803. Concilium Ratiſponenſe adverſus Chorepiſcopos.

8. Dum Ratiſbonæ in Bojaria hoc anno eſſet Carolus adverſus Chorepiſcopos querelæ a Presbyteris, clericis, & a populo ad eum delatæ ſunt, quod ii, etſi Epiſcopalem ordinationem non accepiſſent, Epiſcoporum tamen munera exercerent, ideſt ordinationes Sacerdotum, Virginum, Eccleſiarumque conſecrationes agere præſumerent. Hinc Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi ab iis ordinati, ſui officii munera exercere recuſabant, laici vero. *Dicebant, quod talium miniſtrorum, vel Sacerdotum, ideſt qui a Chorepiſcopis erant quaſi ordinati officia audire nollent, nec eorum infantes majores vel minores, aut familiam eorum per manus impoſitionem conſignari, vel confirmari uſquam vellent, ne magis vulnus, quam benedictionem acciperent. Quod jurgium cum enucleatius diſcutere voluiſſemus, placuit nobis ex hoc Apoſtolicam ſedem conſulere, jubente canonica auctoritate atque dicente. Si majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ut ſancta ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, incunctanter referatur.* Quapropter Arnonem *Archiepiſcopum ad Leonem Apoſtolicum miſimus, ut inter cetera quæ ferebat, etiam eum ex hoc interrogaret, ut quicquid ſuper his definiendum eſſet, Apoſtolica auctoritate a noſtris Epiſcopis regulariter ſopiretur. Qui nobis verbis, & ſcriptis ab eo renuntians, hæc non eſſe neceſſe iterare, vel definire, quia ſæpiſſime a ſuis prædeceſſoribus, & a multis ſanctis Epiſcopis, atque ſynodalibus ſanctionibus eos eſſe prohibitos atque damnatos, & ideo non eſſe neceſſe ventilare, ſed definita tenere. Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum, nec Eccleſiam ab eis dedicatam, nec virginem conſecratam, nec quemquam confirmatum, neque quicquam quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſere eſſe peractum, ſed quicquid ex his ab eis inclite erat preſumptum, omnia canonice ordinatis Epiſcopis debere rite peragere & in meliorem ſtatum reformare: quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum. Prædictos autem Chorepiſcopos omnes præcepit damnare, & in exilio detrudi. Iſta vero omnes, maxime regni nobis a Deo commiſſi, Epiſcopi cum eodem Arnone, permittente præfato Apoſtolico, mitius tractantes, jam dictos vallanos Epiſcopos inter Presbyteros ſtatuerunt, ita ut amplius nihil de Epiſcopali miniſterio præſumerent, nec ipſi dein-*

Jesu Chr. an. 803. *deinceps a quoquam fierent, qui gradus ſui periculum vitare vellet*. Atque hæc *in ſynodo quam Reginiſbruc* ſeu Ratiſpone, *pro eadem, vel pro aliis cauſis Apoſtolica auctoritate habuimus*, vulgata fuiſſe narrat Carolus: Chorepiſcoporum tamen nomen, & officium adhuc perduravit, ac tardius penitus extinctum eſt, ut ex dicendis infra conſtabit. Cautius tamen inpoſterum circa Chorepiſcoporum ordinationem Galliarum Epiſcopi ſe geſſerunt, ut indicat ordinatio Meroli cujuſdam in Epiſcopum Cenomanenſem, quem a tribus Epiſcopis, ut ordinaretur, effecit Gauſolenus ejuſdem ſedis Epiſcopus, atque hanc cautionem ideo adhibitam fuiſſe adnotat auctor de geſtis Epiſcoporum Cenomanenſium, eo quod tunc temporis Carolus, una cum legatis Apoſtolicis, & omnibus Epiſcopis ſanxiſſet, ut nullus *Chorepiſcopus chriſma conficeret, virgines ſacraret, Spiritum Paraclitum traderet, neque eccleſias dedicaret, vel altaria erigeret, aut ſacraret, etiam oleum ad infirmos ungendos benediceret, niſi a tribus Epiſcopis eſſet ordinatus*, ideſt Epiſcopalem ordinationem ſuſcepiſſet.

Concilium Cloveshae, in Anglia. 9. Cum Athelardus ſeu Adelardus Dorovernenſis, ſeu Cantuarienſis Archiepiſcopus, in priſtinam dignitatem, uti a Leone Papa petierat, reſtitutus fuiſſet, ac jus antiquum Auguſtino primum, Anglorum Apoſtolo, ejuſque ſucceſſoribus, ab Gregorio Papa conceſſum, ut totius Angliæ Primas, & Metropolitanus eſſet, quod antea Offæ Regis tempore violatum fuerat, cum inquam in priſtinam Primatus dignitatem ab Leone Papa reſtitutus eſſet Athelardus, Epiſcopos ſuæ Metropolis hoc anno congregavit, ut in unum congregati dignitatem ſuam agnoſcerent, ſuaque ſubſcriptione confirmarent. Omnibus, qui in Anglia commorantur notum eſt, inquiunt Epiſcopi congregati. *Quod Offa Rex Merciorum in diebus Saenberti Archiepiſcopi, cum maxima fraude honorem & unitatem ſedis Sancti Auguſtini patris noſtri in Dorovernenſi civitate dividere, & diſcindere præſumpſit &c.* Quamobcauſam cum Leonem tertium Pontificem adiiſſet Athelardus, ac de injuria ſuæ ſedi illata conqueſtus, in priſtinum honorem reſtitutus eſſet. *Anno Dominicæ Incarnationis* 803. *indict. II. die* 4. *Idus Octobris. Ego Aedelheardus Archiepiſcopus cum omnibus duodecim Epiſcopis ſanctæ ſedi beati Auguſtini ſubjectis, per apoſtolica præcepta domni Papæ Leonis*

by Google

nis in ſynodo, quæ facta eſt in loco celebri, qui vocatur Cloſesboas, unanimo conſilio totius ſanctæ ſynodi, in nomine Dei omnipotentis præcipientes, & omnium ſanctorum illius, & per ejus tremendum judicium, ut numquam reges, neque Epiſcopi, neque Principes, neque ullius tyrannicæ poteſtatis homines honorem ſancti Auguſtini, & ſuæ ſanctæ ſedis diminuere, vel in aliquantula particula dividere præſumpſerint. Sed in eo per omnia dignitatis honore pleniſſime ſemper permaneat, quo utique in conſtitutione beati Gregorii, & in privilegiis Apoſtolicorum ſuorum ſucceſſorum habeatur, necnon etiam, & in ſanctorum canonum rectum haberi ſanctionibus videatur: nunc etiam, Deo cooperante, & domno Apoſtolico Papæ Leoni, ego Aedelheardus Archiepiſcopus, & alii coepiſcopi noſtri, & nobiſcum omnes dignitates noſtræ ſynodi cum vexillis crucis Chriſti unanimiter primatum ſanctæ ſedis firmantes, hoc quoque præcipientes: & ſigno ſanctæ Crucis ſcribentes, ut archiepiſcopalis ſedes in Liccidfeldenſi monaſterio numquam habeatur ex hoc tempore, neque in alio loco aliquo, niſi tantum modo in Dorobernenſi civitate, ubi Chriſti eccleſia eſt, & ubi primum in hac inſula catholica fides retinuit, & a ſancto Auguſtino ſacrum baptiſmum celebratum eſt. Eaque occaſione additum eſt decretum pro monaſteriorum tranquillitate, & immunitate, eamque a laicis violari ſub anathematis pœna prohibitum eſt, ſicque Athelardi querelæ ad Apoſtolicam ſedem delatæ, uti anno 797. narravimus, Leonis auctoritate ſopitæ ſunt, Ethelardus porro, ſive Adelardus hoc anno mortuus eſt, ait Pagius, teſte Viſgonienſi, cui ſuffragantur Huntindonienſis, & Hovedenus, cujus obitus in tabulis editis quarto idus Maii ſignatus eſt, ait Mabillonius ad hunc annum, ſucceſſoremque in Dorovernenſi, ſeu Cantuarienſi ſede habuit Vilfredum.

Anselmi Nonantulani Abbatis obitus.

10. Hoc quoque anno Anſelmus ex Forojulienſi Duce monachus, & Abbas Nonantulæ, cum annos quinquaginta monaſterio a ſe conſtructo ſumma cum laude præfuiſſet, vivere deſiit, ut narrat auctor Anonymus vitæ ejus. Anno ſcilicet Regni Caroli in Italia 30. ſucceſſoremque habuit Petrum, quem Carolus anno vitæ ſuæ ultimo CPolim cum Amalario Trevirenſi Epiſcopo legatum miſit ad Michaelem Imperatorem, ut inter utrumque Imperium pacem confirmaret. Ex Benedictina familia, ad Ciſtercenſem Nonantu-

Digitized by Google

 lanum monaſterium seculi decimitertii initio tranſiit, ut adnotat Mabillonius, ubi pauciſſimi nunc monachi habitant, cum jamdiu commendatum ſit, cum olim ſub eo monachi eſſent *millecentum quadragintaquatuor, exceptis parvulis, & pulſantibus, qui non conſtringebantur ad regulam*, ut ait auctor ſupracitatus Mabillonius, atque in Italia celeberrimum euſque fuit, ut auctor chronici Farfenſis, ut Farfenſis monaſterii dignitatem, amplitudinemque exponeret. *In toto Regno*, Italiæ ſcilicet, *non inveniretur ſimile huic monaſterio, niſi quod vocatur Nonantulæ*. His verbis indicans, nullum in tota Italia fuiſſe monaſterium illuſtrius Farfenſi, & Nonantulano. At ſicuti habent ſua fata res quælibet humanæ, ita quoque monaſteria, humanis ſunt viciſſitudinibus expoſita, ut quotidiana, hujus præſertim temporis, experientia docet. Unde factum eſt, ut in Nonantulæ monaſterio, monachorum nullus remanſerit. Vetuſtiſſimi autem celeberrimique cœnobii hiſtoriam paucis ab hinc annis Tiraboſchius vulgavit, quem conſulat curioſus lector.

JESU CHRISTI ANNUS 804. LEONIS 3. PAPÆ 10. CAROLI IMP. 5. NICEPHORI IMP. 3.

Leonis Papæ iter in Germaniam, & itineris cauſa.

1. Hoc Chriſti anno 804. Leo Papa alterum ad Carolum Magnum in Germania iter ſuſcepit, cujus itineris cauſam hanc habuiſſe Annaliſta Metenſis, ceterique ſcriptores in vita Caroli narrant. *Medio Novembri nunciatum eſt ei*, ideſt Carolo, *Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, ubicumque illi placuiſſet. Quod Rex gratanter ſuſcepit, & ſtatim miſſo filio ſuo Carolo ad Sanctum Mauricium, eum ſuſcipere honorifice præcepit. Ipſe vero obviam illi apud Rhemorum Civitatem in Baſilica Beati Remigii Epiſcopi & Confeſſoris profectus eſt: ibique ſuſceptum ad Cariſiacum uſque perductum, cum eo Natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiſcentes pervenerunt ad Sueſſonis civitatem, in qua dimiſſo Papa, ad colloquium Germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monaſterium pervenit. Fruituſque ejus colloquio, ad Cariſiacum Villam Leonem Papam, quem apud Sanctum Medardum dereliquerat, ſibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, & honoratum magnis muneribus per Bojariam ire volen-*

Digitized by Google

lentem a ſuis duci fecit uſque Ravennam. Cauſa adventus ejus hæc fuit. Nunciatum eſt Imperatori, Jeſu Chriſti Domini noſtri ſanguinem in Mantua Civitate fuiſſe repertum: & Imperator ad Papam direxit, rogans ut veritatem rei perquireret. Qui accepta occaſione a Roma exeundi, primo in Longobardiam, quaſi pro inquiſitione prædicta profectus eſt: Deinde arrepto itinere, ſubito ad Imperatorem uſque pervenit. Manſitque apud illum dies octo, & ſicut dictum eſt, Romam repedavit, anni ſequentis initio. Jesu Chr. an. 804.

2. Ob hanc autem reliquiarum inventionem, ſeu ob repertam ſpongiam, ſanguine Chriſti, ut ferebatur, aſperſam, in Epiſcopalem ſedem Mantuana eccleſia ab Leone tertio erecta eſt, quæ Ravennatenſis Diœceſis primum erat, deinde Aquilejenſis, cui eam Leo tertius ſubjecit, ut apud Ughellum videre eſt. Mantua ſedes Epiſcopalis a Leone 3. efficitur.

3. Multa quidem de Leonis Papæ geſtis in Germania dicenda eſſent, ſi fides epiſtolæ Luitgeri ab Baronio relatæ habenda eſſet, qua præſertim ſolemnis Sancti Luitberti canonizatio ab Leone, coram Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Carolo ipſo facta deſcribitur, at cum ea epiſtola tota quanta eſt, una cum vita Luitberti commentitia ſit, tempus, & calamum in iis deſcribendis terere non vacat. *Conficta eſt epiſtola*, ait Morinus, *ante forſan trecentos annos, aut ut maxime ante quadrigentos, nomine ſancti Luidgeri ab aliquo Verdenſi monacho in ſui Monaſterii commodum & gloriam*. Quæ ſcribit de tempore itineris Leonis III. ad Carolum, de mora ipſius in Caroli comitatu, de variis cum eo itineribus ſuſceptis, omnia ficta ſunt, & cum iis, quæ referunt illius temporis Auctores, conſtare non poſſunt, & unicuique iſta comparanti evidens erit. Ac certum eſt, ut jamdiu a viris doctis adnotatum eſt, ſolemnem hanc Sanctorum canonizationem tercentis circiter ab hinc annis introductam fuiſſe, quorum primus Buldaricus Auguſtanus Epiſcopus fuit a Joanne decimoquinto Pontifice Maximo iter Sanctos anno 993. relato. Undecimo autem, & 12. ſeculo frequentiores ſanctorum canonizationes ab Romanis Pontificibus factæ fuere, quas tandem Alexander Papa tertius anno 1181. inter cauſas majores recenſuit, ac Apoſtolicæ Sedi reſervavit. Unde factum eſt, ut poſt ea tempora ab Romanis tantum Pontificibus ſolemnes ſanctorum ca- Luidgeri epiſtola, & Luidberti canonizatio commentitia.

JESU CHR. AN. 804. canonizationes celebrarentur, ut pluribus perſequitur in aureo de Sanctorum canonizatione tractatu Proſper Lambertini, Pontifex Benedictus XIV. dictus. Diplomata ſeu bullas, vel brevia pro Sanctorum canonizatione vulgata in unum tomum collegit Juſtus Fontanini Ancyranus Archiepiſcopus, quem Codicem Canonizationum Sanctorum inſcripſit. De Canonizationibus autem Sanctorum præter Lambertinum, quam plurimorum extant eruditæ lucubrationes, atque ex his Henſchenii ad menſem Maii quos lector conſulat.

Belli Saxonici finis, Saxones per Franciam, & Germaniam diſperſi.

4. Saxonici belli finis, quod per annos 33. geſtum fuerat, ut narrat Eginhardus, Caroli gloriam auxit. De quo cum plura narret Eginhardus, his ab Annaliſta Metenſi petitis contenti erimus. *Anno* 804. *Imperator Aquis hyemavit, & ab Aquis proficiſcens venit ad Palatium, quod dicitur Niumagum, ibique veris tempore manens, Paſcha etiam celebravit. Incipienteque æſtatis tempore ad Aquis Palatium revertens, exercitum in Saxoniam miſit. Tranſitoque Rheno, generalem conventum Francorum habuit juxta Lippiæ fontem. Sumptoque inde itinere, per Saxoniam profectus, caſtra metatus eſt in loco, qui dicitur Boldonſtat. In quibus caſtris etiam Sclavorum Principes adfuerunt. Quorum cauſis diſcuſſis, & ſecundum arbitrium diſpoſitis Regem illis Traſiconem conſtituit. Miſſiſque inde exercitibus ſuis per diverſas partes Saxoniæ, tam perfidos illos, quos ultra Albiam tranſierant, quam illos, qui in Vigmoti manebant, & frequentibus maleficiis populum Saxonum a via veritatis averterant, cum mulieribus, & infantibus Deo auxiliante ſapientiſſima diſpoſitione de Saxonia per diverſas vias dirigens funditus exterminavit, & per Gallias, ceteraſque regiones Regni ſui ſine ulla læſione exercitus ſui diſperſit.* Ut, *cum Francis adunati, una cum eis populus efficeretur*. Cumque apud Anaſtaſium legatur Romæ fuiſſe vicum Saxonum, ubi nunc hoſpitale Sancti Spiritus in Saxia eſt, hinc Romam quoque Saxonum turmam perductam fuiſſe, Baronius, aliique tradiderunt, quod an verum ſit, ignoramus, cum præſertim ab Occidentali Saxonum gente, quæ in Anglia olim tranſierat, ibidem pro peregrinantibus ad Urbem Saxonibus, illud hoſpitale fundatum fuiſſe, deſinente ſeculo elapſo adnotatum a nobis ſit.

Saxonia a Carolo oblata S. Petro,

5. Caroli etiam pietas, & in Apoſtolicam ſedem veneratio inde commendatur, dum ſubjugatam Saxoniam B. Petro obtulit,

lit, & denarium in Galliis collectum Romanæ ſedi offerri juſſit. Utrumque teſtatur S. Gregorius ſeptimus in epiſtola ad Petrum Albanenſem Epiſcopum in Galliis legatum ſuum, cujus hæc ſunt verba. *Vobis commiſſa negotia non latent, etiam vos ita, ac ſi noſtra, immo quia noſtra ibi in vobis præſentia eſt, cuncta digna peragite. Dicendum eſt autem cunctis Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquaque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvant beato Petro, ſi eum recognoſcunt patrem & paſtorem ſuum, more antiquo. Nam Carolus Imperator, ſicut legitur in tomo ejus, qui in Archivio Eccleſiæ beati Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille, & ducentas libras ad ſervitium Apoſtolicæ Sedis, id eſt, Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Egidium, excepto hoc, quod unuſquiſque propria devotione offerebat. Idem vero Magnus Imperator Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio, & poſuit ſignum devotionis, & libertatis, ſicut ipſi Saxones habent ſcriptum, & prudentes illorum ſatis ſciunt.* Hucuſque epiſtola Gregorii Papæ. Eam nihilominus pecuniam, quam Romanæ eccleſiæ legati, vel quæſtores in Galliis exigebant, eleemoſynæ tantum nomine, non vero tributi, aut vectigalis datam fuiſſe contendit Pagius ad hunc annum, cum nullus antiquiorum ſcriptorum, hujuſce exactionis, aut tributi mentionem fecerit.

Jesu Chr. an. 804. & Denarius in Galliis collectus.

6. Extat etiam Caroli M. diploma in gratiam Oſnabrugenſis eccleſiæ datum, quam Primatum in Saxonia habere ſtatuit, cui nemus ſeu foreſtum ampliſſimum conceſſit, cum immunitate, & libertate, ab omni regali ſervitio, & impoſitione, ea tamen addita conditione, ut in ea eccleſia, ſcholæ Latinæ, & Græcæ linguæ apertæ in perpetuum eſſent, ut videre eſt apud Baronium, vel apud Baluzium. Falſum nihilominus hoc diploma eſſe nonnulli contendunt, ac probare conantur, quorum ex utraque parte rationes, aliis diſcutiendas relinquimus, pluraque in eam rem Corintius anno 803. & Papebrochius in propileo ad tomum ſecundum Aprilis, paragrapho 18. dabunt.

Caroli M. privilegium pro eccleſia Oſnabrugenſi dubium.

7. Hoc anno Albinum Flaccum, ſeu Alcuinum obiiſſe, tum auctor anonymus vitæ ejuſdem, cum ceteri ſcriptores teſtantur, ait Mabillonius, qui cum antea dum Ordinis ſui acta vulgaverat, ejus obitum decennio diſtuliſſet, in

Alcuini, ſeu Albini Flacci Abbatis obitus.

JESU CHR. AN. 804. in Annalibus emendanda hæc eſſe adnotavit.' *Die Pentecoſtes peracto matutinali officio, eadem hora, qua ingredi conſueverat ad Miſſas, aurora patente ſancta Albi anima carne ſolvitur.* Ait auctor vitæ ejus, ac in una ex baſilicis, ſeu capellis monaſterii S. Martini, cui per plurimos annos præerat, ſepultus eſt, cujus epitaphium verſibus digeſtum exhibet Baronius. Geſta autem & ſcripta non ſine laude frequenter commemorat Mabillonius, inter cetera, dum vixit Alcuinus modico vino uſus eſt, otioſitatem modis omnibus fugiens, ſemper aut lectioni, aut ſcriptioni, aut diſcipulis erudiendis, aut orationi pſalmiſque decantandis vacabat. Quotidie Miſſarum ſolemnia ſuo cum Sigulpho Presbytero, ea qua par erat reverentia celebrabat, ſingulis hebdomadæ diebus miſſas proprias habebat deputatas, quæ inter opera ejus extant. Quantum Alcuino divinæ, humanæque litteræ debeant, quæ de eodem non ſemel attulimus, ac ejuſdem vita, ac opera quam diligentiſſime digeſta ac edita ab erudito viro Frobenio Principe, & Abbate Sancti Emeramni Ratiſponæ, ſatis demonſtrant, ut plura addere ſuperfluum ſit. Alcuini nomen Rabanus Maurus ejuſdem diſcipulus martyrologio ſuo inſcripſit, quod etiam in vulgato Bedæ legitur.

Infelix Nicephori Imp. expeditio adverſus Arabes.

8. Ut vel pauca de geſtis hoc anno in Oriente addamus, cum Theophane adnotare ſat erit, cum Arabibus infelici exitu pugnaſſe Nicephorum Imp.. *Hoc anno menſe Auguſto adverſus Arabes expeditione ſuſcepta, ad Craſum Phrigiæ obviam illis factus, certamine inito ſuperatus eſt, pluribuſque ſuorum proſtratis, parum abfuit, quin hoſtium in manus incideret, niſi Procerum nonnulli animo & robore præſtantes, eum non ſine difficultate eripuiſſent.* De eodem bello agens Elmacinus in hiſtoria Seracenorum adnotat. *Et vulneratus fuit Nicephorus tribus vulneribus, & quadraginta Romanorum millia ſunt cæſa. Muslimi autem* (ſeu Seraceni, vel Arabes) *multis acceptis ſpoliis ſalvi reverſi ſunt &c.*

JE-

JESU CHRISTI an. 805. Leonis Papæ tertii an. 11. Caroli Imp. an. 6. Nicephori Imp. 4.

1. Ab internis, externiſque hoſtibus quieſcens hoc anno Carolus. *Cœpit circuire loca Regni ſui mari contigua*, quod cum cognoviſſet Lodovicus filius ejus Aquitaniæ Rex, ut in Regnum ſuum tranſiret, rogavit. At Carolus, ut ad ſe potius Turonos adveniret, admonuit. *Quo filius veniens gratulabunde nimis ab eo ſuſceptus, & in Franciam redeuntem Vernum uſque proſecutus eſt*. Ac deinde in Aquitaniam rediit, ait auctor vitæ Lodovici pii. Cumque Aquiſgranum rediiſſet Carolus, ad eum venit Hunnorum Capcanus, ſive Princeps. *Poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam, & Carnuntum*, ideſt terras inter Viennam, & Poloniam, ſeu Presburgum. *Quia propter infeſtationem Sclavorum in priſtinis ſedibus eſſe non poterat. Quem Imperator benigne ſuſcepit, ejuſque precibus favit. Erat enim Capcanus Chriſtianus nomine Theodorus: & precibus ejus annuens, muneribus donatum redire permiſit. Qui rediens ad populum ſuum, pauco tempore tranſacto diem obiit. Et miſit alter Caganus unum de optimatibus ſuis, petens ſibi honorem antiquum dari, quem Caganus apud Hunos habere ſolebat. Cujus precibus Imperator aſſenſum præbuit, & ſummam totius Regni juxta priſcum eorum ritum Caganum habere præcepit. Eodem anno, cum eſſet Imperator in Palatio, quod ſitum eſt Aquis, miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Carolo in terram Sclavorum, qui vocantur Bohemi*, eoſque cum tribus exercitibus aggreſſus, cum Bohemi ſeu Sclavi tantis viribus reſiſtere non auderent, nec poſſent. *In vias, & ſaltus penetrantes, ſe minime ad pugnam præparaverunt. Vaſtata autem & incenſa per quadraginta dies eadem regione, Ducem eorum nomine Lechonem occidit. Et dum nec jam pabula equis, aut cibaria exercitui ſupereſſent*, ad propria Caroli exercitus rediit. His addit Annaliſta Metenſis Imperatorem Julio menſe ex Aquiſgrano ad Todonis villam tranſiiſſe, ibique Natalem Domini celebraſſe, eademque Eginhardus, ceterique Annaliſtæ Bertinianus, Loiſellianuſque.

Carolus M. in Bohemos arma convertit.

2. Et ſane capitularia Caroli hoc anno, tum pro eccle-

Caroli capitularia in

Jesu Chr. an. 805. villa Theodonis.

eccleſiæ diſciplina tuenda, cum pro recta Imperii adminiſtratione in Theodonis villa inſcripta ſunt, quorum primum ſexdecim capita continet, eorumque hæc ſumma eſt. Ut in eccleſia lectiones diſtincte legantur 2. Ut cantus diſcatur, & ſecundum ordinem & morem Romanæ eccleſiæ fiat, & ut Cantores Mettis revertantur, ubi Cantorum ſchola erat. 3. Ut quilibet Epiſcopus, Abbas, Comes ſuum notarium, ſive ſcribam habeat. Et ne Scribæ vitioſe ſcriberent. 4. Ut ſecundum canones cuncta in eccleſiis fierent. 5. Ut infantes computi artem, & medicinam diſcerent. 6. Ut eccleſiæ ſine honore non eſſent, ideſt ſine officiis, & luminaribus. 7. Ut venientes ad monaſteria, regulam diſcant, antequam ad miniſteria mittantur. 8. Qui ſeculum relinquerant, aut canonicam, aut regularem vitam amplectantur, ne ſcilicet Dominicum relinquentes ſervitium, nec Canonici nec monachi eſſent, quod etiam de clericis capite ſequenti dictum eſt. 10. Laici nuper converſi ad nulla negotia mittantur, antequam regulam didicerint: 11. Servi, & ancillæ parciſſime in monaſteriis recipiantur, ne villæ deſertæ remaneant. 12. Superfluæ congregationes prohibentur, 13. Pulſantes, ſeu monaſterium ingredi poſtulantes diſtricte examinentur. 14. Puellæ ante pubertatem non velentur. 15. Laici monaſteriis non præficiantur, nec Archidiaconi officio fungantur. 16. Inceſtuoſi canonice examinentur, debitaque pœnæ, pro criminis qualitate afficiantur. His pro eccleſiæ utilitate vulgatis, alia in eodem Epiſcoporum, Procerumque conventu capitula numero 25. ibidem vulgata ſunt, quæ pro juſtitia adminiſtranda cuilibet, utplurimum ſpectant, & jura Imperatoris, ut ibidem videre eſt.

De honore Epiſcopis, & Sacerdotibus præſtando.

3. Edictum deinde eodem loco vulgavit Carolus Imp. quo Sacerdotibus majoribus, minoribus, ut omnes obedirent juſſit. *Nam nullo modo*, inquit piiſſimus *Princeps*, *agnoſcere poſſumus, qualiter nobis fideles exiſtere poſſint, qui Deo infideles, & ſuis Sacerdotibus apparuerint &c.* Quare poſt aliqua. *His ergo fulti oraculis jubemus, ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda miniſteria, & ad malos, & peccatores, atque negligentes homines diſtringendos ſummopere obedientes exiſtant. Qui autem in his, quod abſit, aut negligentes, eiſque inobedientes fuerint inventi, ſciant ſe nec in noſtro Imperio honores retinere, licet etiam filii noſtri*

ſtri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiſcum, aut cum noſtris ſocietatem, aut communionem ullam habere, ſed magna diſtrinctione & ariditate pœnas luere &c. Hæc, & alia chriſtiano ſane Principe, & imitatione digna. Jesu Chr. An. 805.

4. Interim Leo Papa adepta tranquillitate utens, a Galliis reverſus in reficiendis, ornandiſque eccleſiis, vel monaſteriis iterum toto incubuit animo: Hinc Anaſtaſius ejuſdem geſta ante primum in Galliis iter diſtinguens, ab iis, quæ in urbem poſt primum, & ſecundum iter geſſerat, adnotat: *Poſt reverſionem ſuam, & ob nimium amorem fecit eidem nutritori ſuo*, ideſt Beato Petro, *Presbyterium noviter totum marmoreum* magnæ pulchritudinis ſculptum *compteque erectum &c.* His alia, tum in eadem baſilica, cum in aliis eccleſiis oblata recenſet, & præcipue, in eccleſia B. Pauli, cum *nona Indictione*, ideſt anno 801.. *Peccatis noſtris imminentibus ſubito terræmotus factus eſt, pridie Kalendas Maii, & Eccleſia Beati Pauli Apoſtoli ab ipſo terræmotu concuſſa, omnia ſarta tecta ruerunt. Quod conſpiciens magnus & præclarus Pontifex in magnam veniens tribulationem lamentari cœpit, tam pro argento quamque pro ceteris ſpeciebus, quæ ibidem demolitæ, & confractæ ſunt. Sed Domino annuente, & Beato Principe Apoſtolorum protegente præfatus Pontifex, & totis niſibus ſuis certamen ponens inſtar, ſicut antiquitus exiſtebat ampla, & maxima fortitudine ponens in meliorem deduxit ſtatum, & in meliori ſpecie eam marmoribus decoravit, tamque presbyterium, quamque totam Eccleſiam marmoravit, & ejus porticus renovavit.* Hæc, & alia bene multa de Leonis geſtis idem auctor, quæ exſcribere longum eſſet. Nec in urbe tantum, vel ſuburbiis eccleſias Leo Papa reſtauravit, ſed ab urbe etiam diſſitas, inter ceteras *B. Pauli Apoſtoli, quæ vocatur conventus in territorio Orbetano intra fines Suanenſes, & Cluſinenſes, ſeu Thuſcianenſes*, quæ vetuſtate eouſque ſorduerat, ut in ſtabulum converſa eſſet, refecit, reliquiaſque, inde ablatas, in ea recondi præcepit. B. quoque Petri in Albano poſitam refecit, donaque obtulit eccleſiis B. Hyppoliti martyris in civitate Portuenſi, alia in baſilica B. Agapiti in civitate Præneſtina, & S. Clementis Veletris, & in Tiburtina B. Laurentii, vel in Sabinis B Hiacynthi, &c. Ut de aliis plurimis dicere jam pigeat, tot quippe tanta-

Leonis 3. Papæ munera eccleſiis, & monaſteriis oblata.

que

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 805. que in his operibus inſumpſit, ut eum tantum auri, argenti, gemmarum, omniumque pretioſarum ſuppellectilium, habuiſſe vix credibile ſit.

Leonis tertii in monaſteriis reficiendis largitio, & ſollicitudo.

5. In monaſteriis vero reficiendis eum quoque curam maximam impendiſſe idem auctor teſtatur, quorum catalogum tantum exhibere longum eſſet, quem ſane monaſticæ vitæ ſtudioſum, monachorumque amantiſſimum, hæc Anaſtaſii verba indicant. *Ubi vero inveniebat aliquem præcipuum monachum, vel ſervum Dei, in colloquiis divinis, & oratione cum eo penitus vacare non ceſſabat, & valde nimiſque hilaris in eleemoſinis exiſtebat. Verum etiam infirmorum maximus viſitator, prædicans illis ſcripturaliter, ut eorum animas in eleemoſinis redimerent, qui plures ejus prædicationibus annuentes, quidquid ille pro Chriſto commendabat, occulte die, nocteque pauperibus erogabant &c.* Hæc de Leonis geſtis Anaſtaſius, antequam Romanus Pontifex ordinaretur.

Nicephorus Imp. pacem ab Seracenorum Calipha tributo redimit.

6. Infauſtum Saracenici belli ab Nicephoro geſti exitum anno proximo adnotavimus. Hoc anno ex victoria elatior factus Aaron Seracenorum Princeps, cum copiis collectis, *quæ ad tercenta millia accedebant, impreſſionem in Romanam ditionem fecit*, ait Theophanes, *& Tyana profectus blaſphemiæ ſuæ conſecravit ædem, munitiſſimumque Herculis Caſtrum, Thebaſam, Malacopæam, Sideropalum, & Andraſum armis & obſidione cœpit: agmenque ſexaginta millium militum populatum miſit: & Ancyram uſque devenit, qua diligentius explorata & deſcripta, reverſus eſt. Quare Imperator Nicephorus in metum atque animi anguſtias adductus, ipſe etiam contra proceſſit, in hac rerum deſperatione fortem adverſus calamitates animum erigens, multaque ſibi ipſi decernens trophæa, Synadenſem Metropolitam, & Petrum Gulæi Præpoſitum, & Gregorium Amaſtrenſem Oeconomum pacem componendam poſtulaturos ad Aaronem Legatos deſtinavit; qui multis hinc inde diſcuſſis, pacem ea conditione firmaverunt: ut in ſingulos annos triginta nummorum Capitatorum millia ipſius nimirum Imperatoris effigie exſculpta, aliaque pariter tria filii charactere notata Seracenis penderentur. Aaron eo cenſu accepto, quaſi Romanorum Imperio ſibi ſubiecto gaviſus eſt: nec oblatis talentorum decem millibus majore lætitia triumphaſſet.* Inter pacta conventa id

Digitized by Google

id erat, ne diruta caſtra repararentur, cumque pactum Nicephorus violaſſet, Aaron claſſem in Cyprum miſit, ibique *Eccleſias evertit, Cyprios in alias provincias tranſportavit, multis inde captivis abductis*. Ait idem auctor, eademque Elmacinus in hiſtoria Seracenorum, quem Theophane accuratiorem eſſe adnotat Pagius, atque hæc currenti, ſequentique anno contigiſſe ſcimus, ſicque impius Nicephorus Imp. dum humana, divinaque omnia miſcebat, ſpernebatque, in Seracenorum opprobium datus eſt; ut vix tributo ſoluto pacem ab iis, Romano nomini injurioſam, redimere poſſet.

JESU CHRISTI ANNUS 806. LEONIS 3. PAPÆ AN. 12. CAROLI IMP. 7. NICEPHORI IMP. 5.

Leonis Papæ epiſtola ad Carolum de Fortunato Gradenſi Patriarcha.

1. Cum tanta inter Leonem Pontificem, & Carolum intercederet familiaritas, quam plurimas viciſſim datas, acceptaſque litteras fuiſſe dubitari vix poteſt, inter paucas, quæ ſuperſunt hoc anno ſcriptas, prima ſe offert, quam Leo Pontifex ad Carolum Imperatorem dedit, de Fortunato Gradenſi Patriarcha, quem ſupra in Galliis exulem hoc tempore fuiſſe diximus, datis autem ad Leonem litteris rogaverat Carolus, ut Fortunato permitteret, Polanam eccleſiam, quæ tunc paſtore viduata erat, retinere, uſque dum in Gradenſem ſedem reſtitueretur. Votis Caroli annuens Leo. *Reperimus in eis* ideſt litteris Caroli, ait, *quatenus a Gradenſi inſula, ubi Fortunatus Archiepiſcopus ſuam propriam ſedem habere videbatur, propter perſequtionem Græcorum, ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur, & ſi congrue nobis apparuiſſet*, ideſt ſi id nobis poſtulaſſet, *pro cauſa neceſſitatis in Pola, ubi jam dudum Emilianus quidam Epiſcopus præfuit, quæ & Diœceſis prædicti Fortunati Archiepiſcopi exiſtit, illic ſuam ſedem haberet*, idem tamen a Carolo rogatus permittit, ita tamen. *Ut ſi Domino annuente, & B. Petro Apoſtolo protegente, per veſtram in triumphis victoriam, ipſi ſua ſedes reſtituta fuerit, ſecundum qualiter prædicta Polana eccleſia integra cum omnia ſibi pertinentia, ſuſceperit*. Sic iterum ea reſtituatur, ut nihil ex ea, vel juriſdictionis, vel ex bonis ejuſdem retineret. In Embolo autem Carolum Leo rogat, ut Fortunati mores, exhortatione

ne ſua, in melius emendaret, nam ſubdit. *Eo quod illi, qui vobis eum collaudant, hoc per munera, & calciara faciunt*. Ideſt pecunia, doniſque ejus corrupti, atque Carolo in memoriam revocat, ſe cum eo dum Aquiſgrani eſſet egiſſe. *De Aquilejenſi eccleſia, velut una, quæ ſuam ſedem haberet*, ideſt de reſtituenda Aquilejenſi eccleſiæ priſtina dignitate, quæ a Gradenſibus Archiepiſcopis, jamdudum imminuta fuerat. De quibus non ſemel infra ut videbimus actum eſt, ſed fruſtra. cum numquam priſtinam Patriarchalem dignitatem recuperaverit Aquilejenſis eccleſia, reſiſtentibus Gradenſibus Archiepiſcopis, ſeu Patriarchis.

Carolus Venetorum legatos, & Dalmatarum recipit ac dimittit.

2. Cumque domeſticis diſſidiis, ac civili bello inter ſe diſſiderent Veneti, ita ut Fortunatus Epiſcopus, & Villerius, ſeu Abelarius Dux, ſeu Tribunus Metamaucenſis ſeu Malamochi, ſuis ſedibus pulſi, confugiſſent: alterius vero partis ſub Nicephori protectione permanerent: Obelerius hoc anno Tarviſio relicto, ubi ſe receperat, cum valida armatorum manu, Metamaucum repente rediit, ejectiſque inde Joanne, Mauritioque Ducibus, priſtinam dignitatem ſeu Tribunatum & Ducatum recuperavit, ejuſdem dignitatis Beatum, & Valentinum fratres ſuos, populi conſenſu, conſortes effecit. Joannes vero, & Mauritius Ducatu expulſi ad Nicephorum Imperatorem confugerunt, de injuria accepta conquerentes, & auxilium ab eo poſtulantes, qui Nicetam quomdam cum Claſſe, ad comprimendas inteſtinas Dalmatorum, Venetorumque diſcordias, ſeu ut narrat Eginhardus ad hunc annum. *Claſſis a Nicephoro Imp., cui præerat Nicetas ad recuperandam Dalmatiam mittitur*. Adverſæ autem partis Duces ad Carolum confugerunt, ut idem Eginhardus adnotat. *Statim poſt Natalem Domini venerunt ad Theodonis villam*: ubi toto fere anno ſubſtiterat Carolus. *Villerus, & Beatus Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Juderæ, atque Donatus ejuſdem eccleſiæ Epiſcopus legati Dalmatorum ad præſentiam Imperatoris cum magnis donis, & facta eſt ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus, & populis tam Venetiæ, quam Dalmatiæ*. Quænam autem ab iis conventa fuerint, non conſtat. Si vera narrat Dandulus ipſi Venetiarum Duces Obelerius, & Beatus, Nicetæ Patricii opera, cum Nicephoro Imp. ſociati ſunt, & Cpolim: profecti, ſummis honoribus aucti ad propria redierunt, unde priſtinum inter Græ-

Græcos Imperatores & Venetos Duces Fœdus inſtauratum eſt. Jesu Chr. an. 806.

3. Sed majora nos revocant, nam hoc anno Carolus Magnus annis jam gravis, Imperium ſuum inter tres filios ſuos, dum in villa Theodonis eſſet, diviſit, ac teſtamento quo hæc diſpoſuerat, Proceres, Optimateſque Imperii ſui ſubſcribere juſſit, quin per Eginhardum, qui eidem a ſecretis erat, idem teſtamentum Leoni Pontifici miſit, ut idem etiam eidem ſubſcriberet, auctoritateque ſua confirmaret. *Conventum habuit Imperator*, in villa Theodonis hoc anno, *cum Primoribus, & Optimatibus Francorum de pace conſtituenda, & conſervanda inter filios ſuos, & diviſione Regni facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum, quam partem tueri & regere debuiſſet, ſi ſuperſtes illi eveniret. De hac partitione, & teſtamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & conſtitutiones cauſa conſervandæ pacis factæ, atque hæc omnia litteris mandata ſunt, & Leoni Papæ, ut his ſua manu ſubſcriberet, per Eibardum miſit*, ſeu Eginhardum. *Quibus Pontifex lectis, & aſſenſum præbuit, & propria manu ſubſcripſit*, ait idem auctor in Annalibus, eademque ceteri Francorum Annaliſtæ confirmant. Carolus Imp. Regna ſua inter filios ſuos partitur.

4. Integra hæc Regnorum Caroli diviſio inter filios adhuc extat, eamque referunt Baronius, Baluzius, aliique. Invocata autem S. Trinitate, ſibi tres filios a Deo donatos fuiſſe narrat, quos Regni ſui ſucceſſores eligit, eiſque ſingulis, ſuam partem diſtribuit. Ac Lodovico Aquitaniam totam & Vaſconiam dedit, excepto pago Turonico, & quidquid inde ad Occidentem, atque Hiſpaniam reſpicit, pagos Nivernenſem, Avalenſem, Alſenſem, Cabillonenſem, Matiſconenſem, Lugdunenſem, Saboiam, Moriennam, Tarantaſiam, Montem Ciniſium, Vallem Seguſianam uſque ad clauſas, & inde per terminos Italicorum montium uſque ad mare, & quidquid ab eis contra Meridiem, & Occidentem uſque ad mare, vel uſque ad Hiſpanias continetur, hoc eſt illam portionem Burgundiæ, & Provinciam, ac Septimaniam vel Gothiam. Italiam Pippino, deſtinavit, *quæ & Longobardia dicitur*, & Bojoariam, exceptis duabus villis ibidem memoratis, & Alemmaniæ partem, quæ in auſtrali ripa Danubii fluminis ſita eſt, & de ipſo flumine Danubii uſque ad Rhenum fluvium, & quidquid inter hos terminos Diviſio Regnorum Caroli inter filios.

Jesu Chr an. 806. continebatur, una cum Ducatu Curienſi, & pago Durgouve. Quidquid autem de Regno ejus extra hos terminos erat, ideſt, Franciam, & Burgundiam, excepta illa parte, quam Lodovico dederat, atque Alamanniam, excepta portione, quam Pippino adſcripſerat, Auſtriam, Neviſtriam, Turingiam, Saxoniam, Friſiam, & partem Bojoariæ Carolo concedit. *Super omnia autem jubemus*, addit piiſſimus Imperator, *ut ipſi tres fratres curam & defenſionem eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pippino Rege, & a nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulaverit, habere faciant*. De filiabus hæc ſtatuit: *De filiabus autem noſtris, ſororibus ſcilicet prædictarum filiorum noſtrorum, jubemus, ut poſt noſtrum ab hoc corpore diſceſſum, licentiam habeat unaquæque eligendi ſub cujus fratris tutela & defenſione ſe conferre velit, & qualiſcumque ex illis Monaſticam Vitam elegerit, liceat ei honorifice vivere ſub defenſione fratris ſui, in cujus Regno degere voluerit. Quæ autem juſte ac rationabiliter a condigno Viro ad conjugium quæſita fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur a fratribus ſuis, ſi & viri poſtulantis & feminæ conſentientis honeſta & rationabilis fuerit voluntas*. Hæc de Caroli M. teſtamento, & diviſione Regnorum inter filios, quam immerito inter apocriphas chartas recenſuit Pitheus, ut ex Baluzio probat Pagius not. 6.

Capitularia Caroli M. hoc anno vulgata.

5. Pro recta autem Regni adminiſtratione, eccleſiarumque diſciplina tuenda, ſex capitularia hoc anno vulgavit Carolus, quorum primo de diviſione Regni actum eſt, ſecundo, tertio, quarto, & quinto, de recta, juſtitiæ adminiſtratione ut plurimum agitur, tum de officio Miſſorum, qui in provincias mittebantur, iiſque nonnulla quæ eccleſiæ diſciplinam ſpectant, inſerta ſunt. Sextum autem ſummam canonum eccleſiæ continet, ac totum de eccleſiarum Sancta adminiſtratione eſt, his capitibus diſtinctum. 1. Ut per ſingulos annos ſynodus bis fiat. 2. Quales ad Sacerdotium, vel ſacros ordines juxta canones ſint admittendi. 3. Ut nequaquam inter duos Metropolitanos provincia una dividatur. 4. Ne in una civitate duo ſint Epiſcopi. 5. Quod non oporteat ordinationes Epiſcoporum diu differre. 6. De ordi-

ordinatis Epiſcopis, nec receptis. 7. Quod non oporteat abſolute quoslibet ordinare. 8. De ſervo, ſi neſciente Domino ſuo fuerit ordinatus. 9. Quod non liceat Clericum in duabus Civitatibus miniſtrare, nec Abbates plurima Monaſteria, aut cellas habere. 10. Ne de uno loco ad alium tranſeat Epiſcopus ſinedecreto Epiſcoporum, nec Clericus ſine juſſione Epiſcopi ſui. 11. De peregrinis Epiſcopis, & Clericis. 12. De litteris peregrinorum, & Clericis ſine litteris ambulantibus. 13. Qualis, vel pro qualibus culpis quis ſecundum canonicam inſtitutionem degradetur de officio ſacerdotali. 14. De expulſo ab Eccleſia & excommunicato, vel damnato ab officio. 15. De ordinatione eccleſiaſtica, & officio miſſæ, & reliquiis ſanctorum, & oratoriis villaribus. 16. De altaribus non conſecrandis niſi lapideis. 17. De confirmatione cum chriſmate. 18. De baptiſmate. 19. De Paſchate, die dominico, & reliquis feſtivitatibus. 20. De jejuniis, & quadrageſima, vel Letaniis. 21. Ut feſtivitates præclaræ non niſi in civitatibus, aut in vicis publicis teneantur. 22. De hoc officio. 23. Ut omnes fideles communicent, & ad miſſas expectent finalem deprecationem. De Presbyteris, Diaconis, & reliquis ex clero. *Et decretis, & canone, ſancti Sylveſtri, &* 84. *Epiſcoporum*. Statuitur: ne Presbyter adverſus Epiſcopum, Diaconus adverſus Presbyterum, Subdiaconus adverſus Diaconum, neque Acolytus adverſus Subdiaconum, non Exorciſta adverſus Acolytum, non Lector adverſus Exorciſtam, non Oſtiarius adverſus Lectorem det accuſationem aliquam. Et non damnabitur Præſul ſine ſeptuaginta duobus teſtibus. Neque Præſul ſummus a quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*. Presbyter autem niſi in quadraginta quatuor teſtimoniis non damnabitur. Diaconus autem in cardine conſtitutus urbis Romæ niſi triginta ſeptem teſtibus non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus Exorciſta, aut Lector, ſicut ſcriptum eſt, nonniſi ſeptem teſtimoniis probatæ fidei, & vitæ, convictus damnari poterit.

Caroli bella, & victoriæ.

6. De reliquis Caroli geſtis hoc anno, ex Eginhardo adnotare ſat erit, per Filium ſuum Carolum Sclavos Saraborum viciſſe, quo in prælio eorum dux Miliduoch. occiſus fuit. In Bohemos quoque exercitum miſit, *vaſtataque ter-*

Jesu Chr. an. 806. *terræ non minima portione, abſque ullo gravi incommodo regreſſa eſt Caroli gens illuc miſſa*. Quo etiam anno Pippinus Italiæ Rex, ut idem proſequitur auctor. *In Corſicam inſulam contra Mauros, qui eam vaſtabant, Claſſis de Italia a Pippino miſſa eſt, cujus adventum Mauri non expectantes abſceſſerunt. Unus tantum noſtrorum Hadumarus Comes civitatis Genuæ, imprudenter contra eos dimicans, occiſus eſt*. Eademque felicitate Lodovicus filiorum alter, Mauros in Hiſpania aggreſſus, vicit debellavitque, ac direptionibus Tortoſam uſque excurrit, cujus milites. *Poſt dies viginti ſuæ digreſſionis, ad Regem alacres, pauciſſimis ſuorum amiſſis redierunt*, ait auctor vitæ Lodovici.

Grimoaldi Beneventani Ducis obitus.

7. Grimoaldi ducis Beneventani mentionem non ſemel ſupra fecimus, quem hoc anno obiiſſe narrat Annaliſta Cæſareus a Lambecio editus, ſucceſſoremque in Ducatu Grimoaldum alterum habuit Sterephy dictum, qui antea Ærarii cuſtos fuerat, de cujus nomine, & electione in ducem Beneventanum, hæc adnotat Anonymus Salernitanus cap. 29.. *Defuncto itaque Grimoald, Ildrici filius Grimoald, qui lingua Theodiſca, qua olim Longobardi utebantur Storeſeyh fuit appellatus, & noſtro eloquio, qui ante obtutum Principum & Regum milites hinc inde ſedendo prædordinat, poſſumus vocitare, in principali dignitate eſt elevatus*. Sed dux electus eſt. Senior autem Grimoaldus in Salernitana eccleſia ſepultus fuit, cujus Epitaphium idem Salernitanus anonymus refert, quo, ille Longobardici generis fuiſſe dicitur, ac Græcos æque, ac Francos viciſſe adnotat.

Pertulit adverſas Francorum ſæpe Phalanges.
Salvavit patriam, ſed Benevente tuam.
Sed quid plura feram, Gallorum fortia Regna
Non valuere hujus ſubdere colla ſibi

Willelmus Comes monaſticam vitam amplectitur.

8. Antequam ad res Orientales oratio noſtra tranſeat adnotare juvabit hoc anno Villelmum Toloſæ ſeu Septimaniæ Comitem, virum ea ætate, ob virtutem bellicam præclariſſimum, & Carolo Imperatori cariſſimum, in Chriſti caſtra tranſiiſſe, dum militari cingulo depoſito, in Cellonenſi monaſterio, quod paulo antea ædificaverat, monaſticam cucullam induit, ut in ejus vita narrat auctor his verbis. *An-*

Digitized by Google

Anno ab Incarnatione Domini 806. *Imperii vero Caroli quinto, die Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, Vuillelmus: Comes auro textis veſtibus depoſitis, per Dei gratiam ſolemniter benedicitur, totus ille in eo ordo perficitur, quo ſcilicet monachi induebantur*. Cumque monaſterii fabrica nondum abſoluta eſſet, cum ipſe monachus effectus eſt. *Adjuvantibus eum filiis ſuis Bernardo ſcilicet, & Gaucelino, quos Comitatibus præfecerat ſuis, comitibuſque vicinis, perfecit, ſicut cœperat*. Ait idem auctor, atque in ſancta converſatione, & monachalis vitæ obſervantia ad obitum, & ad annum uſque 812. perſeveravit, cujus laudes perſequitur auctor vitæ ejus apud Bollandum die 28. Maii, & Mabillonium actor. Ord. S. Benedicti ſeculo 4. parte prima. Jesu Chr. an. 806.

9. Interea hoc anno *menſis Februarii, die vigeſimoquinto, indict.* 14. *Taraſius ſanctiſſimus CP. Archiepiſcopus glorioſam mortem obiit, corpus ejus ad Pentifauces delatum in monaſterio ab eo condito, Feria primæ jejuniorum hebdomadis quarta ſepultum fuit*. Ait Theophanes, de cujus geſtis, obitu, ſepultura; & miraculis poſt obitum, plurima refert auctor vitæ ejus Ignatius, qui his omnibus interfuit, hoc vero præceteris notatu dignum, eum ſcilicet in vitæ exitu certamen ſubiiſſe, non cum carne, & ſanguine, ſed adverſus Principatus, & poteſtates, adverſus ſpiritualia nequitiæ. Nam tamquam ſi judicio ſtaret, in pluribus accuſatus, ſe verbis reſiſtere, ac objecta crimina negare, adſtantes audiebant, cum vero linguæ uſum perdidiſſet, nutibus, & ſignis, uſquedum tamquam victor ex certamine evadens, ſereno vultu, animoque tranquillo, animam Deo reddidit, ut ibidem videre eſt. Taraſii CP. Patriarchæ obitus.

10. Mortuo Taraſio, Nicephorus Imp., ad ſimulandam pietatem promptiſſimus, Theodorum Studitam, & Platonem, inter CPolitanos monachorum patres, de Epiſcopo Regiæ urbis eligendo conſulendos cenſuit. Ii tamen ſuam in re tam gravi ſententiam proferre nequaquam voluere, cum vix tanta ſede dignum quemquam cognoſcerent. Unde Theodorus Imperatoris conſultationi reſpondens, ait. *Omnino ſic futurum erat, ut bonus Deus noſter eccleſiæ ſuæ curam gerens, pietatem veſtram, hac ætate Imperio præficeret Chriſtianorum, ut non ſæcularis ſolum dominatio male conſtituta rectius componeretur, ſed Eccleſiaſticus etiam principa-* Nicephorus Imp. de electione Epiſc. CP. Theodorum, & Platonem conſulit.

JESU CHR. AN. 806. *cipatus, ſi quid deſideraretur aſſurgeret, & nova quædam conſperſio fieret in utroque. Quod quidem in altero membro præclare ipſius gratia jam præſtitum eſt a Chriſti amante Imperio veſtro: atque adeo præſtare pergeret cœleſti numine corroboratum. Reliquum modo eſt, ut alterum pari cura fruatur, parique prudentia. Id vero poſt Deum, & cum Deo a vobis tribuetur per approbationem legitimæ electionis futuri Archiepiſcopi, de quo, quando ex nobis etiam peccatoribus ſciſcitari voluiſti, coram Deo, qui nos judicaturus eſt, de eo quod acturi ſumus in die judicii, hic eſt ſenſus noſter. Non novimus, nec ſcimus ullum (non quod defecerint viri vita & ſermone illuſtres, ſunt enim, & Deo perſpecti & hominibus, impari licet ratione, atque in primis præclaræ menti tuæ) ſed quia talem ratio depoſcit, & deſiderium Imperii veſtri, qui poſſit corde perfecto Dei juſtificationes exquirere; qui gradu atque ordine ab inferiore ſenſim ad ſuperiorem aſcenderit, qui tentatus fuerit per omnia, qui ex eis quæ paſſus eſt, tentatis poſſit opem ferre. Et quid multis apud te verbis opus eſt, qui omnia noſti, & ex tui ipſius ſtatu ac dignitate tantum virum tibi repræſentas? Prælucere cæteris oportet, non ſecus ac ſolem inter ſidera &c.* Ac ut non ſolum ex Epiſcopis, vel clero talem, tantumque virum exquireret, ſed etiam inter Stylitas, vel incluſos, aut monachos admonent.

Platonis de eligendo Patriarcha ſententia.

11. Platonis etiam monachi ſententiam de futuro CPolitano Epiſcopo, ab Nicephoro Imp. expetitam fuiſſe, his verbis narrat in vita ejus Theodorus Studita. *Cum vero e vita exceſſiſſet divinus ille vir, qui tunc Epiſcopatui præſidebat, quiſnam Patriarcha futurus eſſet, ſuffragiis quærebatur, quæ quidem de multis ferebantur, cum plerique alius alium cooptaret, prout benevolentia aut veritate ducebatur. Quæſitum eſt & patris noſtri ſuffragium, non ſolum ab iis, qui ſacerdotio inſignes erant, ſed ab ipſo etiam Imperatore.* Deinde poſt aliqua. *Et Plato quidem ipſe, quoniam neceſſe erat.* At iſta, quæ ingerit Theodorus de carcere, in quam tum Plato, cum ipſe Theodorus incluſi fuerunt, poſt Nicephori ordinationem acciderunt, de qua nunc agimus.

Nicephorus CP. Epiſcopus ordinatur.

12. Cum itaque in diverſos, pro cujuslibet affectione, electorum abirent ſuffragia, tandem in Nicephorum virum quidem laicum, & monachum, virtutumque omnium ornatiſſi-

tiſſimum, electorum ſuffragia, exceptis monachis, convenerunt. *Menſis Aprilis die duodecima magna Paſchatis Dominica*, ait Theophanes. *Nicephorus ſanctiſſimus Patriarcha, prius a ſecretis, populi totius, Sacerdotum, atque etiam Imp. ſuffragio electus eſt. Plato autem, & Theodorus Studiorum Monaſterii Superiores, Nicephori ordinationi non aſſenſerunt, quinimmo diſſidium a cæteris meditati firmiter obſtiterunt, probabili videlicet argumento ducti: Non oportere aliquem ab imo Laicorum ſtatu ad ſupremum Epiſcopatus faſtigium proxime evolare: quos Imperator Nicephorus Urbe ejicere conſiliatus, adverſa nonnullorum ſententia cohibitus eſt, qui odioſam fore Patriarchæ ordinationem expoſuerunt, ſi Monachi ad ſeptingentos uſque ſub Theodoro militantes, ejuſque Monaſterium adeo celebre, illa aſſerta, diſſparentur, & a fundamentis ruerent. Porro id neque novum in Eccleſia, neque recens excogitatum fuit factum: cum multi etiam alii de Laicis Epiſcopi creati, Deo convenienter in Sacerdotali dignitate ſe geſſerint*. Hæc de Nicephori ordinatione Theophanes, cui cum Theodorus Studita, & Plato cum ſuis monachis reſtiterint, iram Imperatoris in ſeipſos excitarunt, ut ex dicendis conſtabit.

Nicephori CP. Epiſcopi elogium, & vitæ ſeries.

13. Ceterum Nicephorum ea dignitate indignum non fuiſſe, tum anteacta vita, cum ea, quæ poſtea geſſit, demonſtrarunt. Nam nobilis regiæ urbis civis erat, atque a primœva ætate non ſolum divinis humaniſque litteris excultus; ſed pietate etiam inſignis, ſacrarum imaginum cultor ſemper fuerat, diuque in aula apud Imperatorem militaverat. A Secretis officio functus apud Irenem cum ſynodus ſecunda Nicæna celebrata eſt, cui etiam interfuit, ut in Taraſii vita narrat Ignatius his verbis. *Inter quos fuit Nicephorus, qui cum vixiſſet in ſanctitate, & eſſet ornatus divinis virtutibus, & doctrina, & dicendi ſcientia, Bizantii ſedem Patriarchalem ſuſcepit poſt Taraſii conſummationem*. At paulo poſt Nicænam ſecundam ſynodum, Aulæ officiis renuncians, ſeculoque valedicens, in ſolitudinem ſe contulerat. Deinde, ut in ejus vita ab eodem Ignatio ſcripta, & a Bollando primum edita, Monachorum junctus collegio, diu, noctuque precibus, diviniſque lectionibus vacaverat. Inde vero vi abſtractus, reclamans, ac reluctans Epiſcopus CP., jubente Imperatore, ordinatus eſt, ut idem ipſe in epi-

JESU CHR. AN. 806. epiſtola ad Leonem tertium Pontificem his verbis teſtatur. *Ad hanc Epiſcopalem ſedem invitus multumque reclamans*, (teſtis eſt mihi Deus) *provectus, & tyrannide potius, quam conſulto, aut ulla omnino perſuaſione aliis gubernandis præfectus ſum*. Hanc autem epiſtolam ad Leonem Pontificem, poſt annos aliquot ſcripſit Nicephorus, cum jam mortuo Nicephoro, Michael imperaret, nam Nicephori Imperatoris tyrannide, ne idem officium expleret, prohibitus fuerat, ut ibidem teſtatur. De qua epiſtola ſuo loco infra dicturi ſumus, qua de rebus ſuis multa Nicephorus inſeruit.

Nicephorus CP. Epiſc. Joannem Presbyterũ in communionem recipit.

14. Poſt paucos ab ordinatione ſua menſes, Nicephorus CP. Patriarcha cum Epiſcopis aliquot ſynodum CPoli celebravit, qua Joſephum CP. eccleſiæ Presbyterum, ab Taraſio officio ſuo dejectum, eo quod inceſtas Conſtantini Imp. cum Theodote nuptias olim conciliaverat, uti anno 795. diximus in ſuum ordinem reſtituit, & ad eccleſiæ communionem admiſit. De hac ſynodo auctor ſynodici, poſt Baronium editus, hæc habet. *Beatiſſimus Nicephorus, qui ſancto Taraſio ſucceſſerat, divinam & ſanctam particularem Synodum de conſenſu Imperatoris Bizantii congregavit: & per diſpenſationem, Joſephum, quem defunctus Taraſius, propter, conciliatas inceſtas nuptias Conſtantini Imp. filii Irenes depoſuerat, in Presbyterum recepit: unde quidam, qui a Chriſti eccleſia per ſimplicitatem abrupti fuerant, rurſus ſunt uniti*. Accuratius hac de re loquitur Michael diſcipulus Sancti Theodori Studitæ in hujus vita, qui de Imperatore ſcribit. *Patriarcham vi aggreditur (Nicephorus is erat Taraſii Succeſſor) omnibus eum machinis oppugnans; ut vel invitus voluntati ejus obſequeretur, & Sacerdotium redderet Joſepho. Quod ille ſane, vi tandem & ægre adductus præſtitit, veritus opinor, ne atrocius quidpiam ille moliretur*. Et ſane graviſſimam cauſam, cur tanti criminis participem in eccleſiæ communionem reciperet, ſuoque ordini Nicephorus CP. Patriarcha reſtitueret adfuiſſe credibile eſt.

Theodorus, & Plato Nicephori concilium reſpuunt.

15. Theodorus tamen, & Plato ob eccleſiaſticam diſciplinam in Theodori, utpote laici, ordinatione violatam, ac ob Joſephum Præsbyterum ad eccleſiæ communionem ab eo in ſynodo CPolitana admiſſum, ſuoque ordini reſtitutum, ſe ab ejuſdem communione ſubſtraxerunt, etſi in privato monaſterii oratorio pro eo orationes facerent, nomenque reci-

Digitized by Google

recitarent, ut in epiſtola ad Baſilium Theodorus his verbis teſtatur. *Nos & ſanctiſſimi Patriarchæ mentionem facimus (ſicut convenit) Myſtagogia, ſicut & piorum Imperatorum noſtrorum, & cum omni Sacerdote inculpato communicare non detrectamur. Scripſimuſque ad ipſum Patriarcham, quod & pii Imperatores noſtri ſciunt, non in nulla re diſcrepare, præterquam de Joſepho, ac ſimul ac depulſus fuerit Sacerdotio, cum ipſo ſtatim communicaturos, etenim deſiderabilem nobis virum eſſe, non ſolum, quod caput ſit eccleſiæ noſtræ, ſed quia jam olim reverendus nobis erat, et ſingula ipſius bona laudare non ceſſamus &c.*

Theodori Studitæ epiſt. ad Nicephorum Patriarcham.

16. Abſoluta autem ſynodo, quam Theodorus prævaricatorum, & adulterantium fuiſſe dixit in epiſtola ad Leonem Papam ſcripta, eo quod Epiſcopi in ea congregati, adulterium Conſtantini cum Teodote comprobarunt, dum Joſephum Prosbyterum, qui tale conjugium, ſive adulterium benedixerat, in ſuam communionem receperant, die ſequenti, qua hæc geſta ſunt, litteras ad Nicephorum Patriarcham Theodorus dedit, quibus eum ab ea ſententia revocare conatur, ac cur ab ejuſdem communione receſſiſſet, rationem reddit. *Neceſſe non erat*, inquit, *indicare Angelo beatitudinis tuæ, quæ ore ipſo jam ſignificata ſunt, quamvis per humiles nos ambos non fuiſſent. Attamen, ne qui heſterno die juſſu tuo conventus habitus eſt Epiſcoporum, diverſum aliquid docens ab iis, quæ cum illo dicta a nobis ſunt, ſacras aures veſtras conturbet, conſentaneum duximus ſummatim referre totam Apologiæ noſtræ rationem*. Hinc ſe catholicos eſſe teſtantes, cum Taraſio ejus prædeceſſore communionem retinuiſſe teſtantur, etſi ob adulterinum conjugium, Conſtantinum Imp. ab eccleſiæ communione non rejeciſſet, cum id œconomia quadam feciſſe credi poterat. Unde ſubdit. *Et prædeceſſorem ſanctitatis tuæ Patriarcam eadem ratione ſuſcepimus in hoc ipſo negotio, quando reverſi ab exilio ſumus, diſrupto adulterino conjugio, & Oeconomo* (Joſepho ſcilicet Presbytero) *Sacerdotii munere dejecto*, ſicuti in facti ſui excuſationem dixerat Taraſius. *Diſpenſatione uſus ſum, ut etiam impertirem ad tempus*, communionem ſcilicet Conſtantino Imp. adultero, quem propterea coronare renuerat, addens. *Manus meæ abſciſſæ fue-*

Jesu Chr. An. 807. *runt in adulterina coronatione? Numquid ego ulla ratione coronavi. Poſt hæc*, ait Theodorus, *communicavimus uſque ad obitum ipſius, & ſanctitatem tuam rurſus ſuſcepimus ad dignitatem Archiepiſcopatus, quemadmodum & mentionem ejus quotidie facimus in ſacrificio: nec alia re diſcrepamus, quam propter Oeconomum per ſacros canones depoſitum multis modis, præcipue quod poſt novem annorum excommunicationem, iterum ſacris operetur, neque id in abdito (ferendum enim id eſſet) ſed in ipſo fonte Sacerdotii noſtri hoc eſt, cum ſincera converſatione tua aſſidue pergens ad ſacrificandum*. Quare Patriarcham hortatur, ne propter ovis unius ſcabiem, totam perderet eccleſiam, aut ſchiſma in ea faceret. Quid his Tehodori querelis, & apologiæ reſponſi dederit Patriarcha ignoratur, horum tamen nullam rationem habuiſſe, nec reſponſione dignatum fuiſſe indicat idem Theodorus in epiſtola ad Simonem præpoſitum his verbis. *De Patriarcha enim quid attinet loqui, qui nec reſponſa dare vult, nec admittere qui verba faciat. Qui in omnibus Cæſari inſerviens*. Hæc, & alia ibidem Theodorus, qui graviora etiam inpoſterum cum ſuo certaminis collega Platone paſſus eſt, ut ex dicendis infra conſtabit, cum de altero CPolitano concilio verba facturi ſumus.

JESU CHRISTI annus 807. Leonis 3. Papæ an. 13. Caroli Imp. 8. Nicephori Imp. 6.

Leonis tertii epiſt. ad Carolum.

1. Chriſti anno 807. ab Leonis Papæ tertii geſta dent initium, cujus duo ſuperſunt ad Carolum Imperatorem epiſtolæ, quarum prima petit, ut ab genitore ejus, vel ab ipſo Romanæ eccleſiæ oblata, eidem eccleſiæ ſervaret. *Ut oblationem*, ſcilicet, *quam veſtri dulciſſimi parentes, & vos ipſi Beato Petro Apoſtolo obtuliſtis, accepta & ſecura ſit in conſpectu ejus*, & iterum in fine epiſtolæ. *Quamobrem quæſumus veſtram Imperialem clementiam, ut ſic de veſtra a Deo accepta donatione, quam prædicto Dei Apoſtolo obtuliſtis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte*. Ac ſe quæ reliqua erant in Ravennatenſi Palatio, unde prætioſiora jam Carolus in Gallias tranſtulerat, ſe remi-

miſiſſe narrat, queritur interea cum Carolo, eo quod Miſſi ejus, qui juſtitias facturi credebantur, damnum potius intulerint, ac ſe ad eum ea de cauſa oratores ſuos Joannem Epiſcopum, & Baſilium monachum miſiſſe narrat, additque. *Miſit pia Serenitas veſtra miſſos ſuos, ut juſtitiam nobis facere debuiſſent, ſed magis damnum, quam profectum nobis fecerunt. Verumtamen Miſſos veſtros, qui ad nos venerunt, interrogare dignemini, & ipſi viva voce inſinuare poſſunt ea, quæ in noſtris hominibus audierunt vel viderunt peracta. Sed & præſens Joannes Epiſcopus miſſus noſter per ſingula veſtræ poteſt innoteſcere Imperiali potentiæ, quia omnia, quidquid per veſtrum pium, ac legale judicium de cauſa videlicet Palatii Ravennatis recollectamus, unde & juſiſtis, ut nullus quilibet homo inpoſterum conquaſſare, aut in judicio promovere præſumeret, tam de vulgaria, quam etiam de manſis, quos per veſtrum diſpoſitum Herminus fidelis veſter nobis reconſignavit, omnia cum caſis, vineis, ſeu laboribus atque peculiis abſtulerunt, & nihil exinde nobis remanſit &c.*

Epiſtola altera Leonis ad Carolum.

2. Epiſtola altera poſt legatorum ſuorum diſceſſum data, Leo Papa, ſe binas Caroli litteras, & Capitulare Caroli accepiſſe narrat, ac ſicuti gaudium ſibi ejuſdem litteræ, & capitulare uſque ad caput ſextum attulerant, in multum mœroris attulit, quod in eodem ſexto capitulo continebatur, dum Leoni blandis verbis Carolus exprobrabat, quod nemo hactenus miſſorum ſuorum, ei acceptus fuerit, unde qui ad eum legationem ſuſcipere vellet, vix iuveniebat. Ut vero calumniam ſibi illitam dilueret Sanctus Pontifex, legatorum ſuorum perfidiæ adſcribit, qui diſſentionis ſemina inter utrumque ſerere curabant. Unde ait S. Pontifex. *Poſt relectionem duarum epiſtolarum referantes, inter cetera gaudia, quæ præfatæ epiſtolæ cordi noſtro effuderunt, ſic primum capitulum ejuſdem capitularis cor noſtrum relevavit, ut cum Propheta dicere cœpimus. Domine ſalvum fac Regem, & exaudi in die qua invocaverimus te. Cumque per ordinem ad ſextum conjungeremus capitulum, quantum gaudium, & lætitiam prædictæ epiſtolæ, atque cetera capitula nobis ingeſſerunt, tantum mœrore & triſtitia poſtmodum ſumus repleti. Continebatur enim in ipſo ſexto capitulo, quod Miſſos invenire non valeatis, qui nobis placeant: de qua re valde triſtatur veſtra Serenitas, & nullus de ipſis, qui*

JESU CHR. AN. 807.

jam ad nos fuit directus, per ſuam voluntatem amplius miſſus erit, excepto quod obedientiam veſtram voluntarie unuſquiſque adimplere cupit, & non ſolum Miſſi veſtri timent veſtram portare Legationem ad noſtram puſillitatem, verum etiam alii jam non ſunt auſi quærere a vobis auxilium, quia nullus eſt, qui veſtram præſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenam poſuiſſet pervenire gratiam noſtram &c. Hæc, & alia in ſui defenſionem Leo Papa ad Carolum Magnum, apud quem calumnias paſſum fuiſſe ſcimus, quaſi injuſta ab eo exigeret, ita ut ex tot miſſis, nemo eidem ſatisfacere poſſet.

Abdela Perſarum Rex, & Seracenorum Calipha munera Carolo M. mittit.

3. Gum vero Caroli M. fama uſque ad orbis extrema tranſiiſſet, alteram hoc anno Aaron, ſive Abdala filius ejus, & in Regno ſucceſſor, Seracenorum Calipha, & Perſarum Rex legationem ad Carolum cum pretioſis muneribus miſit, de quibus in Annalibus ad hunc annum, hæc narrat Eginhardus. *Radbertus legatus Imperatoris, qui de Oriente revertebatur, defunctus eſt. Et legatus Perſarum Regis nomine Abdella cum Monachis de Jeruſalem, qui Legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur (quorum nomina fuere Georgius & Felix) ad Imperatorem pervenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miſerat: videlicet papilionem, & tentoria atrii miræ magnitudinis & pulchritudinis: erant enim omnia biſſina, tam tentoria, quam & funes eorum, diverſis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis, pallia ſerica multa & pretioſa, & odores atque unguenta, & balſamum, nec non & horologium ex auricbalco, arte mechanica mirifice compoſitum: in quo XII. horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per XII. feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ, totidem feneſtras, quæ prius apertæ erant, claudebant: nec non & alia multa erant in ipſo horologio, quæ nunc enumerare longum eſt. Fuerunt præterea inter prædicta munera, candelabra duo ex auricbalco miræ magnitudinis & proceritatis: quæ in Aquenſi Palatio ad Imperatorem delata ſunt. Imperator Legatum, & Monachos per aliquantum tempus ſecum retinens, in Italiam direxit, atque* eos

Digitized by Google

eos tempus navigationis expectare juſſit, eademque alii Francorum Annales.

Jeſu Chr. an. 807.

4. Dum Orientalium Seracenorum, & Perſarum Rex, perhonorifica legatione Caroli amicitiam exquiſierat, ut diximus, Seraceni, qui in Hiſpania ſedes fixerant, Italiæ littora, & inſulas excurſionibus ſuis ſæpe vexabant, hoc anno in Sardinia, & Corſica ab Ducibus Pippini Regis Italiæ, victi ad ſua, cum dedecore, & damno redire compulſi ſunt. *Eodem anno*, ait Eginhardus. *Burchardum Comitem ſtabuli ſui cum claſſe miſit in Corſicam, ut eam a Mauris, qui ſuperioribus annis illuc prædatum venire conſueverant, defenderet. Qui juxta conſuetudinem ſuam de Hiſpania egreſſi, primo ad Sardiniam appulſi ſunt: ibique cum Sardis prælio commiſſo, & multis ſuorum amiſſis (nam tria millia ibi cecidiſſe perhibentur) in Corſicam recto curſu pervenerunt. Ibi iterum in quodam portu ejuſdem inſulæ, cum Claſſe cui Burchardus præerat, prælio decertaverunt: victique ac fugati ſunt, amiſſis XIII. navibus, & plurimis ſuorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis adverſa fortuna fatigati ſunt, ut ipſi ſibi hoc accidiſſe teſtati ſint, eo quod anno ſuperiore, contra omnem juſtitiam de Palataria Inſula LX. Monachos aſportatos in Hiſpania vendiderunt. Quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris, iterum ad ſua loca reverſi ſunt &c.*.

Seraceni in Sardinia, & Corſica armis Caroli victi.

5. Quo etiam anno pax a Niceta patricio ab Nicephoro Imp, cum claſſe Venetias miſſo, cum Pippino Rege facta eſt cum Venetis, *& induciis uſque ad menſem Auguſti conſtitutis*. CPolim regreſſus eſt Nicetas ait Eginhardus, quo etiam tempore, ut in chronico narrat Dandulus, Nicetas Obelerium Venetiarum Ducem Imperatoris Spatharium creavit, ejuſque fratrem Beatum Ducalis dignitatis ſocium CPolim duxit, ubi honorifice ab Nicephoro Imp. exceptus, Spatus, ſeu Conſulatus dignitate auctus, paulo poſt in patriam rediit, ſicque Imperatores Græci Venetorum amicitiam colebant, eorumque res pro viribus tutabantur, ut quæ reliqua in Italia, ad littora maris Adriatici poſſidebant, eorumdem ope retinerent.

Pax inter Pippinum Regem & Venetos.

6. Cumque hoc anno Carolus Aquiſgrani Paſchatis feſtum, & Natalem Domini celebraſſet, ut ait Eginhardus loco ſupracitato, cum ibidem eſſet, pro more capitulare edi-

Caroli M. epiſt. ad Pippinum pro eccleſiarum indemnitate.

Jasu Chr. an. 807.

edidit, quo Duces, Comites, Vaſſalloſque ſuos admonebat, ut unuſquiſque pro viribus ſuis ad bella pergerent, *& mediante menſe Auguſto ad Rhenum ſint*, eodemque tempore epiſtolam ad Pippinum filium ſuum, atque Italiæ Regem dedit, qua eum admonuit, ne ditionis ſuæ Duces, alioſque ſuo Palatio inſervientes permitteret, injuſtis vexationibus liberos homines opprimere, aut injuſte cogere ad ſerviendum iis, vel ad alimoniam præſtandam. *Sed etiam in eccleſias Dei, monaſteria videlicet virorum, ac puellarum, & Xenodochia, atque diverſas plebes, & ſuper reliquas ſervientes eccleſiarum Dei, in eorum opera, ideſt in vineis, & campis, ſeu pratis, nec non & in eorum ædificiis illos faciant operari, & caenaticos, & vinum contra omnem juſtitiam, ab eis exactare*, ſeu exigere, *non ceſſant, & multas oppreſſiones patiantur ipſæ eccleſiæ Dei, vel ſervientes earum*, quare ne ultra id fieri patiatur, admonet.

Salisburgenſis ſynodus celebratur.

7. Hoc anno Salisburgenſe concilium celebratum eſt, quo de dividendis decimis in quatuor partes præcipue actum eſt, ut una Epiſcopo cederet, 2 Clericis, 3. pauperibus, quarta fabricis. Synodo Arno Salisburgenſis Epiſcopus præfuit; deinde Atto ſubſcriptus legitur, Adalvinus, Emricus, ac ſeptimo Kal. Febr. anno 7. Imperante Carolo glorioſo Auguſto, poſt conſultatum ejus geſta fuiſſe hæc adnotatur, cujus ſynodi nulla apud Labbeum fit mentio.

Seraceni Nicolai reliquias violantes dant pœnam.

8. Cum infeſtis armis Orientale Imperium vexaret Aaron Seracenorum Calipha. *Hoc anno*, ait Theophanes, *menſe Septembri Aaron Arabum Dux*, ingenti comparata claſſe Rhodum invaſit, ingentemque ex ea prædam retulit, revertenſque Miram ingreſſus, cum ſacram S. Nicolai urnam violare tentaſſet, pœnam temeritatis ſuæ continuo dedit. Nam ingenti exorta tempeſtate, ita claſſem ejus contrivit. *Ut pleræque naves conquaſſatæ ſubmergerentur*, ipſeque Dei hoſtis vix ſalvus evaſerit.

Illicitæ Stauracii cum Theophanone nuptiæ.

9. Menſis autem Decembris die 20. Nicephorus Imperator, uxorem filio ſuo Theophanonem quamdam virginem Athenienſem, a viro, cui deſponſata fuerat, abreptam, cum qua etiam decubuerat: *Infelici Stauracio locavit*, ait Theophanes, ut qui leges omnes violare ſolitus erat, in hoc etiam tranſgrederetur: duas autem virgines alias forma præſtantiſſimas. *In ipſis nuptiarum ſolemnibus diebus, palam non*

non ſine hominum riſu vir execrandus, ideſt Nicephorus *conſtrupravit*. Jesu Chr. an. 808.

10. Hinc factum, ut cum ſceleribus ſcelera Nicephorus adderet, Procerum plurimis conſpiratione adverſus eum facta. *Arſaber Quæſtorem, & Patricium, virum religioſum & eruditum deſignaverint Imperatorem, Ubi Nicephorus dolis adverſus alios parandis exercitatiſſimus inſidias habuit detectas, Arſaberem verberibus cæſum, & capilillio damnatum, inter Monachos reliquum vitæ acturum in Bithyniam relegavit: cæteros plagis impoſitis, exiliis & facultatum proſcriptionibus, non ſæculares modo convictos Proceres, ſed & Sanctos Epiſcopos, Monachoſque, nec non ipſos magnæ Eccleſiæ Syncellum, Sacellarium, & Cartophilaceum, viros ſpectabiles, omnique veneratione dignos ſuppoſuit*. Hactenus de his Theophanes.

Conſpiratio in Nicephorum detegitur, rei puniuntur.

JESU CHRISTI annus 808. Leonis 3. Papæ 14.
Caroli M. Imperatoris 9. Nicephori Imperatoris 7.

1. Tres ab Leone Pontifice epiſtolas ad Carolum datas fuiſſe hoc anno ex Cennio earum editore, ſcimus, quarum prima acceptis ab Carolo litteris, & muneribus gratias plurimas agit, ac ex ejuſdem legatis certior factus eſt, quod Pippinus Italiæ Rex, media quadrageſima Romæ adſuturus erat: Ex altera autem epiſtola, cum didiciſſet eum non adſuturum, niſi poſt feſtum Paſchatis, ſe eum eo honore excepturum fore, quo tantum Regem, & Caroli filium, decebat, obteſtatur. *Poſt munerum oſſertionem inſinuaverunt nobis fideliſſimi miſſi veſtri Helmengaudus videlicet, atque Hunfridus glorioſi Comites, quod filius noſter Domnus Pippinus Rex ad limina Apoſtolorum per veſtram largitatem media quadrageſima cupit venire, atque conloquium nobiſcum habere, Unde in magnum gaudium cor noſtrum relevatum eſt, quod ipſi fideliſſimi Miſſi veſtri viva voce nobis inſinuare poſſunt, & continuo omnia cum ipſis diſpoſuimus de prædicti dulciſſimi filii noſtri itinere, Miſſumque ſtatim noſtrum direximus, qui omnem præparationem facere deberet, quatenus cum lætitia ad limina Apoſtolorum noſtræque puſillitatis conjungeret. Igitur poſt modicos, octavo ſcil. Kal. April. conjunxerunt ad nos Miſſi præfati filii noſtri Domni Pippini Regis*,

Leonis epiſt. ad Carolum de adventu Pippini Romam.

Jesu Chr. an. 808.

gis, & obtulerunt nobis honorabilem epiſtolam veſtram. Quam relegentes reperimus veſtræ proſperitatis ſalutem atque ſolertiſſimam curam, quam erga tranquillitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ veſtra Serenitas ſemper gerit, atque de adventu filii noſtri Domni Pippini, ut non antea eſſet venturus, niſi poſt diem ſanctum Paſchæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis veſtra clementia, quia quocunque tempore ad nos conjunxerit, cum tanto gaudio tantaque lætitia eum ſuſcipiemus, quantum condecet filio tam magni defenſoris ſanctæ Dei Eccleſiæ: quia ſcimus, Domino opitulante, eo quod & nobis & illi profectum erit ſi nos conjunxerimus &c. Ideſt ſi concordes fuerimus, præcipue in tutandis Italiæ littoribus ab Paganorum infeſtationibus, de quibus hæc ſubdit. *De vero Eccleſiis Dei, ut ſuas habeant juſtitias, atque littoralia noſtra, & veſtra ab infeſtatione Paganorum, & inimicorum noſtrorum tuta reddentur, atque defenſa, nos, quantum Dominus virtutem donaverit, cum ipſo prædicto filio noſtro,* ideſt Pippino, *ſtudium ponimus, ſed veſtrum conſilium, & veſtrum ſolatium, & nobis & illi neceſſe eſt:* tandem rogat. *Ut veſtra donatio,* Inſula ſcilicet Corſica, *ſemper firma, & ſtabilis permaneat, & ab inſidiis inimicorum tuta perſiſtat,* per interceſſionem ſanctæ Dei genitricis, & B. Apoſtolorum Petri ac Pauli &c.

Leonis altera ad Carolum.

2. Sequenti epiſtola, alteris ab Carolo acceptis epiſtolis officio plenis, gratias pro more agit, ac in iis id impleri ait. *Sicut aqua frigida ſitienti, ſic nuncius bonus de terra longingua.* In ea tamen queritur de miſſis Regiis, qui ad faciendas juſtitias miſſi in Exarchatu Ravennatenſi, alibique ſubditos vexabant, tributaque præter morem exigebant, unde ſolitum Romanæ eccleſiæ tributum reddere vix poterant. *Neſcimus,* ait, *ſi veſtra fuit demandatio, quod miſſi veſtri, qui venerant ad juſtitiam faciendam, detulerunt ſecum homines plures, & per ſingulas civitates conſtituerunt, quia omnia ſecundum quod ſolebat Dux, qui a nobis erat conſtitutus, per diſtractionem cauſarum tollerent, & nobis more ſolito nunc tribuere ipſi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipſo populo, unde ipſi Duces minime poſſunt ſuffragium nobis pleniſſime præſentare. Sed valde nobis gravis eſſe videtur, ſi vobis faſtidium facimus: confidimus enim in Dei miſericordia, quia in veſtris temporibus*

bus

Digitized by Google

bus ſancta Dei Eccleſia tranquilla atque pacifica perſiſtere habebit.

Leonis Papæ ſollicitudo pro reſtitutione Eardulphi Regis in Anglia.

3. Interea cum ſeditio in Brittaniæ Inſula adverſus Eardulphum Regem hoc tempore excitata eſſet, ita ut Regno ſuo dejectus, in Gallias Caroli patrocinium imploraturus tranſiiſſet, ac ad Leonem quoque querelas detuliſſet, ab eoque auxilium petiiſſet, jamque Miſſum ſuum Leo Papa in Angliam Adulphum Diaconum miſiſſet, ut ſequenti epiſtola conſtat, hac eadem epiſtola cum Carolo, de ejuſdem Regis reſtitutione agit, ac quod incolumis ad eum perveniſſet, gratulatur, *De autem omnibus bonis & proſperis, quæ circa miſſum noſtrum, quem in partibus Brittanniæ ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore B. Petri Apoſtoli fautoris veſtri operati eſtis, ſicut ſolita eſt veſtra clementia, magnas gratias veſtræ pietati exinde agimus: quia ſemper in ſolatio ſanctæ Dei eccleſiæ, & adjutorio Orthodoxæ fidei decertatis. Sed ſicut nobis per veſtram honorabilem Epiſtolam inſinuaſtis, quod Eardulphus rex de regno ſuo ejectus fuiſſet, jam hoc per Saxones agnoveramus, unde maxime ipſum Miſſum noſtrum pro ipſa nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde noſtro aſcendit pro eo quod veſtra pietas miſit Miſſos ſuos, & vivum eum ad vos uſque perduxiſtis. & valde de vita ejus delector, quia & veſter ſemper fidelis extitit, & ad nos Miſſos ſuos dirigebat, pro qua re veſtra Imperialis defenſio ubique multiplicer reſonat.*

Diſſidia inter Cænulphum Regem, & Canebaldum Archiepiſc. componere curat Leo Papa.

4. Cumque hoc tempore Cœnulphus Cantiorum in Anglia Rex, cum Eanbaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo, ac Angliæ Primate diſſideret, junctis cum Carolo conſiliis, eorum diſſidia componere Leo Papa ſategit, de quibus hæc in eadem epiſtola ad Carolum habet. *De vero epiſtolis quibus vobis Eanbaldus Archiepiſcopus, & Cænulphus Rex, atque Vado emiſerunt, relegentes, reperimus eorum doloſitatem, quam inter ſe habent. Unde valde contriſtamur. Quia iſte Cænulphus Rex nec ſuum Archiepiſcopum pacificum habet, nec iſtum Eanbaldum idem Archiepiſcopum. Nam & de eorum diviſione quotidie in Beati Petri Apoſtoli, licet velut immeriti, preces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet, & diſcordiam, quam inter ſe habent abſolvat, & ſicut cæpit veſtra Serenitas in ipſam pacem nobiſcum decertare, ſic inceſ-*

JESU CHR. AN. 808. *ſanter elaborare dignemini, quatenus merces veſtra copioſa accreſcat in cœlis. Miſiſtis ſiquidem nobis, ut nos ratione Apoſtolicæ auctoritatis adhortatoriam epiſtolam ſæpeſato Eanbaldo Archiepiſcopo per idoneum Miſſum noſtrum mitteremus, ut ad hanc ſanctam Apoſtolicam ſedem cum ſuis conſentaneis venire debuiſſet, aut in veſtra præſentia rationes deducendum. Nos vero ſtatim ipſam epiſtolam dictavimus, & vobis emiſimus. Sed ſi placet Serenitati veſtræ, quod ipſam noſtram epiſtolam per veſtrum idoneum miſſum ipſe in partibus ad miſſum, quem itidem direximus, miſiſſetis, ut una cum prædicto miſſo noſtro ipſum Archiepiſcopum adhortaſſet, quatenus aut hic in noſtra præſentia, aut ibidem in veſtra, una cum ſociis ſuis conjunxiſſet, valde nobis recte viſum fuiſſet, quia miſſum noſtrum nondum ſuſcepimus, & ipſi homines doloſi ſunt, ut ne miſſos ſuper miſſos ſuſcipientes in doloſitate eveniant. Verumtamen nos miſſum noſtrum præparamus, donec ſecundum veſtrum placitum demandetis, & ſi placet Imperiali potentiæ, ut miſſum noſtrum ibidem dirigamus, vos nobis per veſtram inſinuationem ſignificare iubeamini, & nos ſtatim ipſum Miſſum noſtrum dirigemus ſecundum veſtram voluntatem. Omnipotens Deus &c.* Ac tandem in Embolo epiſtolæ Carolum admonet, ne Jeſſe Epiſcopo uteretur in obeundis legationibus, utpote minus apto. *Nam Miſſaticum per patrias deportare*, ſeu Miſſi officium per loca implere, *non nobis videtur, quod idoneus ſit, neque ad ſecretum conſilium provocandus*, ſeu aptus, eodemque loco Archiepiſcopi Ravennatis mores arguit, ut ex miſſis ſuis Helmengaudo, & Hunfrido Carolus diſcere poterat, quos cum ad prandium in Dominica Palmarum invitaſſet Archiepiſcopus. *Quales lectiones*, ait, *& quales admonitiones, audierint, ſicut decet in ſancto quadrageſimali tempore, quando omnes de ſuis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare, nobis turpitudo eſt vobis in ſcriptis inſinuare*, Hæc ibidem Leo Papa, ubique pro fide catholica, & diſciplina, in Epiſcopis præcipue, tuenda, ſollicitus.

Eandulphus Rex ab Leone Papa, & Carolo in- 5. Antequam tertiam Leonis Papæ epiſtolam hoc anno ad Carolum datam exſcribamus, qua de reſtitutione in Regnum ſuum Eandulpho, deque componendis diſſidiis inter Cænulphum Regem, & Eanbaldum Archiepiſcopum agi-

agitur, qua ratione Eardulphus in Regnum ſuum reſtitutus fuerit, ex Eginhardo adnotamus, dum de geſtis Caroli hoc anno narrat. *Interea Rex Nortumbrorum de Brittania inſula nomine Eardulphus, Regno & patria pulſus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto eventus ſui negotio, Romam proficiſcitur: Romaque rediens, per Legatos Romani Pontificis, & Domini Imperatoris, in Regnum ſuum reducitur. Præerat tunc temporis Eccleſiæ Romanæ Leo III. cujus legatus ad Brittanniam directus eſt Adulfus Diaconus de ipſa Brittannia, natione Saxo: & cum eo ab Imperatore miſſi duo Abbates, Rotfridus Notarius & Nantharius Abbas de Sancto Aldomaro. Imperator vero ædificavit per Legatos ſuper Albim fluvium duobus caſtellis, præſidioque in eis contra Sclavorum incurſiones diſpoſito, Aquis hyemavit: Natalemque Domini, & Sanctum ibidem Paſcha celebravit.* Ubi loquitur de Paſchate ſequentis Chriſti anni, cum jam dixerit Imperatorem Noviomagi hoc anno Paſcha celebraſſe. Eardulphum autem ab Alvoldo Regno dejectum fuiſſe, atque biennio fere ejus Regnum tenuiſſe, his verbis narrat Veſtmonaſterienſis ad hunc annum. *Eardulpho Nortumbrorum Rege a Regno fugato, Alvoldus ei duobus annis ſucceſſit. Fugaverat autem illum Alvoldus, & Regnum ejus occupaverat.* Eardulphus vero ad Carolum Imp. confugiens, indeque Romam cauſam ſuam Leoni Papæ permiſit, qui intellecto populi ſuffragio, qui eum quondam Regem elegerat, & cognito, quod ab Eanbaldo Archiepiſcopo conſecratus fuiſſet, eum Regno reſtituit, miſſis hanc in rem in Brittaniam legatis ſuis. Hinc quantum ea ætate Romanæ eccleſiæ obſequens eſſet Anglorum natio adnotat Baronius, dum expulſum a ſe Regem, Romani Pontificis auctoritate reſtitutum, recipere non detrectaverit, quæ hoc, vel potius ſequenti anno facta fuiſſe ſcimus.

Jesu Chr. an. 808. ſuum Regnum reſtituitur.

6. Inter hæc accidit, ut Adulphus Rom. eccleſiæ Diaconus in Angliam a Leone Papa miſſus pro reſtitutione Eardulphi Regis in Regnum, & reconciliatione Eanbaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi cum Ardulpho Rege, ex Anglia rediens, inſalutato Carolo Romam redierit cum legato Eanbaldi Archiepiſcopi, quamobcauſam ſubirato adverſus eos animo ad Leonem Papam ſcripſerat Carolus, & quod

Leonis Papæ epiſt. tertia ad Carolum.

 fidem

JESU CHR. AN. 808. fidem datam, ſe in eorum reditu conveniendi fefelliſſent, ſubdolamque eos legationem obiiſſe ſuſpicans, quem ut placaret, hanc tertiam ad Carolum epiſtolam dedit Pontifex, qua pro legatis veniam petit, factumque eorum ob ignorantiam excuſatione dignum ait, ac miſſis, quas hactenus ex Anglia litteras ſuſceperat, nullam ab eis fraudem commiſſam fuiſſe demonſtrat. *Miſit ſiquidem*, ait Pontifex. *Nobis veſtra Serenitas, eo quod Adulphus Diaconus miſſus noſtræ Apoſtolicæ ſedis, cum a vobis more ſolito benigne ac honorifice ſuſceptus eſſet, & uſque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commode abſolutus, & cum verteretur, ad vos primum ſe velle venire profiteretur, noluit miſſum veſtrum exſpectare, qui eum uſque ad vos deduceret, ſed arrepto itinere quaſi fugiens, cum vos illum per dies aliquot expectaretis ad vos venturum ſperantes, ſpem veſtram deluſit. Et quod miſſum Eanbaldi Archiepiſcopi, qui ipſe litteras ſuas ad vos miſit petens, ut prædictum Legatum ejus ad vos venientem benigne ſuſciperetis, & eum ad vos venire permitteretis, ſed neque ille ſecundum Domini ſui præceptum peragere ſtuduit. Quamobrem credat nobis veſtra Serenitas, cariſſime ac dulciſſime Filii, quia per nullum iniquum quodlibet conſilium hoc facere perpeſſi ſunt, ſed ignorationes ſæculi hujus ſolertiæ hanc ſtolidam occurſionem perfecerunt &c.* Ideſt noxam, quos ad Carolum remmittens, ut Anglia pro eadem cauſa redirent, ut benigne eoſdem reciperet, Imperatorem precatur. Deinde de geſtorum ſinceritate certiorem reddens ſubdit. *De autem, quod nobis emiſit veſtra Serenitas, fraudulentam eos habere legationem, quam vobis oſtendere timuerunt, & quia propter hoc tam feſtinanter profecti ſunt, ut Ardulphi Regis iter Romam prævenire potuiſſent, omnes epiſtolas, quæ de partibus illis nobis perlatæ ſunt, pro veſtra ſatisfactione vobis emiſimus legendas; Prædictum vero Miſſum Eanbaldi Archiepiſcopi, in quantum Deo auſpice agnoſcere valuimus*, in omnibus Dei famulum eum comperimus &c. Quare poſt aliqua. *Quid plura dicimus ſicut per eorum ſtultitiam agnovimus in aliquo veſtrum furorem*, ideſt veſtram indignationem meruiſſe, *ita per infuſionem Sancti Spiritus velocius a vobis, veſtram ſentiamus miſericordiam*. Hæc, & alia ibidem Leo Papa hoc anno, de quibus iterum anno ſequenti ſermo fiet.

7. Hoc

Digitized by Google

7. Hoc eodem anno Carolus Imperator. *Vere inchoante Naviomagum profectus, tranſactoque ibi quadrageſimali jejunio, celebrato & Sancto Paſcha, iterum Aquiſgrani regreſſus eſt.* Ait Eginhardus, qui ſubdit Carolum filium ſuum adverſus Lodefridum Danorum Regem cum exercitu miſiſſe, eo quod in Sclavos, ſeu Hunnos Abroditas arma convertiſſet, ac in Saxoniam progredi meditaretur. Unde Carolus cum exercitu Albia tranſgreſſa, Godefridum non ſine ſuorum damno ad propria redire compulit, dum ipſe, *tranſmiſſo iterum flumine cum incolumi exercitu in Saxoniam ſe recepit.* Ait idem auctor, quo etiam anno Lodovicus alter Caroli filius, expeditione adverſus Seracenos ſuſcepta, Dertoſam longa obſidione fatigavit, quam etſi obtinere nequaquam potuerit, nihilhominus excurſionibus ſuis Seracenos vexavit, hiſque geſtis, ut in Lodovici vita narrat auctor anonymus. *Chriſto favente ad ſuos ſeſe magno cum gaudio, & opibus collegerunt &c.*

Jesu Chr. an. 808. Caroli bellum, & victoria de Rege Danorum.

8. *Hoc anno menſe Martio indictione ſecunda Arabum dux Aaron in interiore Perſia Coraſan agnominata mortuus eſt.* Ait Theophanes, quæ cum labenti anno 808. concurrrere adnotat Pagius, etſi Elmacini auctoritatem præferens, anno sequenti hæc contigiſſe ſcribat. *Muamed*, ſeu Mauhemetes, ac Alamin, *ejus filius ad omnia prorſus ineptus Imperium ſuſcepit, adverſus quem Abdelas ejus frater Mamon etiam dictus ſeditione mota, ex provincia Coraſan cum paternis viribus erumpens, civilis belli per nationem illam auctor fuit. Subinde qui Syriam, Ægyptum, & Libiam incolunt in varias factiones diviſi Rempublicam & privatos quoſque peſſumdederunt, cædibus, rapinis, aliiſque flagitiis, cum in ſe invicem, tum in ſubditos Chriſtianos confuſe deſævientes. Iſthinc ſane per Sanctam Chriſti & Dei noſtri Civitatem Eccleſias deſolatio & vaſtitas occupavit: iſthinc in duarum magnarum Laurarum Monaſteria, Sancti dico Charitonis, & Cyriaci, & atque Sancti Sabæ, & in reliqua Sanctorum Euthymii, & Theodoſii Cœnobia maxima clades erupit: Invaluit Arabici Imperium confuſio hujuſmodi, cædeſque mutuæ inter ſe, & nobis illatæ annos.* Deeſt numerus, quo hæ clades perdurarunt, quæ ſane longo tempore viguerunt. De quibus plura narrat Elmacinus, & noviſſimus hiſtoriæ Arabum auctor Gallus Marigni, quæ utpote ad rem noſtram alie-

Aaron Seracenorum Calipha obiit, cui Amin Mauhumetes dictus ſuccedit.

JESU CHR. AN. 808.

aliena prælerimus, eccleſiarum, & monaſteriorum funera adnotare contenti, ſicuti & chriſtianorum ſtrages, quas iis in tumultibus factas fuiſſe conſtat.

Qua ratione utraque pars factum ſuum excuſaret.

9. Luctuoſæ tragœdiæ hiſtoriam auſpicantes, adnotare juvabit, funeſtum ſchiſma inter præclaros ſanctitate, & doctrina viros exortum fuiſſe, nam ex utraque parte, nec leves, aut ſpernendæ occurrebant rationes, cur geſtorum ſuorum rationem redderent. Theodoro quippe cum ceteris ſuæ ſententiæ monachis, intolerandum videbatur, Joſephum tanti criminis reum, nulla peracta pœnitentia, non aliter, ac ſi innoxius fuiſſet, in eccleſiæ communionem ab Nicephoro receptum fuiſſe. Nicephorus econtra, id ſe ex œconomia quadam geſiſſe teſtabatur, ne Imperatorem Nicephorum, qui id ab eo exigebat, nimium exaſperaret, & ad gravius quid adverſus eccleſiam moliendum impelleret. Quare dum Nicephorum Patriarcham excuſatione dignum cenſemus, Theodorum, Platonem, ceteroſque ejuſdem ſententiæ adſtipulatores ſanctiſſimos monachos condemnare religio vetat, id tantum iis accidiſſe adnotamus, quod alias ſanctiſſimis viris accidiſſe ſcimus, dum ſcilicet nimio eccleſiaſticæ diſciplinæ tuendæ zelo inflammati, a ceteris eccleſiæ paſtoribus diffidere viſi ſunt, & ut Cypriani exemplum prætereamus, qui ingenti in hæreticos odio accenſus, eorum quoque baptiſmum, a recto veritatis tramite devians, rejiciendum eſſe cenſebat, ita Theodorus, ceterique ſuæ ſententiæ monachi, ſeverioris diſciplinæ vindices, juſtam habuiſſe cauſam Baronio viſum eſt, cur ab Patriarchæ ſui communione recederent. Nos vero Luciferi immoderatum zelum eos potius imitatos fuiſſe cenſemus. Nam cum in Alexandrina ſynodo anno 362. congregata, quæſtio inſtituta eſſet de iis Epiſcopis, quorum numerus adeo magnus erat, ut Hieronymo auctore, totus orbis Arianum ſe fuiſſe miratus ſit, cum inquam quæſtio ibidem inſtituta eſſet de Epiſcopis, & Presbyteris, qui in ſynodo Ariminenſi, perfidiæ Arianæ, ſeu fidei profeſſioni ab Arianis digeſtæ ſubſcripſerant. *Multi quidem confeſſores fidei calore ferventes*, ait Ruffinus, *cenſebant nullum debere ultra in Sacerdotium recipi, qui ſe utcumque hæreticæ communionis contagione maculaſſet*. Atque ex his Lucifer præcipue, Calaritanus Epiſcopus, hanc adeo obſtinate ſententiam tutatus eſt, ut ob hanc cauſam ſchiſma etiam

Digitized by Google

etiam ab eccleſia feciſſe credatur. Nam ut ait Athanaſius, qui Alex: ſynodo præfuit, communi decreto placuit, ut exceptis hæreſis auctoribus, & anteſignanis, quos ad pœnitentiam tantum agendam recipiendos eſſe ſynodus decreverat. *Qui vero non auctores, ſed neceſſitate, & violentia compulſi fuiſſent, viſum eſt quidem illis ignoſcendum, & in cleri locum reſtituendos &c.* Cui ſententiæ tum Liberius Papa, cum ceteri fidei confeſſores, Hilarius Pictavienſis, Euſebius Vercellenſis, Athanaſius, ceterique ſubſcripſerunt, quos ſane, ni mea me fallit opinio, ſi Theodorus cum ſociis imitatus fuiſſet, rem plane ſancto viro non indignam feciſſet, ſeque ſuoſque ab immani perſecutione eripuiſſet.

Jesu Chr. an. 808.

10. Sed Ignatium in narratione de Theodoro Studita apud Combefiſium & Pagium nota 2. hoc anno audire præſtat, qui Nicephorum Patriarcham, æque ac Theodorum, & ſocios excuſare conatur. *Neceſſariis quibuſdam temperamentis*, ait, *& in negotiis adminiſtrandis perpetua memoria dignos Patriarcha Taraſium, & Nicephorum uſos fama eſt, prout alibi jam manifeſtavimus.* In vita ſcilicet utriuſque Patriarchæ. Deinde eorum narrationem aggreditur, quæ ſub Conſtantino contingerant, cujus inceſtas nuptias cum averſaretur Theodorus, *ab eccleſiæ ingreſſu, & Patriarchæ*, ideſt Taraſii, *congreſſu ſemet continuit, quod quamvis nefandum conjugium haud verbis probaſſet Patriarcha, ſeveriore tamen pœna non perſtrinxerat &c.* Deinde *Nicephorus alter ſanctitate conſpicuus defuncti Taraſii loco ſuffectus: Imperatoris Nicephori conſiliis obſecundavit, & in eccleſiæ collegium Joſeph prius reſciſſum admiſit, ex quo rurſus magnus Theodorus ejus ſe communione ſegregavit*, ac exilia, compedes, & plagas eum ſub Conſtantino ea de cauſa ſuſtinuiſſe adnotat, additque. *Viro quippe tanta ſanctitudine præſtanti, leve, vel modicum Conſtantini delictum non apparebat. Ab ipſo ſiquidem Imperatore ducens originem, ad infinitarum animarum ruinam jam fecerat progreſſum. Hominum namque plurimi, maxime voluptatis ſectandæ faciliores, occaſione arrepta, & exemplo dato, nefaſtum Imperatoris factum fas rati adimplendæ venere cupiditatis ardori per ejus veſtigia gradiebantur: & uxoribus quondam legitime conjunctis domo expulſis, alias quas deperirent, ad ſponſæ prioris thalamos inducebant. Luem hujuſmodi in multas jam provincias graſſantem videre magnus*

Qua ratione Theodorus, & ſocii excuſentur apud Combefiſium.

gnus

JESU CHR. AN. 808. *gnus Theodorus non ſuſtinuit: quare in Imperatorem ipſum divinum zelum, ut præmiſimus exacuit, & in eo tenendo uſque ad finem perſeveravit*. Hæc pro excuſatione Theodori Studitæ, & ſociorum is auctor.

Qua ratione Taraſius, & Nicephorus Patriarchæ excuſentur.

11. In excuſationem vero utriuſque Patriarchæ hæc ſubdit. *Patriarcharum vero, de quibus inſtitutus ſermo, hic quidem, nimirum Taraſius idcirco conſentire viſus eſt, & attentatum Conſtantino ſcelus nulla animadverſione perſtringere, quod niſi placitis acquieſceret Patriarcha, Principum proxime præteritorum hæreſes renovaturum, & Sanctarum Imaginum cultum præſcripturum ſe Imperator Conſtantinus minaretur. Hujus gratia, rigoris nonnihil laxare decrevit, ne in majoris momenti res ſummum induceret diſcrimen. Sanctus autem Nicephorus, in alterius Nicephori, qui poſtmodum Imperium tenuit, ſententiam obniſus, tum vero pravos ejus mores & animi perverſitatem expertus, & ne ordinem Eccleſiæ perturbaret, & ſus deque verteret metuens, aſſenſum quoque præſtitit, & Joſeph quem depoſitum diximus, in priorem gradum reſtituit. At ſive magnus Theodorus ſacras leges vindicaturus, ac libertate ſua uſus ad extremum uſque diſcrimen obſiſtens præclarius ſe gaſſerit, ſive Patriarchæ ob allatas in medium rationes res difficiles, prudenter attrectare maluerint, & appoſito temperamento emollire, aliis quibus lucidius mentis acumen, & ad res hujuſmodi diſcernendas animi ſenſus vegitiores diſcutiendum relinquimus*. Ac Theodorum Epiphanii zelum imitatum fuiſſe adnotat, qui Eudoxiæ Imperatrici, ne Chriſoſtomum in exilium pelleret, reſtiterat.

Theodorus errorem ſuũ corrigit.

12. Culpam nihilhominus in Theodoro fuiſſe, quam ante obitum emendaverat, non diſſimulat Ignatius, hæc addens. *Iidem vero, magnus, inquam Taraſius, & ſacer Nicephorus, in magnos acceſſus eccleſiam progredi ſtuduerunt, & in cunctis æquo bonoque conſultum eſſe voluerunt. Qua de cauſa Canonem eos carpere nulla ratione affirmandum. Quinimo omni mentis attentione obſervandum, Patriarchis æterna memoria dignis, & Dei motu ſemper actis, magnum Theodorum crimen impingere voluiſſe, & ab Eccleſiæ Cœtu eorum cauſa ſe ſegregaſſe, & ipſius Theodori non leve delictum a Patribus fuiſſe judicatum: illi ſiquidem accurato rigore remiſſo, majus damnum evitatum cenſuerunt. Erratum*

tum ſane Theodorus emendavit, ut alibi narratum eſt; & ſcripta de iiſdem, & de Theodori geſtis, hiſtoria fidem facit. Quod etiam Methodii auctoritate confirmat, qui in ſermone ad monachos Studitas narrat Theodorum ante obitum ſuum. *Sententiam, quam animo preceps hauſerat, ipſum reprobaſſe, & ad eccleſiam demum ſe adjunxiſſe, ac vitæ termino propinquum, cum felicis memoriæ Nicephoro concordiam, dilectionem, & indiviſam animorum unionem ſervaſſe.* Hæc, & alia ibidem, ac tandem poſt aliqua, *Hoc certe dictum divinus Methodius Studitis ſancti diſcipulus perpendendum jure merito objicit, his verbis utens. Tu monachus es, in Sacerdotes inquirere non eſt tuum, ipſis ſubjici te decet, ipſos tibi ſubjicere, vel eorum vitam perſcrutari a te omnino ſit alienum.* Hactenus Ignatius, quæ ſi vidiſſet Baronius, omnem culpam, ut Theodorum, & ſocios excuſaret, in Taraſium, & Nicephorum Patriarchas, non tranſtuliſſet, quorum œconomiam Michael Theodori diſcipulus in ejus vita laudavit, ut videre eſt apud Sirmondum tom. 5. pag. 21. num. 26. Nunc quanta pertulerint Theodorus, ejuſque frater Joſeph Theſſalonicenſis Epiſcopus, vel Plato, aliique videamus, atque inprimis adnotamus, quod cum clam hactenus Theodorus, ejuſque frater Joſeph ab Nicephori communione, ob receptum in eccleſiam Joſephum, ſeſe abſtinerent, in apertum tandem res deducta eſt, opera Logothetæ Dromi, qui cum diebus feſtis Joſephum Theſſalonicenſem Epiſcopum CPopoli degentem vidiſſet abſtinere ab Nicephori communione, & ab eccleſiæ ingreſſu, ubi Nicephorus cum clero, & populo collectas agebat, cauſam ſciſcitatus, didicit, Joſephum ideo ab Nicephori cummunione abſtinere, eo quod is Joſephum Presbyterum, qui Conſtantini Imp. adulteram coronaverat, ad ſacra admitteret. Quapropter Theodorus imminentem prævidens tempeſtatem, Succundionibus monachis per epiſtolam expoſuit quibus ex cauſis ab Patriarcha ſe ſubtraxerit, cumque factum Oeconomi Joſephi excuſarent aliqui, ac ſecundas Conſtantini nuptias per diſpenſationem rite fieri potuiſſe dicerent, Theodorus epiſtola ad Theoctiſtum Magiſtrum ſcripta, de legitima diſpenſatione diſputat adverſus deſtructionem canonum, atque adverſariorum exceptiones diluit. Eadem de re epiſtolas duas, nomine Platonis, ut plus haberent auc-

Jesu Chr. an. 808.

 ctoritatis, ad Simeonem monachum Nicephori Imp. conſanguineum ſcripſit, quarum altera ipſum orat, ut animum leniat Imperatoris, & impendentem procellam avertat. Altera adverſus Oeconomum everſorem canonum fuſe diſſerit; ac rurſus obteſtatur Simeonem, ut mediatorem ſe præberet apud Principem, qui audire ipſos recuſabat: eamdem ob cauſam ſcripſit nomine Joſephi Theſſalonicenſis Archiepiſcopi epiſtolam alteram ad eumdem Simeonem, qua & Imperatorisaditu prohiberi ſe queritur, & quam rite ipſe factus fuerit Archiepiſcopus Theſſalonicæ adverſus quorumdam calumnias oſtendit. Hunc porro Simeonem haud prorſus ſincere in eo negotio ſe geſſiſſe conqueritur Theodorus in epiſtola iiſdem diebus ad Simeonem Præpoſitum ſcripta. Demum cum videret Theodorus, ſe ſuoſque majore in dies apud Patriarcham in odio eſſe, ac uti ſchiſmaticos ac perduelles haberi Apologeticam ad ipſum Patriarcham ſcripſit epiſtolam.

Theodori epiſt. 28. ad Baſilium S. Sabæ Romæ Abbatem.

13. Inter hæc accidit, ut cum diu acriterque de hac contentione inter monachos, & Patriarcham CPoli decertaretur, accidit inquam, ut Romam hanc eamdem quæſtionem fama deferret, hinc factum eſt, ut Theodorus, ejuſque in ea contentione ſocii, pro ſchiſmaticis, tum a Leone Papa, cum a ceteris haberentur. Ex his vero Baſilius Abbas monaſterii S. Sabæ Romæ exiſtens, licet intima cum eo eſſet amicitia conjunctus, tamen ſeſe ab ipſius Theodori communicatione ſubduxit, ſignificans ſe in ipſum ſchiſmaticum ab Eccleſia ſeparatum (ut par erat) dicere anathema. Verum cupiens amicum ad unitatem Eccleſiæ revocare, non deſeruit eum extra Eccleſiam eſſe (ut putabat) in ſchiſmate, ſed ſcribens ad eum littteras, munera quoque miſit iiſque eum a ſchiſmate, quo putabat revera teneri, revocare conatus eſt. Quas ubi Theodorus accepit, ingenti dolore perculſus, reſcribens, tum de ipſo, tum etiam de Leone Papa conqueſtus eſt, ac vehementi animi angore turbatus, paulo liberius quam decebat, ſcripſerat. Poſtea vero æquanimior redditus longe diverſas ad ipſum Leonem litteras ſcripſit, quas ſuo loco reddituri ſumus.

Theodori querelæ adverſus Leo-

14. Nunc pauca ſaltem ex ejuſdem adverſus Leonem Papam, & Baſilium querelis accipe. *Accepimus*, inquit, *litteras tuæ fraternæ charitatis, miratique ſumus ejus repen-*

pentinam mutationem: Prioribus ſiquidem verbis (ut cætera ſileam) quæ ad rem minus neceſſaria, Joſephum Oeconomum accuſabas, ut qui perperam ſit ingreſſus in Eccleſiam, poſterioribus innocentem plane oſtendebas, & qui eumdem in eadem re nunc laudas, nunc vituperas. Quod a quodam Sanctorum dictum eſt: ſcire debuit. Sed pro nihilo id habeatur: quamvis aperta ſit contradictio. Quale vero illud eſt, quod adeo inconſiderate provectus es, ut priuſquam examinares, & exacte cognoſceres, adverſus humilitatem noſtram pronuntiaveris diſceſſionem ab Eccleſia noſtra, ac proinde anathematiſmum? Attende tibi ipſi. Hæc, & alia plurima in sui excuſationem Theodorus, ac quam grave fuerit Joſephi crimen, cujus cauſa ab Patriarchæ communione diſceſſerat, adnotat, cum quo quicumque communicabat, criminis quodammodo participem ſe reddebat. Eodemque impetu in Pontificem ipſum, movet ſtylum, quo non ratio, ſed dolor impellebat. *Paſſi ſunt*, inquit Baronius, *interdum, inſtar ſolis, & Sancti deliquium, ſed ſicut ille paulo poſt priſtino radiorum fulgore mundo reſplendet, ſic Theodoro accidit*, dum alteras poſtea ad Leonem Pontificem litteras, obſequii, & obedientiæ ſuæ teſtes dedit, de quibus infra, in hac autem hæc inſeruit. *De Papa autem, quid ad nos, hoc agat, an illud, qui propriis (ignoſce) captus eſt alis, ut dicitur. Cum enim de manifeſtis Sacerdotii delictis nihil curare dixit, non qualemcumque Sacerdotem, ſed caput eccleſiæ ita direxit, & aſpernatus eſt, ut vel audire nos pudeat. Quod ſi id verum eſt. O Hierarchiam? Ceterum prudenter, & ſobrie quæſo, moveamus linguam adverſus capita, & non adeo acriter pronunciemus &c.* His alia plurima ſubdit, ut factum ſuum, ſuam ſcilicet ab Patriarchæ communione, diſceſſionem tueretur, idemque argumentum epiſtola altera ad Nicolaum Chartularium pertractat, proteſtaturque ſe neque alienum a Patriarcha gerere animum, & eccleſiæ pacem quammaxime optare. Ex his autem epiſtolis nondum editis quotquot habere potuit ex Vaticana bibliotheca, ad numerm 60. circiter annalibus integras Baronius inſeruit. Nunc autem ab Sirmondo collectæ, auctæque numero, inter ejuſdem opera tomo quinto editæ ſunt, ex quibus præcipua tantum daturi ſumus.

JESU CHR. AN. 808. nem Papam, & Baſilium.

JESU CHRISTI ANNUS 809. LEONIS 3. PAPÆ AN. 15.
CAROLI MAGNI IMP. AN. 10. NICEPHORI IMP. 8.

Leonis epiſt. ad Carolum, qua quæſtionibus propoſitis reſpondet.

1. Unica extat Leonis Papæ epiſtola ad Carolum hoc anno data, qua *Remeante ad nos, domino annuente Sabino religioſo Epiſcopo de partibus tranſmarinis, obtulit nobis Serenitatis veſtræ epiſtolam continentem de injuncta ſibi legatione, vel captu, atque redemptione Adulphi Diaconi miſſi noſtri, de quo in magno mœrore manemus, quoadusque omnipotens Deus illum ad nos uſque per veſtrum deducet ſolatium*. Hunc Adulphum Diaconum, ut anno proximo diximus, in Brittanniam pro reſtitutione in Regnum Eardulphi miſerat Leo Papa, qui hoc anno expleta legatione, cum rediret, ab Seracenis, qui Mediteranneum jam ab ea ætate, uti etiam nunc, cum maxima Chriſtianorum Principum injuria, & opprobrio, infeſtare non ceſſant, ab Seracenis inquam, qui in Hiſpanias ſedem fixerant, in captivitatem perductus, ab Carolo liberatus fuerat, eademque epiſtola tribus ab Carolo propoſitis quæſtionibus ſatisfacit Leo Papa, quarum prima ex Matthei evangelio ſumpta, ubi de Domino Jeſu Chriſto dicitur. *Et veniens Nazareth habitavit ibi, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur*, quem locum Hieronymi auctoritate explicat, quod ſcilicet ſenſum magis, quam verba Prophetarum reſpexerit Evangeliſta. Secunda quæſtio ex initio evangelii Marci ſumpta, ubi dicitur. *Initium evangelii Jeſu Chriſti filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaja Propheta. Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te*. Eamque etiam ex Hieronymi ſententia ſolvit, dum ſcribit, conſtare eam ex textibus duorum Prophetarum, Malachiæ ſcilicet, & Iſaiæ, quorum alterum tantum, ideſt Iſaiam Marcus citavit. Tertia quæſtio Leoni propoſita ex Pauli epiſtola ad Corinthios erat, ubi legitur. *Si enim cognoviſſent, numquam dominum gloriæ crucifixiſſent, ſed ſicut ſcriptum eſt. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Atque hæc non ex verbis ipſis Iſaiæ Prophetæ, ſed ex ſententia ſumpta eſſe adnotat. Eademque verba in Apocalypſi Heliæ apocripha fuiſſe, ex S. Ambroſio ado-

Digitized by Google

notat Leo Papa ibidem, de quibus plura non addimus.

Jeſu Chr. an. 809.

Quæſtio de proceſſione Spiritus Sancti, ex Patre, Filioque agitatur.

2. Gravis inter hæc de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque agitata eſt quæſtio, quæ Hieroſolymis mota, in Gallias hac ætate pertranſierat, atque in Aquiſgranenſi concilio hoc anno propoſita, Romam ad Leonem Papam delata eſt. De quibus hæc narrat Eginhardus. Hoc anno. *Imperator de Ardenna Aquiſgrani reverſus menſe Novembri concilium habuit de proceſſione Spiritus Sancti, quam quæſtionem Joannes quidam monachus Hieroſolymis primo commovit. Cujus definiendæ cauſa Bernharius Epiſcopus Vormacenſis, Alabardus Abbas monaſterii Corbejæ, Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt. Agitatum eſt etiam in eodem concilio de ſtatu eccleſiarum, & converſatione eorum, qui in eis Deo ſervire dicuntur, nec aliquid tamen definitum eſt, propter rerum (ut videbatur) magnitudinem*. Hæc auctor, eademque ceteri Francorum Annaliſtæ, quorum aliqui inter Caroli legatos Jeſſem Ambianenſem, Bernardo, & Alebardo addunt, cujus etiam nomen legitur in geſtis Romæ coram Leone Pontifice, & in inſcriptione epiſtolæ Caroli, in eam rem ad Leonem ſcriptæ, de quibus nunc ſingillatim agendum eſt.

Quæſtionis ſtatus exponitur.

3. Quid autem quæſtioni locum dederit, primo inquirendum eſt, ne in incerto pugnare videamur, & primo quidem non id in quæſtionem fuiſſe adnotamus, num Hiſpanis, & Gallis liceret ſymbolum Nicænum, ſeu CPolitanum in eccleſia canere, cum id annuente etiam ſede Apoſtolica, iis in eccleſiis in uſu eſſet, neque id etiam, addit Baronius, in controverſiam venerat, num Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procederet, ſed tantum an liceret iis in eccleſiis ſymbolum canere, cum additamento *Filioque*, hæc quidem Baronius. At ſi totius quæſtionis ſtatus perpenditur, id quidem præcipue quærebatur, num Spiritus Sanctus, ſicuti ex Patre, ita quoque ex Filio procederet, de quibus etſi Hiſpani, & Galli, quin & Itali cum tota fere Occidentali eccleſia vix dubitarent; Græci tamen id fateri renuebant, in quam ſententiam uſque hodie perſeverant, atque ex præcipuis ſchiſmatis, inter utramque eccleſiam capitibus, hoc etiam de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque recenſetur. Unde eadem quæſtio Hieroſolymis excitata, in Gallias tranſiit, de eaque præcipue di-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 809. diſputatum fuiſſe, tum geſta coram Leone Pontifice, ac Caroli ad eumdem litteræ demonſtrabunt.

Monachorum Hieroſolym. epiſt. ad Leonem Papam.

4. Unde autem, & a quibus quæſtio de Spiritu Sancti proceſſione ex patre, & Filio ortum duxerit, ſcimus. Supra quippe diximus Aaronem Seracenorum Calipham Caroli Magni amicitiam eouſque coluiſſe, ut miſſa legatione claves Hieroſolymorum Templi, ejuſdemque civitatis ad eum miſerit, cujus ipſe nihilominus poſſeſſionem retinuit. Inde tamen factum eſt, ut facilior peregrinis ad loca ſancta via pateret, ſecuriorque habitatio, præcipue Gallicæ nationis, quorum aliqui illuc tranſgreſſi in monte Oliveti monaſticam vitam degebant, qui cum latina lingua, Gallorumque more ſacra peragerent, dum Symbolum canerent, Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere teſtabantur, quod cum Græcis diſpliceret, Joannes quidam Lauræ Sancti Sabæ quondam Monachus, Montis Oliveti Monachos, tamquam hæreticos accuſavit, totamque Gallorum gentem hæreticam eſſe effutiebat, ac immiſſis etiam viris, e monte Oliveti, Gallos monachos exturbare, ac ejicere tentavit. Quare turbati, vexatique monachi, ſuorum aliquos ad Leonem Pontificem cum litteris ſuis miſerunt, ejuſdemque auxilium, protectionemque implorantes, cujus ſe communione præcipue gloriari, rituſque ſectari teſtantur his verbis. *Sanctiſſimo ac reverendiſſimo domino in Chriſto Patri Leoni ſummo Pontifici, & univerſali Papæ Sedis ſanctæ Apoſtolicæ urbis Romæ, congregatio montis Oliveti*. Quam vero ab Joanne monacho perſecutionem ſuſtinerent, exponunt, ita ut in die Natali, idem Joannes ſubmitteret laicos homines, qui eos foras projicerent, quibus tamen monachi Galli eouſque reſtiterunt, ut dicerent. *Hic volumus mori, nam foras nos non ejicietis*, Eamdemque ob cauſam ad Sacerdotes, qui in ſancta civitate erant, provocantes, de injuria ſibi illata conqueſti ſunt, Romanæ Eccleſiæ fidem ſe ſectari teſtantes. *Poſt hæc, die ſancto Dominico congregati ſunt Sacerdotes cum Clero, & populo contra ſanctum Sepulchrum Domini, & inter ſanctum Calvariæ locum, & interrogaverunt nos de fide noſtra ipſi Sacerdotes, qualiter crederemus ſymbolum. Nos autem dicendo, quod ſic credimus, ſicut ſancta Romana Eccleſia, diximus & dicimus in noſtra lingua, quæ vos non dicitis in Græca, & in Gloria Patri, non dicitis, ſicut erat.*

in

in principio, & in Gloria in excelſis non dicitis tu ſolus Altiſſimus, & Pater noſter alio modo dicitis; & in ſymbolo nos dicimus plus quam vos, qui ex Patre, Filioque procedit. Unde dicit iſte Joannes inimicus animæ ſuæ, propter hunc ſermonem, eo quod hæretici ſumus. Cives autem Hieroſolymitas ſe rogaſſe addunt, ne Joanni aures præberent. Alioquin *ſi nos dicitis hæreticos, de throno B. Petri dicitis hæreſim, etſi hoc dicitis peccatum inducitis ſuper vos.* Clerus vero Hieroſolymorum oblata iis fidei profeſſione, cum eam Archidiaconus in Sancto Conſtantino in pergamum aſcendens legiſſet. *Nos ſervi veſtri anathematizavimus omnem hæreſim, & omnes, qui de ſancta ſede Apoſtolica Romana hæreſim dixerint.* Ceterum ſe fidei ſymbolum cum eo additamento, qui ex Patre, Filioque procedit, tum in Capella Caroli Imp., cum ex ſcriptis Sancti Gregorii Magni, ac ex regula S. Benedicti, ab eodem Carolo eis tradita, didiciſſe narrant, ac proinde nil ſe peccaſſe addunt. *Unde & poſcimus*, inquiunt, *benigniſſime Pater veſtram ſanctiſſimam pietatem, ut hos ſervos veſtros Joannem Presbyterum, quando Deo gubernante ad ſacroſanctam veſtram gravitatem pervenerit, benigne ſuſcipere dignemini, & nobis ſervis veſtris certum mandatum dirigere. Commendamus nos Dominicus, Theodorus, Arimundus Gregorius, Joannes, Leo, & omnis congregatio de ſancto Monte Oliveti humilis ſervi veſtri, veſtris ſacris ac Deo dignis orationibus, &c.* ac proſpera quæque a Deo Leoni Papæ augurantes epiſtolam claudunt.

5. Hac accepta epiſtola, & Legatione, Leo Papa ad Carolum litteras dedit, ut eum de his certiorem redderet. Hinc ait. *Omnia, quæ de ſingulis partibus nobis accidunt, neceſſe eſt, ut veſtræ intimemus Imperiali poteſtati. Præſenti ſiquidem anno direxerunt nobis epiſtolam Monachi, qui in ſancto monte Oliveti morantur fidei contentionem continentem quam inter ſe habebant. Nos vero ſymbolum Orthodoxæ fidei illis miſimus, quatenus omnes ſecundum hanc noſtram ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, rectam & inviolatam teneant fidem. Quam vero epiſtolam veſtræ Imperiali potentiæ miſimus relegendam. Interea revertentes præſentes fideles ſervientes veſtri, Agamus videlicet & Roculfus, a Hieroſolymis detulerunt nobis epiſtolam Thomæ Hieroſolymorum Patriarchæ, quam relegentes reperimus, ut per noſtram precatoriam epi-*

Leonis Papæ epiſt. ad Carolum.

 epiſtolam veſtræ pietati eos commendaremus. Qua de re precamur veſtram Imperialem potentiam ut ſicut ſoliti eſtis ſuper omnes fideles veſtros impertire ſuffragium, ita cum eis miſericordiam facere jubeatis. Ipſam vero epiſtolam, quam nobis prædicti fideles veſtri detulerunt, veſtræ ſerenitati miſimus. Hactenus Leonis epiſtola ad Carolum, cum fidei ſymbolo, quod in Orientem miſit.

Fidei ſymbolum a Papa Leone ad Carolum, & in Orientem miſſum.

6. Ut etenim monachos montis Oliveti ab illata hæreſis injuria vindicaret, Fidei ſymbolum, quod in Orientem mittere deſtinaverat Leo cum epiſtola ſua ad Carolnm miſit, eoque ſymbolo, cum plura de Trinitatis myſterio, deque tribus perſonis, earumque proprietatibus afferat, Spiritum quoque Sanctum, non tantum ex Patre, ſed ex Filio quoque equaliter procedere diſertis his verbis docet. Credimus.... *Spiritum Sanctum a Patre, & a Filio æqualiter procedentem conſubſtantialem coeternum Patri, & Filio.* Eoque accepto ab Apoſtolica ſede ſymbolo, Joannis Hieroſolymitani monachi, ceterorumque Græcorum calumnias, monachi Galli montis Oliveti tamquam ſcuto armati, omnem erroris periculum, aut hæreſis ſuſpicionem a ſemetipſis repellere poterant, ejuſdemque ſymboli, ut in æternum memoria perſeveraret, Latino, & Græco ſermone in duabus argenteis tabulis exſcribi, & in Beati Petri confeſſione affigi juſſit idem Pontifex, ut his verbis narrat Anaſtaſius. *Hic vero pro amore & cautela Ortobodoxæ fidei fecit ubi ſupra ſcutos argenteos duos, ſcriptos utroſque ſymbolo, unum quidem litteris Græcis, & alium latinis, ſedentes dextera, lævoque ſuper ingreſſum corporis penſantes argenti libras nonagintaquatuor, & uncias ſex* ſeu ut habet Blanchiniana editio. *Fecit & ſupra in ingreſſu corporis ſcutum ex argento puriſſimo, in quo Orthodoxæ fidei ſymbolum ſcribi fecit penſans libras triginta, & duas.*

Aquiſgranenſ. ſynodus quæſtionem de proceſſione Spiritus S. ex Filio pertractat.

7. Carolus vero Imperator acceptis ab Leone Papa litteris cum fidei ſymbolo, una cum litteris monachorum montis Oliveti, ſynodum menſe Novembri, uti ſupra ex Eginhardo diximus, congregavit, in qua Epiſcopi congregati, tum ſacræ ſcripturæ veteris, novique teſtamenti, cum etiam ſanctorum Patrum teſtimonia collegerunt, quibus conſtabat Spiritum Sanctum ex Patre, æque, ac ex Filio procedere, uti tota Occidentalis Eccleſia profitebatur, ac Leo

Papa

Papa in fidei ſymbolo tunc miſſo docuerat. Eodemque tempore juſſu Caroli libellum de eadem quæſtione Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis conſcripſit, eoque eccleſiæ Patres Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, docuiſſe probat, quorum teſtimonia affert. Athanaſii ſcilicet, Cyrilli, Hilarii, Ambroſii, Dydimi, Auguſtini, Fulgentii, Hormiſdæ, Leonis, Gregorii, Iſidori, Proſperi, Virgilii Afri, ſeu Tarpenſis Epiſcopi, Procli, Agnelli, Caſſiodori, Prudentii &c. Digeſtum opus Carolo, his verſibus offert.

Imperii veſtri Rex inclite juſſa ſecutus
Defero Theodulphus hæc documenta libens.
Quis Patre ſeu Nato procedere Spiritus almus
Adſtruitur, legis hoc roborante tuba.
Hoc evangelium, hoc promit Apoſtolus auctor,
Hoc canit unanimis vox pia ſacra Patrum.

Et paulo poſt eamdem quæſtionem tunc agitatam fuiſſe indicans, ſubdit.

Inclita ſanctorum mecum eſt ſententia Patrum,
Quos bene ſpiramen Flaminis hujus agit.
Tuque mecum inicies, vegetat quem Spiritus ille
Cauſa tuo cujus tempore cæpit agi &c.

Cumque ex his aperte conſtaret Spiritum Sanctum ex Filio æque, ac ex Patre procedere, nullam nihilhominus ab Aquiſgranenſi ſynodo ſententiam de ea quæſtione proferri Carolus voluit, ſed ad Leonis Papæ tribunal, ac ad Apoſtolicæ ſedis judicium reſervavit, ac Bernharium Vormacienſem Epiſcopum, & Adelardum Corbejenſem Abbatem ſynodi legatos ad Leonem Papam cum litteris ſuis miſit, una cum Sanctorum Patrum auctoritatibus, quibus conſtabat Spiritum ſanctum, ex Patre, Filioque procedere. Unde in ſua ad Leonem epiſtola ajebat. *Quæſtio quæ de Spiritus Sancti proceſſione eſt nuper exorta, jamdudum eſt diligentiſſime a Sanctis Patribus ventilata, ſed quia jamdiu a quærentibus neglecta jacebat, non quievit, quaſi antiquitus ventilata, ſed quaſi quædam his temporibus nobis ſubito emerſit occulta, quod divinitus ſpiratum fideliter credens non dubito. Cre-*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 809. *bris etenim quæſtionum ictibus præſens Eccleſia tunditur, ut doctrinis Catholicis erudita, ſanæque fidei confeſſionibus elimata, in æternum quandoque hereditate filiorum percepta vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus ſum, hæc quæſtio diu a quærentibus indiſcuſſa jacebat, voluit Omnipotens Deus in eamdem ſuſcitare corda Paſtorum, ut negligentiæ torpore ſublato exercitationis Sanctæ brachio cœleſtem valeant perfodere theſaurum. Sermonis etenim Dominici ſarculo ſæpius Divinarum Scripturarum Paſtores debent proſcindere campum, ne zizania ſatoris iniqui, ſemenque malignum formoſi tritici valeat opprimere fructum, aut volans paſſim volucris hæretica ſemen Catholicum a cordibus rapiat parvulorum: horridaque ſpinarum emerſio Domini nitidam poſſit ſuffocare ſegetem. Lectionis etenim Sacræ cognitio imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat, hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul a Paſtoribus negligentiæ torpor abſcedat, procul a mentis acumine inertia damnoſa recedat, molliſque laſcivia corporis membra relinquat, & altus ſopor molliſque ſomnus in rigidas lucroſaſque lectionis emergat excubias, ut Eccleſiæ ager opimus, Doctorumque ſemine ſatus, valeat centenos Omnipotenti reddere fructus. Jam nunc aggrediar de Spiritus Sancti Proceſſione.* Quam plurimis poſtea ſacræ ſcripturæ locis, & Sanctorum Patrum auctoritatibus confirmat, ut ibidem videre eſt, hancque epiſtolam ab Smaragdo Abbate Sancti Michaelis editam fuiſſe in inſcriptione legitur. Legatis autem ad Leonem miſſis, id quoque in mandatis Carolus dedit etſi in litteris a Carolo ſcriptis mentio non occurrat, ut particula *Filioque* in cantando ſymbolo adderetur, ut ex legatorum geſtis Romæ conſtat. De quibus nunc agendum, ne inter ſe conjuncta ſeparemus, etſi anno ſequenti, hæc geſta fuiſſe ſciamus.

Relatio geſtorum a legatis Caroli cum Leone Papa.

8. Geſtorum relationem coram Leone Pontifice in ſecretario S. Petri Apoſtoli ab Caroli legatis, ab teſte, qui præſens adfuit, digeſtam fuiſſe, hæc verba indicant. *His dictis novi, quod nonnulla colloquendo potius, quam diſputando præceſſerunt, quorum ſeries ſenſuum, ſeu verborum, niſi tantum quod inde fuit, non ſatis memoriæ occurrit. Cumque eadem collatio ad hoc uſque procederet, ut jam magis certa*

Digitized by Google

certa diſputatio quam ſupra collocutio habenda eſſet, etſi non eadem fuit proprietas ſermonum, in quantum recordari valeo, iſte tamen fuit curſus ſenſuum, ſumma & concluſio noviſſimarum definitionum. Hæc auctor geſtorum, quorum initio refert, auctoritates ab legatis allatas ex Caroli epiſtola, Leonem probaſſe ac confirmaſſe. *Lectis a prædictis Miſſis per ordinem teſtimoniis, atque a domno Apoſtolico diligentiſſime auditis, ait, ita ſentio, ita teneo, ita cum his auctoribus, & ſacræ ſcripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re ſentire, vel docere voluerit, defendo*, ſive prohibeo *& niſi converſus fuerit, & ſecundum hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio* seu a communione eccleſiæ abjicio. His a Leone dictis, legati addiderunt, ſi ita credendum eſt, ita quoque docendos eſſe fideles convenit, quod cum probaſſet Pontifex. *Si ita eſt*, dixerunt legati. *Si quis hoc neſcierit, vel non ita crediderit: num ſalvum eſſe potuerit*. Pontifex vero inter ſcientes, & ignorantes diſtinguendum eſſe dixit, utpote de myſterio ſublimiori, ſicque ignorantem ſalvari poſſe, non vero ſcientem, ſi his obſtinato animo contradixerit.

Importunitatem legatorum reprimit Pontifex.

9. Cumque legatorum ſcopus eo tenderet, ut particulam Filioque in ſymbolo cantare ſibi liceret, uti apud Hiſpanos, & Gallos in uſu erat, hæc addiderunt. *Si ergo ita eſt, immo quia ita eſt, quod non credere non licet, & non tacendo, docere licet, cur non licet cantare, vel cantando docere*, Papa ad hæc *Licet, inquam, licet docendo cantare, & cantando docere. Sed illicite in prohibitis, nec ſcribendo, nec cantando licet inſerere &c.* Eo quod ſymbolo quidquam inſerere prohibitum erat cumque nonnulla ab Chalcedonenſi, ac CPolitana quinta, & ſexta ſynodo ſymbolo addita fuiſſe adnotaſſent. *Numquid non bene idem tum auctores feciſſent*, addiderunt, *ſi quatuor tantum addendo ſyllabas, tam pernceſſarium fidei ſacramentum cunctis deinceps ſæculis perſpicuum redderetur? Papa; Sicut non audeo dicere, non bene feciſſe, ſi feciſſent, quia proculdubio ſicut cætera, quæ vel omiſerunt ſcientes utique, & non tam humana, quam divina illuminati ſapientia fecerunt: ita quoque non audeo dicere, iſtud eos nobis minus intellexiſſe, perpendiſſe, cur dimiſerunt, vel cur dimiſſum, ne ultra mitteretur, ſicut & cætera, prohibuere. Tu & tui videte quid ſentiatis de vobis*.

JESU CHR. AN. 809. *vobis. Nam ut ego me illis non dico præferam, ſed etiam illud abſit mihi, ut coæquare præſumam: Miſſi; Abſit etiam, Pater, Deo noſtro protegente, illud a nobis, ut nos quicquam horum cogitemus, vel dicamus, vel ſuperbia inflati, vel in divinis rebus humanæ laudis cupidine provocati, ac ſi noſmet illis non tantum præferre, verum etiam coæquare præſumamus: ſed tantum ſecundum hujus temporis qualitatem, & imbecillitatem fratrum noſtrorum caritate compatientes, illud quærimus, in eo laboramus, ut quia finis mundi appropinquat, in quo ſicut prædicta ſunt, tempora periculoſa: etiam ideo inter cætera maxime fratribus noſtris prodeſſe valeamus. Quo ergo fideles in Domino in ſacramento fidei reddere ſtudeamus; & idcirco quia præfatum Symbolum a quibuſdam ita cantari reperimus, & quod id Eccleſiaſticæ congruere fidei, ſicut ſentimus utique & cognovimus: atque per hoc nunc jam plurimos doctos, & ſine fine uſque in finem ſæculi de tanto myſterio, ſi ita teneatur, inſtruendos eſſe cognovimus, qui nequaquam inſtruerentur, niſi cantaretur: melius nobis viſum fuit, cantando tantos inſtruere, quam tacendo indoctos relinquere. Si enim ſciret Paternitas tua, quanta ſunt hodie millia id ſcientium quia cantatur, qui nunquam ſcituri eſſent, niſi cantaretur: fortaſſe nobiſcum teneres, & id tuo etiam conſenſu, ut cantaretur, acquieſceres. Papa: Interim aſſentio: Veruntamen, quæſo, reſponde mihi. Num univerſa hujuſmodi fidei myſtica ſacramenta, quæ Symbolo non continentur, ſine quibus quiſque, qui ad hoc pertingere poteſt, Catholicus eſſe non poteſt. Symbolis inſerenda, & propter compendium minus intelligentium, ut cuique libuerit, addenda ſunt? Miſſi: Nequaquam quia non æque omnia neceſſario ſunt. Papa: Et ſi non omnia certe plurima ſunt his ſimilia, quæ niſi a ſapientibus credantur, Catholici eſſe non poſſunt. Miſſi: Dabis ne aliquid, non dico ſublimius, ſed ſaltem huic ſimile Symbolo deeſſe? Papa: Nempe dabo, & abundanter dabo. Miſſi, Da primo unum, & ſi neceſſe fuerit, adde alterum. Papa: Quia amica agitur contentione, quod agitur, & pro utrarumque partium quæritur ſalute, quod quæritur (atque utinam quoties aliquid hujuſmodi in majoribus ſeu in minoribus Eccleſiaſticis, vel Catholicis utilitatibus quæritur, ita per omnia pacifice ſine perverſa intentione quæreretur) ne quid forte*

pe

Digitized by Google

de tam reverendis myſteriis temere loquamur, detur conſiderandi locus: & dabimus quicquid de his dederit Dominus. Et die craſtina, ut legatis ſatisfaceret, adnotavit Pontifex Dei Filium Sapientiam paſſim in ſcripturis dictum fuiſſe. At hæc nequaquam ſymbolo addita fuerant, ſicque cetera, quæ adduci poterant, præteriens, non omnia, quæ licent, ſemper expedire adnotavit. *Qua de re multa id ita eſſe probantia, addi poterant teſtimonia, ſed res per ſe admodum patet, quanto melius ſit, ut quislibet quodlibet bonum, ita ut eſt, bonum reddere ſtudeat, aut ſi forte idipſum bonum melius efficere nititur, hoc primo caveat, hoc magnopere perpendat, nec ſe ultra quam debuit, temerarium præſumendo, & illud, quod per ſe ſalubre erat, reddat noxium corrumpendo.* Atque his, & aliis legatorum inſtantiam & importunitatem repreſſit.

Leo Papa licentiam cantandi particulam Filioque concedit.

10. Miſſi vero: *Nunquid a te ad ipſum ſymbolum eſt data in Eccleſia cantandi licentia? Nunquid a nobis huc uſus ille cantandi proceſſit? Hinc etenim illuc, mos idem cantandi non a nobis huc advenit: & quomodo illum uſque hodie cantamus? Papa: Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quippiam addendi, minuendi, ſeu mutandi, & ut expreſſius aliquid, quia vos cogitis, loquar: quamdiu vobis in hoc ſatis fuit, quomodo in hujuſmodi cantando, vel celebrando ſacroſanctis myſteriis, ſancta Romana tenet Eccleſia: nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occaſionem neceſſe fuit ingerere: Quod vero aſſeritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in iſtis partibus, vobis priores audiſtis cantaſſe: quid ad nos? Nos enim id ipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inſerendo præſumimus &c.*

Leo Papa ſuadet, ut cantandi uſus intermittatur.

11. Cum tandem collatio eo deducta eſſet, ut quid agendum eſſet, nulli dubitarent. Leonem denuo interpellarunt, quid conſilii daret. *Quale ergo conſilium dabis*, dixerunt, *ne id ipſum ad aliquod tranſeat exitium.* Leo autem Papa. *Si prius quam cantaretur, interrogatus eſſem, ne inſereretur, utique reſpondiſſem. At nunc, quod tamen non affirmando, ſed vobiſcum pariter tractando dico quantum menti occurrit, ita mihi videtur poſſe utrumque fieri, ut paulatim in palatio (quia in noſtra ſancta Eccleſia non cantatur) can-*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 809. *cantandi conſuetudo ejuſdem Symboli intermittatur: ſicque fiat: ut quod id ipſum, ut cantaretur, non qualibet imperantis auctoritas, ſed potius audiendi id fecerat novitas. Si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus, & ita fortaſſe quantum eſſe poteſt, non incongrue utrumque fieri poſſit, ut quod jam nunc a quibuſque prius neſcientibus recte creditur, credat, & tamen illicita cantandi conſuetudo, ſine cujuſque fidei læſione tollatur*. Hactenus acta ab Caroli legatis cum Leone Papa: quando autem, aut qua occaſione cum additione Filioque in Romana Eccleſia cantatum fuerit, infra opportuniori loco dicturi ſumus. Hoc loco adnotamus ex hac Græcorum effrenata licentia diſputandi non ſolum circa Trinitatis, & Incarnationis myſteria, quæ ineffabilia ut plurimum ſunt, ſchiſmatis fundamenta jacta fuiſſe, quibus diuturno Schiſmate ab Occidentali eccleſia divulſa eſt, ac inter ſchiſmatis capita, id quoque Romanæ eccleſiæ crimini dederunt, quod Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere, doceret, & in ſymbolo cantaret.

Caroli M. geſta in bello Danico.

12. Interea Rex Danorum Lodefridus, imparem ſe ut Caroli viribus reſiſteret, agnoſcens, per negotiatores quosdam Carolum rogavit, ut pax fieret. *Non abnuit Imperator*, ait Eginhardus, *colloquiumque trans Albim habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur Redenfrid, multiſque hinc inde prolatis, atque enumeratis rebus, negotio penitus infecto diſceſſum eſt*. Cumque bellum adverſus Vvilphos, alioſque finitimos urgeret, Traſco Dux Abodritotum, cum vaſtitatem undique afferret. *In Emporio Baric ab hominibus Godefridi interfectus eſt per dolum*. Carolus vero locum trans Albim exploratus ubi civitatem ædificaret ad continendos in officio Danos, opuſque aggreſſus, Egbertum Comitem, ut opus perficeret, ibidem reliquit, & occupatus eſt locus *ab Egberto, & Comitibus Saxonibus circa idus Martias*, anni ſequentis, ait Eginhardus.

Corſica & Thuſcia a Mauris deprædatæ.

13. Seraceni vero prædationibus aſſueti hoc etiam anno ex Hiſpania progreſſi. *Corſicam ingreſſi, in ipſo ſancto Paſchali Sabbato civitatem quamdam diripuerunt, & præter Epiſcopum, & paucos ſenes, atque infirmos, nihil in ea reliquerunt*, ait Eginhardus, qui ſubdit, *in Tuſcia Populonium civitas maritima, a Græcis qui Orobitæ vocantur deprædata eſt*, ſeu potius a Mauris, ſeu Seracenis, ut indicat Andreas

tertius

Digitized by Google

tertius Abbas montis viridis in vita Valefridii Abbatis & monaſterii conditoris, apud Bollandum die 15. Februarii.

14. Hoc anno Luitgerus primus Monaſterienſis Epiſcopus anno 802. ordinatus. *Defunctus eſt, anno Dominicæ Incarnationis 809., ſeptimo Kal. Aprilis, & trigeſimo ſecundo die ſancti ſui obitus, hoc eſt ſeptimo Kal. Maii mirifice fragrans in loco præfato ſepultus eſt*. Ait Alfridus tertius Monaſterienſis Epiſcopus in ejus vita, quam Bollandus, & Mabillonius exhibent, eamdemque poſt Altfridum Anonymus Verthinenſis, ſeu monachus Verdenſis conſcripſit, nonnulla cum Altrifridi vita pugnantia admiſcens, ut apud Surium videre eſt. Is porro non ſolum ſanctitate, ſed etiam doctrina floruit. *In ſcripturis non mediocriter eruditus*, ait auctor vitæ ejus, *ſicut in libro ab eo compoſito de vita venerabilium ejus doctorum, Gregorii ſcilicet, & Albrici aperte teſtatur, ſed & primordia S. Bonifacii adventus, atque ordinationis, quæ fuerunt in alio opuſculo prætermiſſa, pulchro ſermone ipſe conſcripſit*. Cujus librum idem Mabillonius vulgavit, eoque Luitgerus plura de ſancti Gregorii Presbyteri, & Ultrajectinæ eccleſiæ rectoris ſcripſit, & non pauca de Sanctis Albrico, & Bonifacio commemoravit. At epiſtola ejus nomini inſcripta de canonitatione ſancti Luitberti, quam Baronius, aliique referunt, ſuppoſititiam eſſe extra dubium eſt.

S. Luitgeri Monaſterienſis Epiſcopi obitus.

15. Non multo ante obitum, cum in Aula Caroli Magni eſſet Luitgerus, quadam die ſummo mane, cum explendis precibus intentus eſſet, cubicularium ſuum Carolus ſemel & iterum ad eum miſit, ac ad ſe venire præcepit. At vir Dei nonniſi abſolutis precibus ad Carolum perrexit, a quo interrogatus, cur Imperium ſuum contempſiſſet, ac tandiu venire ad ſe diſtuliſſet. Vir Dei *Ego Imperator*, inquit, *tuum ſemper præceptum ita in omnibus ubique exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique præferendum non dubitarem. quem omnibus anteponendum eſſe omnes norunt, omnes fatentur &c.* quam excuſationem non ſine admiratione Carolus placatus admiſit, ut ibidem videre eſt.

Luitgerus preces prius explet, deinde Carolum adiit.

16. Duo etiam capitularia hoc anno ab Carolo Magno Aquiſgranis vulgata exhibet eorumdem collectio, quorum primum capita 37. continet. Alterum in 16. capita diſtinctum eſt, quibus Eccleſiæ, & Reipublicæ dignitati, & utilitati

Capitularia hoc anno edita.

Jesu Chr. an. 809.

litati conſuluit. Ad eccleſiæ commoda ſpectant, ut eccleſiæ reſtaurentur. Ut in die Dominico mercatus non fiant, ſed in diebus, quibus homines opus debent operari. Si Presbyter chriſma dederit, propter judicium ſubvertendum, ab Epiſcopo degradetur, & poſtmodum a judice manum perdat. De hoſpitalitate erga peregrinos, & Miſſos regios exercenda: cetera ut plurimum Reipublicæ ſeu potius juſtitiæ adminiſtrationem ſpectant, iiſque inter cetera cautum eſt, ne pauperes opprimantur, aut vinum, vel annonam vendere cogantur, antequam colligatur, ne pauperiores fiant: Ne latrones, fugitivi, vagi, *qui propter Deum non vadunt*, a quoquam recipiantur. Ut nemo ad placitum, vel ad jusjurandum, niſi jejunus admittatur, ne poſt epulas in errorem labatur, ut nullus pro juſtitia præmium accipiat. Nemo in viis, aut pontibus teloneum accipiat, neque cogatur propter teloneum ad pontem ire, *quando in alio loco tranſire poteſt*. Ut unuſquiſque eo anno, propter famem, proximo ſuo ſive libero, aut ſervo pro viribus ſubveniat. Ut loca ubi placita tenebantur, bene reſtaurata ſint, ut æſtate & hiberno tempore uſui eſſe poſſent. Qui ad mortem damnati fuerint, ſi vita eis donata fuerit, ab omni publico officio, vel teſtimonio excluduntur. Si tamen is juſtitiam requiſierit, non eſt ei neganda. Cauſa tamen ob quam damnatus fuerit, non eſt retractanda, ſi male quidquam perpetraverit, judicium quoque ſuſtineat, nec ad excuſationem valeat, quod mortuus ſit, ſeu ad mortem damnatus fuerit. Hæc & alia ibidem, eademque fere continet capitulare ſecundum in capita ſexdecim diſtinctum.

CP. ſynodus Theodorum, Platonem, alioſque condemnat.

17. Ut injuriam ſibi ab Theodoro Studita, Platone aliiſque monachis illatam ulciſceretur Nicephorus CP. Patriarcha, eo quod ii ab ejuſdem communione, ob receptum in eccleſiam Joſephum, receſſerant, ſynodum cum Epiſcopis aliquot CPoli celebravit, qua eoſdem uti ſchiſmaticos condemnavit. *Imperator Nicephorus*, ait Theophanes, *commodam occaſionem nactus, variis Epiſcopis, & monaſteriorum Præpoſitis in unum collectis; ſynodum agi mandavit, cujus decreto monaſterio, & urbe ejecti menſe Januario*, hujus anni, *indictione ſecunda in exilium pulſi ſunt*. Theodorus ſcilicet, Joſephus Theſſalonicenſis Epiſcopus ejus frater, cum Platone incluſo, & ceteris monachis, quorum ſupra mentio;

tionem faciens adnotaverat, eos ab Patriarchæ communione, ob Joſephum in eccleſiam receptum, receſſiſſe.

Jesu Chr. an. 809.

Aliæ Theodori epiſtolæ.

18. Quænam autem tunc ab ſynodo. quam Mœchoſynodum Theodorus appellat, geſta fuerint, in litteris ea de cauſa ſcriptis, pluribus agit idem Theodorus, ac in epiſtola ad Eudrepianum, eumdem ad conſtantiam excitat, Mechianoſque coarguit, & in altera ad Arſenium eos confutat, qui ſcelera diſpenſatione excuſari poſſe affirmabant, & iterum idem retractans argumentum, iis ſatisfacit, qui mirabantur hæreticos a Theodoro vocari eos, quibus cum antea ipſe communicaverat, ac Mechianorum errorem, in hæreſim tranſiiſſe contendit in epiſtola ad Athanaſium data. Quoniam vero exemplis Apoſtolorum, & veterum Sanctorum Patrum nonnulli abutebantur, qui aliquando diſpenſatione uſi fuerant, Theodorus, hortatu fratris ſui Joſephi Epiſcopi Theſſalonicenſis, librum de diſpenſatione, non ex proprio, ut ait ingenio, ſed ex Patrum ſententiis congeſſit. Confeſſores vero, qui in ea perſecutione obierant, duabus ad Neucratium datis litteris celebrat, ac Joſephum fratrem ſuum in mœrore & exilio poſitum conſolatur. Inter eos, qui tunc graviter eam ob cauſam vexati ſunt, Plato incluſus recenſetur, quem militari manu ad ſynodum catenis vinctum, perductum fuiſſe, idem Theodorus in hiſtoria, quam de Platone conſcripſit, his verbis narrat. *Poſtremo ut ſummatim rem perſtringam, fratrum ſocietas noctu abrepta eſt, & in carcere concluſa: Quo facto ſynodi conſtitutus eſt dies, in quo vir ille ſanctiſſimus Plato a militari manu una cum tribus aliis, velut maleficus quiſpiam, ad ipſam ſynodum ductus fuit. Miſerabile certe ſpectaculum ſenem videre propter imbecillitatem ingredi non valentem, ſublatum portari catena vinctum, qua ipſius pedes circumdabantur, & ab aliis humeris in alios, velut piaculum quoddam indecora trajectione tranſmitti. Hei mihi! hæc ne fuit ordinationis Synodo congruentis ratio? Hæc ne Imperii exiſtimatio? Quæſo qua in re ſunt hæc illis inferiora, quæ latrocinantium inſidiis, & tyrannice imperantium violentia olim patrata ſunt?* Hæc de ſynodi ordinatione, & geſtis Theodorus.

Synodi decreta.

19. Geſtis ſimilia fuerunt ſynodi decreta, non quidem a Spititu Sancto dictata, ſed ab adulatione inventa, atque inprimis Conſtantini cum Theodote nuptiæ ex diſpen-

Jesu Chr. an. 809. ſpenſatione legitimas fuiſſe, dictum eſt, quaſi Reges divinis legibus nequaquam conſtringerentur, eoſque qui pro canonum obſervantia uſque ad exilia, & ſanguinem certaverant, nequaquam Joannis Baptiſtæ, aut Chryſoſtomi imitatores dicendos eſſe addiderunt, ſed potius anathemate, & exilio dignos. Hæc quidem ab ſynodo decreta fuiſſe Theodorus indicat in duabus epiſtolis ad Leonem Papam ſcriptis, quibus totius tragœdiæ ſeriem expoſuit, opemque ab Apoſtolica ſede imploravit: hæc autem ideo a ſynodo CP. ſtatuta fuiſſe ait, non quod verbis eadem decreta ſynodus vulgaverit, ſed quia ex ſynodi geſtis hæc ſequebantur. Hinc eorum excuſationes referens, qui ſynodi geſta tuebantur ajebat. *Nec ſatis illis* fuit, quod per priorem conventum, in ejus, ideſt Joſephi oeconomi, & Presbyteri. *Qui mœchos copularat receptione, ſacrorumque cum eo communione Paraſynagogi, ut divinus loquitur Baſilius, facti ſunt: ſed ut hereſis abſolutæ nomen adipiſcerentur, in altera publica Synodo eos, qui pravo ipſorum errori non adæſerant, aut univerſam potius Eccleſiam catholicam, anathemati ſubjecerunt: & quotquot hactenus in conſpectum venerunt, partim longinquis exiliis mulctantes, partim carceribus includentes, priſtinam uſitato hic more perſecutionem renovarunt. Ac nefarii ſermonis præſidio ſe ipſos defendunt. Adulterini ſiquidem conjugii conjunctionem, diſpenſationem eſſe decernunt: in regibus divinas leges nihil poſſe definiunt, eos qui pro veritate ac juſtitia uſque ad ſanguinem reſtiterunt, ut Precurſorem, & Cryſoſtomum imitari vetant: Epiſcopum unumquemque in ſacros canones, præter ea, quæ in illis ſtatuta ſint, poteſtatem habere pronunciant*. Hactenus Theodorus de geſtis in ſynodo CP. ſeu potius de iis, quæ ex geſtis ibidem neceſſario ſequebantur.

Quæ paſſus ſit hac de cauſa Theodorus. 20. Quid vero ea de cauſa paſſus ſit Theodorus Studita, paucis his verbis in ejus vita narrat Michael ejus diſcipulus. *Ut vidit impius Imperator nulla in re Theodorum virum ſanctum flecti, nec cedere ſibi, nec factis ſuis aſſentiri; monaſterio illum ſuo, atque urbe pariter extrudit, relegatque in inſulam quamdam ex iis, quæ proximæ ſunt Bizantio, eadem pœna in Joſephum fratrem, Platonemque ſapientem decreta, haudquaquam una utroſque cuſtodia includens, ſed ſingulos ſeorſum, ita ut mutuus eis conſpectus ne-*

negaretur, quod unicum eſt in carcere ſolatium. Jesu Chr. an. 809.

21. Eamdem cum Theodoro, Joſepho, & Platone, quin & graviorem perſecutionem Theodori monachi patre ſuo orbati, ab Nicephoro Imp. ſuſtinuerunt. Eos etenim ſtatuta die ad ſe vocatos, ut narrat Michael in vita Theodori, ac in duas claſſes diſtinctos, Imperator ſic affatur. *Quicumque Imperatori parere vultis, & cum Patriarcha, cleroque ſentire, tranſite ad partem dexteram. Quotquot vero animis & ſententiis obſequi recuſatis, ite in ſiniſtram, ut hinc appareat, quinam nobiſcum ſentiant, & quinam in nos ſint contumaces*. Cumque omnium una ſententia, eſſet, ſe eadem cum patre ſuo, ideſt Theodoro, ſentire, nec ulla ab eo ratione divelli poſſe teſtarentur, dicentes, *Patris præcepta in quibus educati ſumus, non cedemus, veritatem non deſeremus, vobis non adhærebimus. Specimen noſtri, quo animo ac ſenſu ſimus, hæc poſtulat occaſio, quam nos ſane minime rejiciemus, nec ignavum aliquod, aut puerile oſtendemus, dum germani ſumus eorum, quorum periculum paulo ante feciſti, germana cum ipſis & facere, & ſentire omnia parati*. Imperator autem hæc audiens, ira accenſus, quoniam omnes palam mulctare inutile fuiſſet. *Satis tum habuit arctæ cuſtodiæ illos addicere, male omnino poſtea tractaturus, & per otium, non omnes ſimul, ſed ſeorſum ſingulos, quibus vellet pœnis excruciaturus, quamquam illum conatus ſuus fefellit, vindicta, inquam, quæ Dei ſunt judicia illum perſequente*. Cum paulo poſt adverſus Schytas bellum gerens a barbaris interfectus eſt, uti infra dicturi ſumus. Quas vero anguſtias, vexationeſque ſuſtinuerint monachi, arctis cuſtodiis detenti, non ſemel in litteris ſuis Theodorus narrat, ut ibidem videre eſt.

Monachos Nicephorus Imp. aggreditur, ſed fruſtra.

22. In exilio autem poſitus Theodorus cum verbum Dei non eſſet alligatum, tres ad Leonem Pontificem epiſtolas dedit, quarum duæ ſuperſunt, nam prima, quam per Epiphanium monachum miſit, non extat, hinc alteram per Euſthatium miſit, qua poſtquam geſta CPoli in duabus Mœchoſynodis, ut ipſe appellat, expoſuit, Apoſtolicæ ſedis opem implorat, atque poſt plurima addit. *Imitare magiſtrum tuum Chriſtum, manumque eccleſiæ noſtræ porrige, ſicut ille Petro. Æmulare precamur cognominem tibi Papam, atque ut ille pullulante tum hæreſi Eutychiana, leoninum in morem ſpiritu ex-*

Theodori Studitæ epiſtolæ ad Leonem Papam.

 per-

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 809. *perrectus eſt, ut omnes norunt, dogmaticis ſuis epiſtolis: ſic & tu dicere audeo, juxta nomen quod geris, irrugi divinitus, vel potius intona contra præſentem hæreſim hanc, ut decet. Si enim iſti, arrogata ſibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non ſunt, qui ne orthodoxam quidem abſque cognitione veſtra, ut antiquus mos obtinet, cogere potuerunt: quanto magis æquum atque adeo neceſſarium fuerit (cum timore ſuggerimus) a divino tuo principatu legitimam Synodum convocari, ut Orthodoxum Eccleſiæ dogma hæreticum extrudat, & neque ſuprema dignitas tua cum Orthodoxis omnibus anathemate notetur a novis nugatoribus; neque iniquitatis porro claſſicum adulterinam hanc Synodum nacti, quibus id placet, in peccatum facile prolabantur.* Ac ut ad ſe ſcribere dignetur, Jeſu Chriſti exemplo, quam ad Abgarum ſcripſiſſe adnotat, rogat. *A me autem ſolo, peccatore, & in carcere detento mittitur hæc epiſtola*, addit, *propterea quod Pater conſervuſque meus incluſus*, ideſt Plato, *& Theſſalonicæ Archiepiſcopus germanus noſter, in aliis inſulis pariter cuſtodiuntur. Ipſi nihilhominus per me, & mecum eadem dicunt, & ſacris beatitudinis tuæ veſtigiis obvolvuntur.*

Theodori epiſt. altera ad Leonem Papam.

23. Leo autem Pontifex cum primas per Epiphanium litteras miſſas accepiſſet, epiſtolam paterni amoris plenam, quæ intercidit, ad Theodorum dedit, qua accepta tertiam ad ipſum Pontificem, ſuo, & Platonis nomine ſcripſit epiſtolam, qua. *Magnum*, inquit, *revera nobis humilibus, & ſummi voti opus fuit, quod digni habiti ſumus, qui ab Apoſtolica beatitudine veſtra ſalutationis allocutionem, ſacrorum ejus, qui a Spiritu moventur ſermonum ſignificationem acciperemus, per conſervum ac dilectum filium noſtrum Epiphanium; & hæc, incluſi licet teneamur ab hæreticis, atque ita ut tabellarium ipſum oculis conſpexerimus. Quamobrem lætitia exultavimus, gaviſi ſumus, Domino gratias egimus, qui divinis illius precibus ea, quæ ſpem noſtram ſuperabant nobis indignis miro modo largitus eſt; ita ut ipſam propemodum ſacram ejus formam per interjectas voces videre nobis videremur. Verum illa quidem ad Chriſti exemplum nos humiles aſſata eſt, & mentes noſtras recreavit, imbecillitatem corroboravit, languenteſque confirmavit, nos ſuis quaſi perungens captum noſtrum excedentibus conſolatoriis,*

Digitized by Google

riis, monitoriiſque ſermonibus, in fide Orthodoxa conſtanter ad finem uſque manere perſuadens, quod utinam propitiis ejus precibus ita nobis contingat &c. Atque contra adverſariorum dogmata diſputans, eos pro hæreticis haberi debere contendit, cum adverſus evangelium pugnarent, quo matrimonii vinculum indiſſolubile eſſe conſtat. Denique ſparſum de ſe, ac de Platone rumorem, quod quibuſdam hæreticis adſtipularentur, falsum esse demonstrat. *Denique hoc etiam ſignificamus, temetſi in epiſtola, quam per Euſtachium fratrem miſimus, non ſignificatum ſit, nos ſacro vertici ſcripſiſſe per Epiphanium: nequaquam mentitum fuiſſe Epiphanium. Res enim in hunc modum geſta eſt. Dederamus illi revera epiſtolam, poſtea vero Imperantium metu eam expunximus, ipſe nihilominus, cum ejus notas teneret, attulit ad ſacra illius veſtigia, benevole id agens, poſtquam in exilium acti fueramus &c.*

Jesu Chr. an. 809.

Epiphanium tabellarium excusat.

24. His alteram ad Baſilium Abbatem S. Sabæ Romæ epiſtolam Theodorus addidit ſuo, & Platonis nomine, quem anno proximo vidimus, zelo pietatis incenſum, in ipſum Theodorum, quem ſchiſma in eccleſia feciſſe crediderat, anathema dixiſſe. At ex Theodori litteris Romam miſſis edoctus, amicitiam ſuam, benevolentiamque Theodoro, ſociiſque reddiderat. Unde ad eum Theodorus. *Renunciavit nobis.* Epiphanius CPolim reverſus. *Te eumdem eſſe, qui erga nos ſemper fuiſſes affectu & charitate, quin potius non parum bonitatis adjeciſſe variis modis &c.* Ac ut legitimam ſynodum adverſus Mœchianos ab Leone Papa congregari curet, enixe rogat, ut ibidem videre eſt, ne integras epiſtolas plurimas, hoc de argumento tunc ſcriptas referre cogamur.

Theodori epiſt. ad Baſilium S. Sabæ Abbatem.

25. Dum ſanctis viris infeſtus eſſet Nicephorus Imperator, infeſta Bulgarorum arma, Deo vindice ſuſtinuit, ut ad hunc annum narrat Theophanes, nam inter cetera, ſtipendia militibus deſtinata interceperunt, ac *tunc auri libras ſupra centum mille, varia exercitus plebe trucidata cum ipſo Duce, occupatiſque Romani exercitus ſarcinis ad propria rediere*, cumque feria tertia hebdomadis Paſſionis iterum in eos arma vertiſſet Nicephorus. *Nihil laude dignum edidit*, ait is auctor, *quinimmo Ducibus fuga ſibi conſulentibus, veniamque pro animi parvitate admiſſa petentibus, eam dene-*

Bulgarici belli infelix exitus.

ga-

Jesu Chr. An. 809. *gavit, & in hoſtiam partes tranſire compulit*. Sardicam vero a Bulgaris relictam, cum ab exercitu reſtaurari juſſiſſet, rebellione in eum facta, milites recuſarunt, qua paulatim ſopita, crudeliſſime in eorum plnrimos Nicephorus Imp. animadvertit, ut idem narrat.

Nicephori tyrannidis in milites, & ſubditos.

26. Deinde in milites adhuc ira exeſtuans. *Militares copias affligere, ac deprimere meditatus, milites chriſtianos ex unoquoque themate patriam deſerere, & facultatibus divenditis, in Sclaviniam migrare edicto promulgato ſanxit*. Quod cujuſcumque generis hominibus grave adeo fuit, ait ibidem Theophanes, ut nonnulli in deſperationem acti, laqueis ſeſe præfocaverint. Ut vero exercitum compararet, ærariumque inpleret, novas inauditaſque exactiones per totum Imperium exigendas juſſit, & pauperibus in militiam adſcriptis, a concivibus ſtipendia dari juſſit. Tertio facultates omnium deſcripſit, tributa ſingulorum auxit. Quarto Vectigalium remiſſiones olim factas, in ſtatum priſtinum reſtituit. Quinto ab eccleſiis, Monaſteriis, Orphanorum, ſenum, peregrinorum hoſpitalibus tributa exegit, ac exactiones duplicavit. His alia idem auctor, de Nicephori Imp. rapacitate addit, quæ perſequi longum eſſet, hinc addit. *Iſta ex multis pauca compendio in medium protuli, ex quibus varias ejus ad omne rapinæ atque injuſtitiæ genus artes commonſtrarem. Quas enim in principe Imperii urbe, ſummi, medii, atque infimi loci hominibus injurias intulit, plures ſunt, quam ut perſcribi poſſint, dum ipſe ſcilicet perquireret, quomodo unuſquiſque domi viveret, ſervoſque ad calumnias in dominos ſtruendas impelleret*, atque poſt plurima hoc exemplo confirmat. *Agebat in foro cereorum quidam venditor ex propriis laboribus nonnullas facultates adeptus. Eum ad ſe accerſitum belluo ille pecuniarum ſic alloquitur. Appoſita capiti meo manu, jura quanta ſit tibi auri copia. Is tanquam indignus manum extendere recuſans, & exequi compulſus, centum auri libras poſſidere faſſus eſt. Quas Imperator quantocius proferri cum juſſiſſet. Quid inquit tibi ea ſollicitudine opus eſt. Prande mecum, & acceptis tibi nummis centum in domum tuam contentus diſcede*. Hactenus de Nicephori Imp. avaritia, & rapacitate Theophanes.

JE-

Jesu Christi an. 810. Leonis 3. Papæ an. 16. Caroli Imp. 11. Nicephori Imp. 9.

Jesu Chr. an. 810.

Pippini expeditio in Venetos, & adversus Græcos.

1. Ut Italici Regni fines dilataret Pippinus, atque injurias a Græcis acceptas ulciſceretur, dum Italiæ littora anno præterito excurrentes vexaverant, dum ad Comachium ut in annalibus narrat Eginhardus, pars claſſis Græcorum acceſſerat. *Commiſſoque prælio contra præſidium, quod in ea diſpoſitum erat, victa atque fugata in Venetiam receſſit*. Ut inquam has ulciſceretur injurias, hoc anno. *Pippinus Rex perfidia Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra, marique juſſit appeti, ſubjectaque Venetia, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eamdem claſſem ad Dalmatiæ littora vaſtanda miſit*. Sed cum Paulus Cephaloniæ Præfectus cum Orientali claſſe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, Regia claſſis ad propria *regreditur*, ait Eginhardus, cui ceteri Francorum annaliſtæ, Ado ſcilicet, Regino, Monachus Eugoliſmenſis, & incertus auctor vitæ Caroli conſentiunt. At Veneti, aliique ſcriptores, etſi Pippini claſſem Venetorum littora hoc anno excuriſſe, ac Metamaucum ubi Venetiarum duces hucuſque inſederant; occupaſſe fateantur, nihilhominus, Venetorum Duces, cum plebis maxima parte ad Inſulas Rialtum, & Olivolam tunc tranſiiſſe ſcribunt, ibique ſedem fixiſſe, quos ibidem etſi Pippini claſſis aggredi, indeque expellere conata ſit, nihilominus, aut maris, aut navium Francicarum gravitate prohibiti eo accedere, Franci nequaquam potuere, atque, ut ait Sigonius. *Hæc ejus urbis, & Reipublicæ, quæ ad hunc uſque diem opulentiſſima, atque ampliſſima fuit principia fuiſſe feruntur*. Hinc Juſtinianus in hiſtoria Veneta, Beati Venetiarum ducis geſta breviter attingens, ſubdit. *Defuncto autem Beato, ſeu relegato, ſubſecutus eſt Angeli Participatii Principatus, qui primus in Rivalto Ducatum tenuit*: paulopoſt de Carolo loquens Eginhardus ſubdit. *Pacem cum Nicephoro Imp. fecit, nam Nicephoro Venetiam reddidit*, Ideſt reddere promiſit, ut idem auctor, ceterique narrant; cum etenim Pippini excurſiones, in Venetorum, & Dalmatiæ excurrere littora audiſſet Nicephorus Imp. Arſacium Spatharium ad Pippinum, ut de pace cum eo firmaret miſit,

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 810. ſit, cumque is poſt Pippini obitum in Italiam perveniſſet ad Carolum pergens, ab eo menſe Octobri auditus eſt. Cumque ſequenti anno 811. Nicephorus Imp. periiſſet, pacis fœdera inter utrumque Imperium uſque ad annum 812. dilata ſunt, quo eadem inter Carolum, & Michaelem Nicephori ſucceſſorem firmata eſt, eoqne anno ſicuti Nicephoro promiſerat, Michaeli Venetiam reddidit, ideſt loca circa Venetiam a Pippino occupata: Metamaucum ſcilicet Equilium, & Heracliam, aliaſque minores inſulas, atque inter pacis conditiones, tributum Italiæ Regibus a Venetis tunc promiſſum fuiſſe narrat Porphirogeneta lib. de administratione Imperii cap. 28. De Nicephori legatione ad Carolum, ſeu potius ad Pippinum agit Carolus in epiſtola ad eumdem Imperatorem, quæ inter Alcuini epiſtolas legitur tom. 2. part. 2. pag. 560. integramque exhibet Baronius an. 810. num. 19., eaque de bina legatione miſſa pro pace firmanda gratias agit, ac legatos ſuos ad eum miſiſſe ait. *Legatos noſtros præparavimus ad tuam amabilem fraternitatem dirigendos*. Quam pacem cum Michaele Nicephori ſucceſſore firmavit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Pippini Italiæ Regis obitus, & ſepultura.

2. Inter hæc Pippinus Italiæ Rex, cum Regnum a patre ſibi commiſſum per annos 30. circiter in ſumma pace adminiſtraſſet, cujus etiam limites ampliaverat, hoc anno ætatis ſuæ 33. vel 34., octavo idus Julias vivere deſiit, ait Eginhardus cum ceteris ſcriptoribus, ſuperſtites vero reliquit Pippinus, ut idem auctor adnotat. *Unum filium ſuum Bernardum, filias autem quinque Adelaidem, Atalam, Gumdradam, Bertraidem, & Thetradam, in quibus Rex*, ideſt Carolus, *pietatis ſuæ præcipuum documentum oſtendit, cum filio defuncto nepotem patri ſuccedere, & neptes inter filias ſuas educari feciſſet*. Bernardus Italicum Regnum ab Avo obtinuit, ut anno 813. dicturi ſumus. Mediolani autem obiit Pippinus, indeque ejus cadaver Veronam translatum, in ſepulchro Longobardorum Regum, & in eccleſia S. Zenonis, quam idem Rex reſtauraverat, ac exornaverat, ſepultum eſt, ut ex inſcriptione, poſt Ughellum, ab Mabillonio, & Maffejo relata conſtat. Atque ex Veronenſi Rithmo, & hiſtoria translationis reliquiarum S. Zenonis ab Rotrado Epiſcopo facta, tempore Pippini Regis, eum præ omnibus Italiæ urbibus, ad habitandum Veronam elegiſſe ſcimus,

In

Digitized by Google

in ea quippe inter cetera hæc leguntur. *Quam Rotaldus vir attributis perſonæ præſtantiſſimus, paſtoralem curam Veronæ gerebat. Rex vero Veronam regali ſitu præditam, plus ceteris urbibus diligebat, & eum Epiſcopo ſibi dilecto frequens colloquium habebat.*

Rotrudis Caroli filiæ obitus.

3. Eodem anno, quo Pippinus obiit, ejuſdem ſoror Rotrudis, inter Caroli filias major, quæ Conſtantino Imp. olim deſponſata, ad ejus nuptias non pervenerat, ut ſupra diximus, hoc anno inquam *Octavo Idus Januarii*, ſeu potius, ut adnotat Manſius, octavo idus Junii obiit. Hæc autem etſi nupta non fuerit, filium nihilominus Ludovicum nomine poſt ſe reliquit, ut in annalibus Bertinianis ad annum 867. legitur, quæ quidem etſi pater ejus Carolus ignorare non poterat, vix tamen ſollicitum fuiſſe indicat Eginhardus, ejuſque aliarumque filiarum ſuarum illicitis amoribus cauſam dediſſe adnotat, cum eas nuptui non tradiderit, quas ſecum ſemper etiam in bellicis duceret expeditionibus, hinc dum hoſtes in prœliis Carolus vincebat, ab Amaſiis ejuſdem filiæ vincebantur. *Quæ cum pulcherrimæ eſſent*, ait idem auctor, *& ab eo plurimum diligerentur, mirum, quod nullam earum cuiquam, aut ſuorum, aut extraneorum nuptum dare voluit, ſed omnes ſecum uſque ad obitum ſuum in domo ſua retinuit, dicens, ſe earum contubernio carere non poſſe.* Hinc non mirum eas maritos ſibi, ſeu potius ſtrupratores elegiſſe, non ſine aliquali Caroli ignominia.

Seraceni Corſicam depredantur.

4. Dum menſe Octobri Aquiſgrani hoc anno eſſet Carolus, ubi Nicephori Imp. legatos exceperat. *Amaroz Cæſar Auguſtæ Prefectus*, ait Eginhardus, *poſtquam Imperatoris legati ad eum pervenerunt, petiit, ut colloquium fieret inter ipſum, & Hiſpaniei littoris cuſtodes, promittens ſe in eo colloquio cum ſuis omnibus in Imperatoris ditionem eſſe venturum. Quibus licet Imperator, ut fieret annuiſſet, multis intervenientibus cauſis remanſit infectum.* Harum præcipua fuit, quod Alachan Rex Cordubenſis, Amaroz audita rebellione, qua Carolo CæſarAuguſtam tradere meditabatur, miſſo filio ſuo Abdiramne, eumdem inde ejecit, *Amoroz ab Abdirama filio Abuzalis, de CæſarAuguſta expulſus, & Oſſam intrare compulſus eſt*, ait Eginhardus, qui de Maurorum incurſionibus addit. *Mauri de tota Hiſpania maxima claſſe comparata, primo Sardiniam, deinde Corſicam appulerunt, nul-*

JESU CHR. AN. 810.

lo in ea invento præſidio, inſulam pene totam ſubegerunt.

Godefridus Danorum Rex occiditur.

5. Feliciori exitu Danicum bellum, anno 808. incœptum, hoc tandem perfecit Carolus, cujus res geſtas his verbis narrat Eginhardus. *Imperator Aquiſgrani adhuc agens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit Claſſem ducentarum navium de Nortmannia in Friſiam apulſam: totaſque Friſiaco littori adjacentes inſulas eſſe vaſtatas: jamque exercitum illum, incontinenti eſſe: ternaque prælia cum Friſionibus commiſiſſe, Danoſque victores tributum victis impoſuiſſe, & vectigalis nomine centum libras argenti a Friſonibus jam eſſe ſolutas: Regem vero Godefridum domi eſſe: & revera ita erat. Qui nuncius Imperatorem adeo concitavit, ut miſſis in omnes circumquaque Regiones, ad congregandum exercitum, nunciis, ipſe ſine mora Palatio exiens, primum quidem Claſſi occurrere, deinde tranſmiſſo Rheno flumine, in loco qui Lippia vocatur, copias, quæ nondum convenerant, ſtatuit operiri. Ubi dum aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei Aaron Rex Seracenorum miſerat, ſubita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram fluvium contendit: caſtriſque juxta confluentem ejus, qua Viſuræ flumini conjungitur, poſitis, in vanum Godefridi Regis præſtolatur adventum. Nam Rex ille vaniſſimæ ſpe victoriæ inflatus, acies ſecum Imperatore congredi velle jactabat. Sed dum Imperator in memorato loco ſtativa haberet, diverſarum rerum nuncii ad eum deferuntur. Nam & claſſem, quæ Friſiam vaſtabat, domum regreſſam: & Godefridum Regem a quodam ſuo ſatellite interfectum, Caſtellum vocabulo* Hocbuoki, *Albiæ flumini appoſitum, in quo Odo Legatus Imperatoris & Orientalium Saxonum erat, a Vultzis captum &c. Quibus ille acceptis, diſpoſita pro tempore conditione Saxoniæ, domum revertitur. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris ejus, in Regnum ſucceſſit, & pacem cum Imperatore fecit.* Idem habent Regino, monachus Engoliſmenſis, aliique Annaliſtæ.

Fabula de pulvere ſparſo ad interficiendos boves.

6. Victoriæ fructum, & lætitiam, ingens calamitas, quæ Caroli Imperium invaſit, abſtulit, bovum ſcilicet mortalitas, de qua poſtquam Eginhardus in annalibus de expeditione adverſus Lodefridum Danorum Regem ſuſcepta, egit, hæc addit. *Tanta fuit in ea expeditione bo-*

vum

Digitized by Google

vum peſtilentia, ut pene nullus ex toto exercitu ſupereſſet, quin omnes uſque ad unum interirent, & non ſolum ibi, ſed ut ſuper omnes Imperatori ſubjectas provincias illius generis animalium mortalitas immaniſſime graſſata eſt. Cum nondum didiciſſent, ait Muratorius hoc anno, unicum iis malis remedium eſſe omnimodam ſeparationem eorum, qui ſani ſunt ab iis, qui tabe, maloque infecti erant. Nec ibi calamitas ſtetit, ſed ex bobus, ad homines mortalitas translata eſt, non quod lues ex bobus ad homines tranſiiſſet, ſed ex falſa opinione tunc vulgata, quod homines a Beneventano Duce immiſſi, ſparſo per campos pulvere venefico, bovum interitum procuraſſent. Unde rudes homines, ni dicam fatui, ob conceptum ex bovum jactura dolorem, in quemcumque vel leviter ſuſpectum, aut ejuſdem criminis falſo inſimulatum, nullo adhibito examine irruebant, ac interficiebant, unde inter capitularia a Carolo hoc anno edita, hæc leguntur. *De tribulatione generali, quam patimur omnes, ideſt de mortalitate animalium, & ceteris plagis*, & iterum. *De homicidijs factis anno præſenti inter vulgares homines, quæ propter pulverem mortalem acta ſunt.*

Agobardus hominum ſtultitiam redarguit.

7. Tot hominum cœdes, ex præjudicata opinione patratas, quin ex tanta agreſtium virorum inſcitia, deploravit Agobardus coevus ſcriptor, & Lugdunenſis Epiſcopus, his verbis. *Ante hos paucos annos diſſeminata eſt quædam ſtultitia, cum eſſet mortalitas boum, ut dicerent Grimoaldum Ducem Beneventanorum tranſmiſiſſe homines cum pulveribus, quos ſpargerent per campos, & montes, prata, & fontes, eo quod eſſet inimicus Chriſtianiſſimo Imperatori Carolo, & de ipſo ſparſo pulvere mori boves. Propter quam cauſam multos comprehenſos audivimus, & vidimus, & aliquos occiſos, pleroſque autem affixos tabulis in flumen projectos atque necatos. Et, quod mirum valde eſt, comprehenſi, ipſi adverſum ſe dicebant teſtimonium habere ſe talem pulverem & ſpargere.* Et infra: *nec rationabiliter penſabant unde fieri poſſet talis pulvis de quo ſoli boves morerentur, non cetera animalia.* Hinc addit fieri non potuiſſe, ut ſi tota Beneventana gens cum fœminis, & pueris in Gallias tranſiiſſent, tantam venenatæ pulveris copiam, ferre potuiſſent, ut qua late patebat Caroli Imperium, per omnes agros ſpargerent, ac tandem. *Tanta jam ſtultitia oppreſſit miſerum Mundum,*

Jesu Chr. an. 810.

ut nunc ſic abſurde res credantur a chriſtianis, quales numquam antea ad credendum poterat quiſque ſuadere Paganis, creatorem omnium ignorantibus. Hanc itaque rem propterea ad medium deduximus, quia huic unde loquimur, ſimilis eſt, & exemplum poterat de inani ſeductione, & vera ſenſus diminutione. Hactenus de his Agobardus.

Nicephorus Imp. Manicheis, favet, ejus ſcelera.

8. Nicephorus interea Imperator, ſceleribus ſcelera addens, eo veſaniæ devenerat, ut chriſtianæ religionis larvam deponens, Epiſcopos, ceteroſque eccleſiæ miniſtros, aut monachos, militibus, tamquam ſervos, ſubderet, ac fidei dogmata ſpernens, omnem quoque eccleſiaſticam diſciplinam conculcans, Manichæis aperte favebat, ita ut Manichæus haberetur. De quibus hæc Theophanes ad hunc annum *Manicheorum: quos nunc Paulicianos dicimus, & Athinganorum ex Phrygia & Lycaonia juxta patriam ſuam erumpentium amicus totus eorum cupidine flagrans extitit, ac eorum vaticiniis & ſuperſtitionibus omnino deditus: iis enim accitis, cum Bardanius Patricius ſeditionem movit, eorum præſtigiis uſus, hominem in ſe rebellantem proſtravit. Taurum ſiquidem in foveam demiſſum, & in terram capite proclivem, cornibus ad palum ferreum alligatis, eo pacto mugientem, & in luto volutatem ſe occidi paravit: ejuſdemque Bardanii veſte ſub mola in retroactum gyrum contorta conteri præcipiens: ac ſimul incantamenta efficiens, Deo ita permittente, ob innumerum peccatorum noſtrorum numerum, victoriam retulit. Quamobrem ſub ejus Imperio Manichæis iſtis libere cum aliis vivendi & civitatis jure citra metum utendi facultas data: ex quo multos levioris ingenii homines nefariis eorum opinionibus depravari contigit: Fuit tum in Hexacionio Nicolaus quidam, Eremitæ nomen falſò ſibi arrogans, & quidam ejuſdem vitæ participes, adverſus rectam fidem, & venerandas imagines blaſphemias evomere aſſueti. Iſtos ſibi devincire, Pontificem vero Nicephorum, reliquoſque vitam ſuam ad Dei placitam comformantes, affligere ſtudebat &c.*

Nichephorus Imp. in Deum impius, Epiſcopos, Clericoſque militibus ſubjicit.

9. His nequiora addit, nam adeo uſque divinorum mandatorum inimicus erat, ait idem auctor. *Ut Militares proceres Epiſcopis, & clericis berili jure Epiſcopatibus, & Monaſteriis abductis, in ſervorum modum uti, eorumque bonis abuti juſſit. Eos inſuper, qui ab antiquo aurea, vel argentea*

Google

Jesu Chr. an. 810.

tea quæque vaſa Deo devota conſecraſſent, ipſe vituperiis inceſſebat, & quæ nunc poſſideret eccleſia, communibus uſibus deputanda, pro ut Judas Dominicum unguentum deblaterabat &c. Hæc, & alia de Nicephori ſceleribus, Theophanes, quibus cum facinorum ſuorum menſuram inpleſſet, anno ſequenti, Deo vindice pœnas tandem debitas dedit, ut ibidem dicturi ſumus.

Sergius instaurator hæresis Manicheorum, ejus gesta.

10. Nunc quoniam innovatam hæreſim Manichæorum, rurſum in Oriente ſub Conſtantino Heraclii nepote, ſuperius pro ratione temporum proſequti ſumus ex Luca Siculo, qui floruit ſub Baſilio, & filio Imperatoribus, qui de his ſcripſit hiſtoriam ad Archiepiſcopum Bulgarorum, nunc reliqua proſequimur, quæ hoc tempore ab iis neſarie facta ſunt, ideſt ab Irenes Imperio ad Michaelem Nicephori ſucceſſorem per annos tredecim, ac primum de Sergio ejuſdem hæreſis inſtauratore hæc adnotat. *Nec longum*, inquit, *tempus abiit, cum exortus eſt alter veritatis inimicus ex locis Tiliæ civitatis vicinis. Eſt enim in illo tractu Arnia dictus, in eoque vico Drinus quidam tunc erat, cujus filius fuit Sergius, ille diaboli maximus propugnator Sergius, qui multos ex ovibus lupos fecit, & per eos Chriſti ovilia diſſipavit &c.* Cumque multa in ejuſdem deteſtationem addidiſſet, eum juvenilibus adhuc annis, ab fæmina Manichæa ſeductum fuiſſe narrat. *Tum vero præclara exitii magiſtra, cujus os ſepulchri patentis inſtar erat, aperte auſa eſt adverſus Sanctos debacchari*, de Sergii autem ſuperbia, ceteriſque ſceleribus addit.

Sergii nefanda opera.

11. *Edoctus ergo ab exitioſa fæmina diaboli propugnator Sergius, cum hæreſim altius imbibiſſet, crederetque omnes homines, qui ſinceram & illibatam Chriſtianorum Fidem noſtram ac pietatem colunt, in pernicie verſari, zelo ſatanico inſurgit, & novus præco fit erroris, cognomentumque aſſumens Tychici, cujus nomen eſt celebre in epiſtolis Pauli, diſcipulum ſe in vulgo jactavit, & ab eo miſſum ad prædicandum non Dei verbum, ſed hæreſim pernicioſam. Itaque civitates ſingulas, regioneſque in quibus Apoſtolus veritatis verbum ante octingentos plus minus annos promulgarat, impigre circumcurſans, multos ab Orthodoxa Fide avertit, & diabolo adjunxit. Quod ipſemet in quadam epiſtola gloriatur his verbis: ab Oriente (inquit) uſque ad Occa-*

ſum

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 810. *ſum, a Borea ad Auſtrum cucurri nuntians Evangelium Chriſti, genibus meis laborans. Triginta enim & quatuor annorum ſpatio, ab Irenæ Auguſtæ Imperio uſque ad Theophilum Imperatorem perſiſtens, conſlavit illam, quæ etiamnum obtinet, defectionem, quam Paulus Apoſtolus Theſſalonicenſibus prædixerat; quaque iſte magnam Chriſti Eccleſiæ partem graviter afflixit. Alios ſiquidem hujuſce vitæ commodis & facultatibus privavit, ſive illos ſpolians bonis, & ante diem perimens, alios etiam æterna ſpe ac jure dejecit, dum nefariis ejus ritibus obſequuntur, multos ille conjuges diſſocians, eorum thoros diſcipulis ſuis coinquinandos objecit: multos infantes ab uberibus matris rapiens per diſcipulos ſuos partim occidit, partim a genitoribus, Deoque vivente, qui ſuo eos ſanguine redemit, abducens, vendidit Agarenis: formoſos adoleſcentes, adoleſcentulas unigenitas a parentibus ſejungens, barbarorum addixit ſervituti: multos fratres, & ſorores, conſanguineoſque, & amicos ſeparans, propriiſque ſedibus exturbans, in remotas oras ablegavit; quorum gemitus & lamenta cæli ad uſque fornices penetrarunt: monachos complures, ac moniales, quæ virginitatem ſuam Chriſto devoverant, per diſcipulos ſuos corrupit, & a monaſtica vita revocans, a Deo ſimul alienavit. Multos denique ſacerdotes & levitas ab Orthodoxa religione avellens, & ex ovibus lupos faciens, hominivoros eſſe docuit. Multos in vinculis & cuſtodiis mori coegit: alios inopes reddidit ex opulentis. Et nunc tantorum malorum auctor & artifex adorandus ſcilicet erit ut Paracletus; ejus namque diſcipuli, cum in ejus nomine vota concipiunt precari ſic ſolent.... Spiritus ſancti miſerebitur noſtri.* Hæc, & alia plurima ibidem in Sicophantæ deteſtationem, ejuſdemque hæreſis confutationem, quæ apud Baronium, alibique videri poſſunt, ac tandem non aliam hanc, quam Manetis hæreſim fuiſſe concludit. *Nemo ſibi perſuadeat*, ait, *aliam hereſim fuiſſe, quam Sergius docuit ab ea, quam Manes invexit, una enim eademque fuit.* Quid autem Manichæis ſub Michaele Imp. acciderit, cum eos inquiri, & ſupplicio affici idem Imperator juſſit, non multo poſt dicturi ſumus.

JE-

JESU CHRISTI annus 811. Leonis 3. Papæ 17.
Caroli Imp. 12. Michaelis Curopalatæ Imp. 1.

1. Annus adeſt Jeſu Chriſti 811. qui ultionis etiam in Nicephorum dici poteſt, nam a Bulgaris occiſus, eccleſia, & Imperium priſtinam libertatem, ſecuritatemque recuperarunt. De ejuſdem interitu verba facturus Theophanes primum adnotat: Menſe Februario indict. quartæ, primo quadrageſimæ Sabbato, Saracenos obviam Leoni militum duci factos, ſtipendia militibus deſtinata tuliſſe. *Talenta*, (ſcilicet) *tredecim, libras mille, & tercentas*. Tot tamen ſignis *haud eruditus novus ille Achab*, ait, *Phalarim, & Midam divitiarum cupidine ſuperans adverſus Bulgaros una cum Stauracio filio exercitum parat, & menſis Maii die.... Imperante urbe profectus, Nicetæ Patricio, & Logothetæ mandavit, ut publicos eccleſiarum, & monaſteriorum cenſus augeret, & in octo ſequentes annos penſionem a Procerum dominibus exigeret &c.* Cumque fidelis quidam Nicephori famulus eidem dixiſſet, cunctos ubique ſubditos adverſus eum conqueri. Nicephorus Imp. reſpondit. *Deus, qui corda hominum indurat, meum pariter induravit, quid boni in ſubditos meos a Nicephoro profluere poteſt Theodoſii? nec præter ea, quæ experiris, aliud quidquam expectes. Iſta dominus novit. Iſta viva voce referentem Theodoſium audivi*, ait Theophanes, qui hoc tempore CPoli commorabatur geſtorum omnium fideliſſimus teſtis, ac ſcriptor.

Nicephorus Imp. nova tributa ab eccleſiis monaſteriiſque exigit.

2. Cumque exercitum collegiſſet, adverſus Bulgaros progreſſus, quem fruſtra Crumnus Bulgarorum dux de pace rogavit, menſis Julii die 20., Bulgariam ingreſſus, paulopoſt, Crumnum vicit, ejuſque aulam invaſit, eaque victoria crudeliter abutens. *Animalia ratione carentia, & ipſos infantes neci crudeliter tradi mandavit, & relictis civium ſuorum cadaveribus inſepultis, ſolum cogendorum ſpoliorum curam ſuſcepit. Clauſtris, & ſigillis Crumni, conclavia velut propria communiit, eorum qui prædam, attigiſſent, aures, & membra preſcidit. Crumni aulam ita dictam incendit. Is animo fractus demiſſis verbis*, Nicephoro ſignificat, Quoniam viciſti, tolle quod tibi placitum eſt; & diſcede cum pace. *Is pacis inimicus*, (Nicephorus) pacem non admiſit, quo Crumnus

Oblatam pacem rogatus Nicephorus recuſat.

JESU CHR. AN. 811.

nus exaſperatus, regionis aditus, & exitus ligneis ſeptis in modum muri communivit, ut ne progredi, neque ad propria regredi poſſet.

Nicephorus obtruncatur, ejusque exercitus deletur.

3. Duobus itaque diebus, feria nimirum quinta, & ſexta, ut ait Theophanes, muro ligneo circumſeptus cum exercitu Nicephorus, ut evadere non poſſet. *Nocte, quæ Sabbatum præceſſit, graves tumultus, & armatorum hominum motus circa Nicephorum, & ejus milites auditi, cunctorum animos in terrorem & anxietatem conjecerunt: mox ſub crepuſculum impetu facto in Nicephori, & Optimatum ejus tentoria, ipſos miſerabiliter obtruncarunt: inter quos Aetius Patricius, Petrus Patricius, Siſinnius Triphylius Patricius, Theodoſius Patricius, Salidaras dictus, qui multis ærumnis & malis illatis Beatam Irenem afflixit, Præfectus quoque etiam ipſe Patricius, Romanus Patricius, & Orientalium Dux, & alii plurimi Protoſpatharii, Spatharii, agminum Ductores, Excubitorum Domeſticus, exploratorum ſive Imperatoriæ vigiliæ Drungarius, Thraciæ Dux, multi præterea Thematum proceres & Officiales, cum innumera militum plebe, adeo ut Chriſtianorum decor omnis & ſplendor eo die proſtratus fuerit & omnino extinctus: Armaque pariter univerſa, & Imperatoris ſuppellex omnis perierit. In compoſitum ſane iſtius diei relatum, ceu qui luctum & querelas omnes exuperet, abſit ut Chriſtiani iterum alibi oculis proſpiciant. Contingerunt iſta menſis Julii die vigeſimo quinto, indictione quarta. Crummus autem amputatum Nicephori caput, adventantibus ad ſe variis nationibus oſtentandum per dies multos in Romanorum dedecus & vituperium in ligno ſuſpendit, indeque demiſſum Carnibur nudatum, & argento tectum compotaturis Sclavinorum Principibus in poculum gloriabundus efformavit.* Cædis ejus modus, nullus ex his, qui prœlio ſupererant, enarrare potuit. Filius ejus Stauracius læthali accepto vulnere vix ſalvus, & vivus Adrianopolim pervenit. Hucuſque de miſerando, ſed digno, meritoque caſu hominis, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.

Stauracius, & Michael de Imperio contendunt.

4. Nicephoro extincto, Stephanus Patricius, & Scholarum domeſticus, Theodicto Magiſtro præſente *Stauracium Nicephori filium, Imperatorem declaravit*. Michaelis autem ami-

amici, qui Nicephori filiam Procopiam uxorem duxerat, ut Imperatorem ſe ſalutari permitteret, rogabant, quod ille ob ſacramentum Stauracio præſtitum recuſavit. At dum hæc agerentur, inſidiaſque Michaeli pararet Stauracius, ut eum domo ſua eductum cum uxore interficeret, circa menſis Septembris exitum indictione quinta, Nicephorus Patriarcha, & Theotictus Magiſter, & Michael Curopalates, ut ſibi conſulerent, in unum ſociati ſunt. Cumque die prima Octobris Theoctiſtum Magiſtrum militum Stauracius qua ratione Michaelem aggredi poſſet, interrogaſſet, atque is de hac re ſollicitus eundem admonuiſſet, eadem nocte collectis exercitus reliquiis, *Eorum duces Michaelem renunciaturos Imperatorem, in Hypodromo convocavit. Senatus inſuper Palatium diluculo conveniens, Imperii poteſtatem ei committendam decrevit*. Eumdemque, accepta prius de fide catholica tuenda, cautione. *Menſis Octobris die 2. indict. quinta, feria hebdomadis quinta, hora prima Michael piiſſimus Curopalates a Senatu, & militaribus ordinibus in Hipodromo Imperator ſalutatur, Quarta vero diei hora in Ambone magnæ eccleſiæ a Nicephoro Patriarcha Michael coronatus eſt, cum maximo civitatis totius tripudio*, ait Theophanes, qui ſubdit. *Menſis ſubinde ejuſdem die duodecimo Procopia Auguſtæ nomen cum corona accepit in Auguſtei triclinio*. Ac in inauguratione ſua, munera Patriarchæ, clero, populo, & militibus ampliſſima diſtribuiſſe addit. Dumque hæc agerentur Stauracius Nicephori filius, paterno Imperio excluſus, *Detonſis illico capillis monaſticum habitum, Simeone monacho ejus conſanguineo illum conferente, induit*, & Patriarchæ Nicephori opem inploravit, qui officio ſuo non defuit, ac ne quid deterius pateretur, a Michaele obtinuit; quin Stauracii conjugem *Theophanonem in monaſterium retruſam facultatibus auxit, ejus quoque conſanguineos ſub Nicephoro miſere viventes ditavit, eiſque inter alia inſignem domum, quæ Hebraica noncupabatur conceſſit in monaſterium, in quo ſepultus eſt Stauracius*, ait Theophanes, qui ſubdit, eumdem Stauracium menſis Januarii die undecima anni ſequentis, ob lœthale vulnus in acie aceeptum, diem ultimum obiiſſe. Res CPoli hoc anno geſtas fuſiori ſtylo proſequitur Theophanes, multa in Nicephori deteſtationem cujus interitum ab Theodoro Studita prædictum fuiſſe adnotat, in

Jesu Chr. an. 811.

ejus vita narrat Michael. Ex his vero, qui a Bulgaris tunc capti fuerant, quamplurimos martyrii coronam adeptos fuiſſe, narrant eccleſiaſticæ tabulæ, qui mori magis elegerunt, quam chriſtianæ religionis deſertores fieri, ut ibidem videre eſt.

Michaelis Imp. elogium pacem eccleſiæ reddidit; exules revocat.

5. De Michaelis autem Imperatoris geſtis verba facturus Theophanes, hæc de ejuſdem laudibus præfatur. *Ad innumeras autem ejus virtutes, & probos mores acceſſit, quod cum pietate & recta in Deum fide excelleret, eorum, qui ſe quocumque prætextu, ſive legitimo, ſive perverſo, Eccleſiæ cœtu ſejunxerant, ærumna graviter offenderetur. Quapropter ſanctiſſimum Patriarcham, ceteroſque omnes, qui pacis commune bonum promovere poterant, aſſiduis precibus & hortatibus interpellere non deſiſtebat: præ ceteris vero Theodorum Studii præpoſitum, & Platonem, & Joſephum Theſſalonicæ Archiepiſcopum Theodori fratrem arctiori cuſtodia mancipatos, una cum Studitarum Monaſterii primoribus, ad concordiam & unitatem revocare ſtudebat: quæ res ei feliciter ſucceſſit.*

Qua ratione Theodorus, Plato, aliique cum Patriarcha reconciliati fuerint.

6. Qua autem ratione ab Patriarcha ſatisfactionem acceperunt ſanctiſſimi monachi, victaſque tandem manus dederint, ac in ejuſdem, & eccleſiæ CPolitanæ communionem redierint, in vita Platonis narrat Theodorus Studita, his verbis. *Itaque ſanctiſſimus Patriarcha ſe purgavit, quod quæcumque acciderant Imperatoris violentia facta fuiſſent. Tunc igitur una convenerunt, & viciſſim ſibi ſatisfecerunt.* Deinde *quantum ad nos pertinebat, ea, quæ facta fuerant, prætermittentes &c, Immo vero perfecta earum rerum examinatione in futuro illo ſeculo illi juſto, atque incorrupto judici reſervata.* Dum ſcilicet ad eccleſiæ communionem Joſephum Presbyterum, nuptiarum Conſtantini conciliatorem Nicephorus Patriarcha admiſerat, quod cum ſe invitum feciſſe, & ob Imperatoris violentiam ſibi illatam confeſſus fuiſſet, cum eo reconciliati, e carceribus dimiſſi, ad eccleſiæ communionem redierunt.

Theodosi epis. 56. ad Antonium Abbatem pag. 366.

7. Qua ſatisfactione accepta Theodorus & Plato Patriarchæ ſuo jam reconciliati, ut eamdem ceteri monachorum Patres, qui in carceribus adhuc detinebantur, ſatisfactionem admitterent, ac in Patriarchæ communionem tranſirent, hortati ſunt, cujus rei teſtis eſt epiſtola Theodori ad Antonium Abbatem, ceteroſque monachos, qui cum

eo

eo erant, eaque ſe quammaxime de eorum tribulationibus in carcere toleratis, doluiſſe narrat. *Cum epiſtolas veſtras*, ait, *magno enim animi angore & afflictione ad nos ſcriptas a paterna ſanctitate veſtra accepiſſemus, quantoper ingemuerimus quid dicere attinet, fraternis viſceribus commoti, tametſi indigni ſimus, ex parili mœrore dolorem veſtrum æſtimantes, atque una ſuſtinentes. Nec enim aliis licet moleſtias æſtimare quam iis, qui conſimili affectu iiſdem moleſtiis anguntur &c.* Dum eadem, & fortaſſe graviora idem paſſus fuerat, hæc nihilominus, utpote pro pietate tolerata, gaudii magis, quam luctus cauſam adferre adnotat, ac ut oblatam reconciliationis cum Patriarcha conditionem acciperent, his verbis hortatur. *Vos vero fratres chariſſimi, ac Patres reverendiſſimi gaudete & exultate, quoniam divinæ beatitudinis gloriam reportaſtis, & Chriſti opprobria glorioſe ſuſcepiſtis, exiguis laboribus & ærumnis maxima & ſempiterna præmia conſequentes. Et quoniam, ut jam ſcripſimus, optimi Dei beneficio e medio ſublatus eſt, cujus cauſa diſſidium in Eccleſia noſtra extitit: victrix pax obtinuit nutu & auctoritate & benignitate, addam, & hortatu Triumphatorum, Criſtique amantium Imperatorum noſtrorum, nec non opera & defenſione ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri (ſic enim deinceps appellare oportet) ſuſcipiat & ſanctitas veſtra, quæ a nobis humilibus multa cum ſpeculatione & inveſtigatione, paternarumque actionum contemplatione, ac ſcandalorum quoque quæ in Eccleſia interdum contigerunt, dijudicata & approbata fuerunt.* Hæc, & alia ad Antonium Theodorus Studita de pace ſuſcipienda, atque concordia ineunda.

Michaelis Imp. legatio ad Carolum Theophilactus Imp. filius coronatur.

8. Reddita jam eccleſiæ Orientali pace, ac confeſſoribus e carcere eductis, ac ſuis monaſteriis reſtitutis, ut in Imperio quoque pax vigeret. *Legatos ad Carolum Francorum Regem deſtinavit, qui de pace, atque matrimonio cum Theophilacto ejus filio ineundo tractarent, ſed & Nicephorus ſanctiſſimus Patriarcha ad Leonem ſanctiſſimum Romæ Papam ſynodicas litteras tranſmiſit, ad hoc enim uſque tempus a Nicephoro Imp. prohibitus fuerut, quominus id præſtaret.* De legatione ad Carolum M. ab Michaele Imp. miſſa, ac de ſynodica Nicephori Patriarchæ epiſtola ad Leonem Papam anno ſequenti, quo tum epiſtola, cum legatio accepta eſt, ſermo fiet, nunc quæ ad anni finem CPoli contige-

Jesu Chr. an. 811. tigerunt, addimus, cum Theophilactus Michaelis filius, in Imperii ſocietatem a patre cooptatus eſt, & Imperiali corona auctus. *Menſis porro Decembris die* 25., ait idem auctor, *feria hebdomadis quinta, Michael ſereniſſimus Imperator filium ſuum Nicephori Patriarchæ opera, in magnæ eccleſiæ ambone Imperatorem coronavit, tam vero ſanctum altare opulentiſſime exornavit vaſis aureis gemmatiſque, & velis quadrangulis ad antiquam formam ex auro, & purpura ſplendida contextis, ſanctiſque imaginibus manus optimæ diſtinctis. Ad hæc Patriarchæ, & venerabili clero ſanctum Dei feſtum, & filii deſignationem exhilaratus centum libras contulit*. Hactenus de Michaelis Imp. geſtis hoc anno cujus initia fauſta feliciaque eccleſiæ, & Imperio fuere.

De Joannis Scylizæ ſeu Curopalatis historia. 9. Ab hujus Michaelis Imperio Joannes Curopalates ſeculi 12.Scriptor,ait Pagius, hiſtoriam ſuam auſpicatus eſt, Fuit hic, Joannes Scylitza dictus, natione Thraceſius ex Aſia minore ſcilicet, ad mare Ægeum, priuſquam *Joannes Scylitza* ad dignitatem Curopolatæ perveniret, variis aliis officiis gradatim functus eſt, inter quæ fuerunt *Protoveſtiariatus*, ideſt Præfectura Veſtiari Imperialis, & *magnus Drungariatus Vigiliæ*, ſive Præfectura Excubiarum. Cum Protoveſtiarius adhuc eſſet, ſcripſit Epitomen Hiſtoriarum *ab obitu Imp.* Nicephori, hoc eſt ab hoc anno, uſque ad initium *Imperii Iſaaci Comneni*, qui Michaeli Stratiotico anno 1057. ſucceſſit. Hanc primam Scylitzæ editionem in ſuam Hiſtoriarum Synopſim Georgius Cedrenus verbatim tranſcripſit, fatetur hoc ipſemet Cedrenus in ſua Præfatione, ubi refert, ſe primam Synopſeos ſuæ partem uſque ad *Imp. Maximianum*, & *Maximinum* deductam ex Georgio Syncello tranſcripſiſſe, ſecundam uſque ad Nicephorum Imp. ex Theophane, tertiam denique uſque ad *Iſaacium Comnenum* ex Joanne Protoveſtiario cognomine Thraceſio, qui, ut Allatius in Diatriba de Georgiis. Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis cap. 26. Lambecius lib. 2. Biblioteh. Cæſ. cap. 7. aliique Viri doctiſſimi affirmant, idem eſt ac *Joannes Scylytza*. Ceterum cum Joannes ex Protoveſtiario & Magno Drungario evaſiſſet Curopalata, publicavit ſecundam Compendii ſui Hiſtorici editionem, hiſtoria ſuorum temporum auctam, *ab initio Imperii Iſaaci Comneni*, uſque ad initium *Imperii Alexii Comneni*, hoc eſt,

Digitized by Google

eſt, ab anno 1057. uſque ad annum 1081. quo Alexius Comnenus, abdicato Nicephoro Botoniata in Imperio ſucceſſit. Hujus ſecundæ, & a Cedreno non interpolatæ editionis MS. exemplar antiquiſſimum extare in Biblioth. Cæſarea teſtatur Lambecius loco laudato. Quoad *Leonem Grammaticum* Theophanis continuatorem, qui Baronii tempore ineditus erat, extat nunc inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ a Jacobo Goario e Græco in latinum verſus.

Caroli teſtamentum de rebus mobilibus.

10. Anno 806. inter filios Regna ſua diviſerat Carolus M. hoc autem anno, triennio antequam moreretur, de rebus mobilibus teſtamentum fecit, quas poſt obitum ſuum eccleſiis, pauperibuſque ſublevandis diſtribui juſſit. *Diviſionem theſaurorum, & pecuniæ, & veſtium, aliæque ſupellectiles coram amicis, & miniſtris ſuis, annis tribus antequam decederet fecit*, ait Eginhardus in ejus vita, *conteſtatus eos, ut poſt obitum ſuum facta diſtributio per illorum ſuffragium rata permaneret &c.* Hancque diviſionem anno Incarnationis 811. Regni ejus in Francia 43., in Italia 36. Imperiii vero undecimo, factam fuiſſe addit. Deinde. *Hac intentione atque propoſito*, ſubdit, *omnem ſubſtantiam atque ſupellectilem ſuam, quæ in auro, & argento gemmiſque, & ornatu regio, quæ (ut dictum eſt) illa die in camera ejus inveniri poterat, primo quidem trina diviſione partitus eſt; deinde eaſdem partes ſubdividendo, de duabus partibus viginti unas partes, fecit & tertiam integram reſervavit. Et duarum quidem partium in XXI. partes facta diviſio tali ratione conſiſtit. Ut quia in Regno illius Metropolitanæ civitates XXI. eſſe noſcuntur, unaquæque illarum partium ad unamquamque Metropolim per manus hæredum, & amicorum ſuorum eleemoſynæ nomine perveniat. Et Archiepiſcopus, qui tunc illius Eccleſiæ rector extiterit, partem, quæ ad ſuam Eccleſiam data eſt ſuſcipiens, cum ſuis ſuffraganeis partiatur, eo ſcilicet modo, ut pars tertia ſuæ Eccleſiæ ſit, duæ vero partes inter ſuffraganeos dividantur. Harum diviſionum, quæ ex duabus primis partibus factæ ſunt, & juxta Metropoliticarum civitatum numerum XXI. eſſe noſcuntur, unaquæque ab altera ſequeſtrata ſemotim in ſuo repoſitorio cum ſuperſcriptione civitatis ad quam perferenda erat, condita jacet. Nomina vero Metropoliticarum civitatum, ad quas eadem eleemoſina vel largitio data eſt, hæc ſunt: Ro-*

ma,

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 811. *ma*, *Ravenna*, *Mediolanum*, *Forumjulii*, *Gradus*, *Colonia*, *Maguntiacum*, *Vivanum quæ & Saltzburgum*, *Rotomagus*, *Treveri*, *Senones*, *Veſuntium*, *Lugdunum*; *Rheni*, *Arelatum*, *Vienna*, *Tarantaſia*, *Burdigala*, *Turones*, *Bituriges*. Quoad alteram partem, quam adhuc ſibi reſervaverat juſſit, ut poſt obitum ſuum, vel voluntariam rerum ſecularium abdicationem, voluit inquam, ut ea pars in quatuor partes divideretur, & una quidem earum ſupradictis vigintiuno partibus, Metropolitanis eccleſiis relictis, adderetur. *Altera a filiis, & filiabus, nepotibuſque atque neptibus ſuis aſſumpta & juncta ac rationabili inter eos partitione divideretur: Tertia vero conſueto Chriſtianitatis more, in uſum, pauperum erogaretur: Quarta ſimili modo nomine eleemoſynæ in ſervorum, & ancillarum uſibus palatii famulantium ſuſtentationem diſtributa veniret. Ad hanc tertiam totius ſummæ portionem, quæ ſimiliter ut cæteræ ex auro, & argento conſtat, adjungi voluit omnia ex ære, & ferro, aliiſque metallis, vaſa atque utenſilia, cum armis, & veſtibus, aliaque prætioſa, aut vili ad varios uſus facta ſupellectile, ut ſunt cortinæ, & ſtragula tapetes, fulcra, coria, ſagmata, & quicquid in camera atque veſtiario ejus eo die fuiſſet inventum, ut ex hoc majoris illius partis diviſiones fierent, & erogatio eleemoſinæ ad plures pervenire poſſet. Capellam, ideſt, Eccleſiaſticum miniſterium, tam id quod ipſe fecit, & congregavit, quam quod ei ex paterna hæreditate provenit, ut integrum eſſet, neque ulla diviſione ſcinderetur, ordinavit. Si quæ autem invenirentur aut vaſa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido conſtaret eidem capellæ ab eo collocata non fuiſſe: hæc qui habere vellet, dato juſtæ æſtimationis pretio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in Bibliotheca ſua copiam congregavit, ſtatuit, ut ab eis, qui eos habere vellent, juſto prætio redimerentur, prætium in pauperes erogaretur. Inter quos theſauros, atque pecuniam tres menſas argenteas, & unam auream præcipuæ magnitudinis & ponderis eſſe conſtat; de quibus ſtatuit atque decrevit, & una ex iis, quæ forma quadrangula deſcriptionem urbis CPolitanæ continet, inter cætera donaria, quæ ad hoc deputata ſunt, Romam ad baſilicam B. Petri Apoſtoli deferatur; & altera quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie inſignita eſt, Epiſcopo Ravennatis*

Digitized by Google

natis Eccleſiæ conferatur. Tertiam, quæ cæteris, & operis pulchritudine & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi deſcriptionem ſubtili ac minuta figuratione complectitur, & auream illam, quæ quarta eſſe dicta eſt, in tertiæ illius, & inter hæredes ſuos, atque in eleemoſynam dividendæ partis augmentum eſſe conſtituit. Hanc conſtitutionem atque ordinationem coram Epiſcopis, Abbatibus, Comitibuſque, qui tunc præſentes eſſe potuerunt, quorum hic nomina ſcripta ſunt: fecit atque conſtituit. Teſtameoto ſubſcripſere Archiepiſcopi ſeptem, ideſt Hildebaldus Colonienſis, Richulphus Mogontinus, Arno Salisburgenſis, Vulfarius Rhemenſis, Berninus Veſontienſis, Laidradus Lugdunenſis, Joannes Arelatenſis, ex Epiſcopis quatuor ſubſcripti leguntur, Theodulphus Aurelianenſis, Hetto Baſileenſis, & Valdgaudus Leodienſis, Abbates quoque quatuor cum Comitibus aliquot ſubſcripti leguntur, atque patris voluntati, Lodovicus, qui ſolus Patri ſuperſtes fuit, poſt ejus obitum ſumma fidelitate adimplere quam celerrime curavit, ait Eginhardus.

Carolus filius Car. natus major obiit.

11. Interea etſi inter tres filios Regna ſua vivens diſtribuiſſet Carolus M., unicum tamen hæredem Imperii ſui reliquit, ideſt Lodovicum, ſeu Hildovicum, nam biennio antea, Pippinus Italiæ. Rex diem obierat, ut anno 810. diximus. Hoc autem anno Carolus inter filios ejus natu major, e vivis quoque ereptus eſt, nulla ſuperſtite prole, atque an uxorem duxiſſet, ignoratur. *Carolus filius Domini Imp., qui major natu erat, pridie nonas Decemb. diem obiit, & Imperator Aquiſgrani hyemavit*, ait Eginhardus, cui ceteri conſentiunt annaliſtæ.

Carolus pacem cum Hemmingo danorum Rege firmat.

12. Cum Hemmingus Godefrido Danorum Regi ſucceſſiſſet, pacem Regni ſui initio cum Carolo iniit, quæ in armis tantum, ideſt in caſtris, tunc jurata fuit, eo quod *propter hyemis aſperitatem, inter partes commeandi viam claudebatur. Redeunte veris temperie*, ait Eginhardus hoc anno, *& apertis viis, quæ immanitate frigoris clauſæ fuerant, congredientibus ex utraque parte utriuſque gentis, Francorum ſcilicet, & Danorum duodecim primoribus ſuper fluvium Egidoram, datis utrinque ſecundum ritum, ac morem ſuum ſacramentis pacem firmarunt &c.* Quibus geſtis. *Imperator placito generali ſecundum conſuetudinem Aquis habito,*

in

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 811. *in tres partes Regni totidem exercitus miſit*, unum trans Albin in Helinones, alterum in Pannonias, tertium in Britones ad eorum perfidiam puniendam. *Qui omnes rebus proſpere geſtis* incolumes regreſſi ſunt, ait Eginhardus Caroli hoc anno geſta, referens.

De capitolarious Caroli hoc anno.

13. Generale placitum ſive conventum cum Regni ſui Epiſcopis, & Proceribus, hoc quoque anno Carolum M. celebraſſe, mox ex Eginhardo vidimus, illius autem duo extant capitularia hoc anno edita, variis capitibus diſtincta, quorum primo inquirendum monuit. Unde continuo inter ſe diſſiderent Epiſcopi, & Comites, ita *unus alteri adjutorium præſtare nolit*, *ſive in Marcha*, *ſive in exercitu*. Unde frequentiſſimæ contentiones, in quibus unus alteri quærit quidquid parem ſuum viderit poſſidere, eripere; aut alterius hominem ad ſe fugientem ſuſciperet de &c. Quare inquirendum eſt in quibus rebus, vel locis eccleſiaſtici laicis, aut laici eccleſiaſticis miniſterium ſuum impediant, aut qua ratione Epiſcopus, vel Abbas rebus ſecularibus ſe immiſceat, vel Comes eccleſiaſticis, ut opportuna iis diſſidiis medela afferri poſſet; deinde de moribus Epiſcoporum, & chriſtianorum inquiſitionem faciendam eſſe admonet, vel monachorum, & an præter Benedictinam regulam, alia admittenda eſſet. Eademque capitulari altero retractans, non ſolum in Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque ex clero mores, & vivendi rationem inquirendum eſſe admonet, ſed etiam quorumdam avaritiam frænandam eſſe jubet, qui etſi ſeculo renunciaſſe videantur, poſſeſſiones nihilominus ſuas augere ſtudebant, & religionis prætextu ſimpliciores, ut res ſuas eccleſiis donarent, hortabantur, aut ſanctorum martyrum reliquias, vel Confeſſorum de locum transferentes, novas baſilicas conſtruebant, ac *quoſcumque potuerint*, *ut res ſuas illuc tradant inſtantiſſime adhortantur*. Generatim vero chriſtianos admonendos eſſe jubet, ut renunciationibus in Baptiſmate factis ſatisfaciant, docendoſque, quid his Deo promiſerint, tum etiam quo canone vel regula ſtatutum ſit, ut invitus quis clericus, vel monachus fiat. Vel quæ regula monachorum in Galliis ante viguerit. *Cum legamus Sanctum Martinum & monachum fuiſſe*, *& ſub ſe monachos habuiſſe*, *qui multo ante Sanctum Benedictum fuit*. Hæc, & alia ibidem ad eccleſiaſticam, & monaſticam

cam diſciplinam reſtaurandam aptiſſima. Ad interrogationes vero Caroli juſſu Epiſcopis, Abbatibus, vel Comitibus faciendas, cum rediiſſent Regii miſſi, inter cetera retulerunt, quod Epiſcopi, & Comites, ſibi invicem ſæpe diſſidebant. *Eo quod Epiſcopi, Abbates, & eorum advocati poteſtatem non habent de eorum tonſis clericis, & reliquis hominibus, ſimiliter & Comites de eorum Pagenſibus non habeant poteſtatem. Quod pauperes ſe clamant expoliatos eſſe de eorum proprietate, & hoc æqualiter clamant ſuper Epiſcopos, & Abbates, & eorum advocatos, & ſuper Comites, & eorum Centenarios, dicunt etiam quod quicumque proprium ſuum,* ideſt res ſuas, *Epiſcopi, Abbati, vel Comiti, aut judici, vel Centenario dare noluerit, occaſiones quærunt ſuper illum pauperem, quomodo condemnare poſſint, & illum ſemper in hoſtem ire faciant, uſquedum pauper factus volens, nolens ſuum proprium tradat, aut vendat; alii vero, qui traditum habent abſque ullius inquietitudine domi reſideant &c.* Hæc, & alia ibidem, quæ exſcribere non juvat, hoc unum adnotamus, eo quoque tempore, etſi pro eccleſiaſtica diſciplina tuenda, morumque integritate promovenda ſollicitus eſſet Carolus Magnus, ex Epiſcoporum nihilominus, Procerumque avaritia, abuſus, corruptelæque morum vigebant, ita ut ſi eadem quolibet tempore graſſari videamus, non eſt ut quilibet miretur, quaſi tempora noſtra, tranſactis deteriora ſint.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

Adela Perſarum Rex munera Carolo Magno mittit. 372. 3.
Abderamus Seracenorum in Hiſpania Rex moritur, cui ſuccedit Iſan. 193. 8.
Adoſinda Silonis Vidua monaſticam vitam amplectitur. 114. 5.
Agobardus hominum ſtultitiam redarguit. 411. 7.
Alcuini genus. 99. 5. In Galliam vocatus. 101. 6. Caroli M. & filiorum præceptor. 102. 7. In Galliis litterarum inſtaurator. 103. 7. S. Scripturæ libros emendat. 104. 8. Egregia ejus in docendo opera. 107. 11. Clades a Danis in Anglia deplorat. 213. 7. De ejus geſtis & ſcriptis. 229. 16. Turonenſi monaſterio præficitur. 230. 17. Elipandi hæreſim confutat. *ibid.* Ejus epiſt. ad Offam Regem. 239. 5. Ejus prudens conſilium. 287. 8. epiſt. ad Leidradum Lugdunen. Epiſcopum 288. 9. Ad Monachos Lugdunen. 288. 10. Romam ire recuſat. 294. 6. Libros quatuor adverſus Elipandi epiſt. Laidrado mittit. 303. 14. Altera ejus Epiſtola ad eumdem. 304. 15. Obitus. 353. 7.
Aldagiſus Deſiderii Regis filius CPolim fugit. 54. 5.
Almanſor Seracenorum Calipha moritur. 64. 3.
Alphonſi Regis de Seracenis victoria. 211. 4. Ejus legatio ad Carolum Magnum. 286. 7.
Alrici Cantiæ Regis obitus. 236. 24.
Anſelmi Nonantulani Abbatis obitus. 349. 10.
De Archicapellani dignitate & officiis. 123. 9.
Arigis Beneventani Ducis obitus, & epitaphium. 166. 19.
Arno Salisburgen. Archiepiſcopus Pannoniæ gentes con-

vertit ad fidem. 346. 7.
Aron Seracenorum Calipha Legatos & Munera Carolo M. mittit. 316. 12. Ejus obitus, ei ſuccedit Amin. 381. 8.
Avares ſeu Hunni Chriſtianam fidem ſuſcipiunt. 255. 26.
Aurelius Froilæ in Hiſpaniæ Regno ſuccedit. 32. 13.
Aurelii Aſturiarum Regis obitus, ei Silo ſuccedit. 69. 10.
Auſperti Abbatis obitus, & opera. 86. 7.

B

De Baptiſmate ſub una, vel trina merſione conferendo. 288. 11.
Barcinone catholica religio reſtituitur. 328. 9.
Bardanes Imperator dictus. 342. 1.
Bellum adverſus Sclavos ab Irene geſtum. 97. 1. Seracenicum ab Carolo geſtum. 233. 20.
Benedictina regula in Galliarum monaſteriis recipitur. 339. 16.
Beneficiorum pluralitas prohibita. 163. 12.
Bertradæ Caroli, & Carlomanni mater, diſſidia inter eos componit. 22. 1. Ejus iter in Italiam, ut uxorem Carolo peteret. 24. 4.
Brithericus Occident. Saxonum Rex moritur, cui Egbertus ſuccedit. 341. 19.
Bulgaricum bellum inſtauratur. 62. 13. Ejuſdem belli infelix exitus. 405. 25.

C

Capitulare ſeu leges a Carolo M. pro Saxonis latæ. 276. 3.
Carolimanni obitus. 33. 2.
Caroli nuptiæ cum filia Deſiderii Regis. 28. 8. Deſiderii filiam repudiat. 32. 1. Bellum Saxonicum ſuſcipit. 41. 8. Urbes, Italiæ occupat. 48. 4. Romam pergit. 49. 1. Ejus pietatis indicia. 51. 2. Veterem donationem confirmat. 52. 2. Quouſque ejus donatio ſe extenderet. 52. 3. Ticinum expugnat, & Deſiderium captivum ducit, 53. 4. Synodum ſeu Conventum Duriæ celebrat. 64. 4. Et 82. 1. Iterum in Italiam tranſit. 69. 1. Vormatiæ conventum celebrat, 73. 5. Alia ejus geſta. 77. 3. Ejus expeditio in Hiſpaniam. 79. 1. Iterum in Saxones arma convertit. 80. 2. a Saxonum Duce idolatra admonitus. 83. 2. Capitulare alterum. 83. 3. Alia ab eo geſta. 88. 13. Ad Saxonum

num converſionem Epiſcopales ſedes erigit. 89. 4. Ejus in Urbem adventus. 94. 5. Saxones iterum rebellantes vincit. 98. 3. Viros doctos & litteras colit. 99. 5. In Eccleſiis & monaſteriis ſcholas aperit. 103. 7. Epiſcopos, alioſque ad ſtudia excitat. 105. 9. Ejus geſta in Saxones, & victoria Caroli junioris in Vexfalos. 108. 4. De ſubacta Saxonia Hadrianum certiorem reddit. 140. 13. Ejus expeditio in Brittones, & victoria. 150. 4. In eundem Carolum M. conjuratio detegitur. 150. 5. Ejus leges in Italia vulgatæ. 151. 6. Romam proficiſcitur, deinde Beneventum. 165. 17. Capuam & Beneventum Rom. Eccleſiæ donat, vel reſtituit. 166. 18. Cantores Romanos in Galliam ducit. 167. 20. Grammaticæ etiam magiſtros, & Rationarios 169. 21. Ejus epiſt. hortatoria ad Epiſcopos, & Abbates. 170. 22. Ejus Diploma pro Bremenſi Eccleſia. 171. 26. Ejus bellum & victoriæ cum Wilſis. 187. 1. Alia ejus geſta. 197. 5. De Avaris ſeu Hunnis victoria. 202. 2. Expeditio in Beneventanos. 210. 3. Synodum Francofordienſem convocat. 215. 2. Quid in ea geſtum. 217. 4. Ejus epiſt. ad Elipandum 219. 6. & 220. 7. Hadriani Papæ funus lacrymis, & eleemoſynis proſequitur. 237. 2. Et 238. 4. Ejus epiſt. ad Offam de victoria in Saxones & Longobardis. 240. 6. Et de presbytero quadrageſimæ violatore. 242. 7. Ejus munificentia per totum Orbem. 241. 8. Hunnos aggreditur. 254. 25. Ejus litteræ & munera Leoni miſſæ. 256. 2. Ejus epiſt. ad Engilbertum. 258. 3. Imperium in Urbe vel Rom. Ducatu non habuit. 261. 6. Ejus geſta in Hunnos, Saxones, & Saracenos. 267. 13. Victoria de Saxonis. 286. 6. De geſtis in Leonem Papam Alcuinum conſulit. 293. 5. Bello Hunnico finem imponit. 306. 17. Romam proficiſcitur. 311. 3. quomodo in Urbe exceptus fuerit. 311. 4. Imperator coronatur 313. 6. Juramentum Rom. Pontifici præſtat. 315. 9. Ejus dona Romæ & Eccleſiis facta *ibid.* ab Hieroſolym. reliquias accipit, ac munera miſit. 316. 11. Quid ei contulerit Imperialis dignitas. 318. 13. in Galliam redit. 320. 1. Ejus leges in

in Italia editæ. 323. 3. Ejus decretum pro Rom. Eccleſiæ dignitate. 325. 5. In Galliam redit, 326. 6. Barcinonam occupat, 327. 8. Ejus victoria in Ducatu Beneventano. 328. 10. Legatos CPolim ad Irenem mittit. 329. 1. Ejus Diplomata pro Eccleſiæ Aquilejen. 334. 10. Miſſos ſuos ad juſtitiam peragendam undique mittit. 336. 12. Synodum Univerſalem ex ſuo Regno congregat. 337. 14. Ortonam & Luceriam occupat. 341. 18. Conventum Moguntiæ celebrat. 343. 3. Alia geſta. 345. 6. Ejus privilegium pro Eccleſia Oſnabrugenſi. 353. 6. In Bohæmos arma convertit. 355. 1. Capitularia in villa Theodonis edita. 355. 2. Venetorum Legatos recipit, & dimittit, 360. 2. Regna ſua inter filios ſuos partitur. 361. 3. & 4. Alia Capitularia. 362. 5. Bella, & Victoriæ. 363. 6. Ejus epiſt. ad Pippinum. 373. 6. Bellum & Victoria de Rege Danorum. 381. 7. Ejus teſtamentum de rebus mobilibus. 421. 10. Ejus filius natu major obiit. 423. 11. De Capitularibus editis. 424. 13. Ejus geſta in bello Danico. 398. 12. Capitularia edita. 399. 16.

Concilium Aquiſgranenſe in quo Felix hæreſim ejurat. 299. 11.

Altinenſe a Paulino Aquilejen. Patriarcha celebratum 332. 7.

Ratiſponenſe adverſus Chorepiſcopos. 347. 8.

Cloveshæ in Anglia. 348. 9.

Conſpiratio in Nicephorum Imp. 375. 10.

Conſtantinus ex Irene naſcitur. 34. 4. A Leone Patre Imperio ſociatur. 74. 7. Legatio ap Hadrianum Papam. 127. 1. Epiſt. ad eumdem Papam. 128. 2. Ruptis cum Rotrude ſponſalibus Mariam uxorem ducit. 185. 9. Ejus diſſidia cum Irene matre. 194. 1. Matre dejecta ſolus imperat. 195. 2. Ejus infelix in Bulgaros expeditio. 202. 1. & 2. 204. 1. in Patruos ſuos ſœvit. 205. 2. Ejus expeditio contra Armeniæ milites. 209. 1. Incertæ ejus nuptiæ cum Theodote. 244. 13. matris juſſu obcæcatus obiit. 272. 1.

Corſica, & Thuſcia a Mauris depredata. 398. 13.

D.

Dani Angliam devaſtant. 212. 6.

Denarius in Galliis collectus. 353. 5.

Deſiderius Longobardorum Rex diſſidia inter Romanos excitat. 29. 9. Ejus legatio ad Hadrianum. 38. 6. Ejus excurſiones Romam uſque. 40. 7. Ejuſdem conatus adverſus Hadrianum Papam 46. 2. Leodium, deinde Lorbejam relegatur. 54. 6.

E

EAndulphus Rex a Leone Papa & Carolo in Regnum reſtituitur. 378. 5.
Elberti Eboracenſis Epiſcopi obitus. 90. 6.
Electio Rom. Pontificis libera. 58. 10.
Elipandiana hæreſis ex Neſtoriana progenita. 125. 11.
Elipantus hæreſis auctor. 126. 12.
Epiſcopis & Presbyteris ad bella ire prohibetur. 120. 6.
Ethelberti Regis Angliæ obitus, & pietas. 212. 5.
Ethelredus in Regno reſtitutus. 201. 12. Occiditur. 269. 15.
Eudoxia Imperatrix coronatur. filii ejus Cæſares dicti. 21. 9.

F

FAbula de pulvere ſparſo ad interficiendos boves. 410. 6.

Felicianæ hæreſis origo, & errores. 124. 10. Ex Neſtoriana progenita. 125. 11. Quamdiu, & quam late propagata ſit. 208. 7.
Felix, & Elipantus hæreſis auctores. 126. 12. hæreſim propagare ſtudent. 214. 1. Anathematis ſententia in eum lata. 299. 10. Ab Epiſcopatu depoſitus, Lugduno relegatur, ubi hæreticus obiit. 301. 12.
Fides Catolica & monaſtica profeſſio in libertatem vindicatur. 93. 3.
Finchallenſis, & Bacanceldenſis ſinodi in Anglia 279. 8.
Formula juramenti a quodam Epiſcopo Paulino facta. 335. 11.
Fortunatus Graden. Patriarcha pallium recipit, in Galliam tranſit. 331. 6. Ejus adventus ad Carolum. 345. 5.
Franci a Seracenis victi 210. 2.
Fulradi Abbatis obitus. 122. 8.
Fuſtradæ Caroli uxoris obitus & nuptiæ cum Luitgarda. 233. 19.

G

GEorgius Syncellus geographiam vulgat. 205. 3.
Geſta in cauſa occiſionis Ser-

Digitized by Google

gii. 38. 5.
Geſta inter Carolum, & Deſiderium Regem. 45. 1.
Godefridus Danorum Rex occiditur. 410. 5.
Græci a Francis, & Longobardis in Calabria victi. 183. 8.
Grimoaldus in Beneventanum Ducatum remiſſus. 180. 4. Ejus obitus. 364. 7.
S. Gummari obitus. 69. 9.

H

HAdrianus Papa creatur. Quis eſſet. 36. 3. Ejus legatio ad Carolum. 41. 7. Epiſt. ad eundem. 54. 7. Alia ad eundem contra Leonem Ravennat. Epiſc. 55. 8. Collectionem Canonum Carolo donat. 59. 11. Epiſt. ad Carolum, qua ut promiſſa impleat hortatur. 65. 5. Alia ad eundem de Archiepiſcopo Ravennat. 65. 6. & 66. 7. Aliæ ad Tilpinum Rhemenſem Epiſc. 67. 8. De ejus epiſtolis ad Carolum datis. 70. 2. Longobardorum Ducum conſilia Carolo detegit. 71. 4. De Caroli adventu in Italiam gratulatur. 72. 4. Ejus epiſt. ad Carolum. 74. 1. & 76. 2. Aliæ duæ epist. ad eumdem 81. 3. alia de Mauricio Epiſcopo obcæcato. 82. 4. Ejus epiſt. 64. ad Carolum. 87. 1. & 88. 2. ad eumdem pro Sabinenſi patrimonio accepto. 95. 6. & 69. 7. & 107. 12. Egilam laudat. ejuſque conſultationi reſpondet. 108. 13. De ejus ſententia circa prædeſtinationem. 109. 14. Iterum ad Egilam ſcribit. 106. 15. Ad Carolum M. 110. 16. & 112. 2. Patonem Abbatem commendat. 113. 3. Ad Carolum ſcribit in Cauſa Patonis. 116. 5. Monaſterium S. Hilari in Calligata Carolo commendat. 121. 7. Ad Imperatores ſcribit. 129. 3. Et ad Taraſium. 133. 5. Et ad Hiſpaniarum Epiſcopos. 145. 17. Ejus commonitorium ad eoſdem. 146. 18. Ejus epiſt. ad Carolum. 149. 19. Et 152. 7. Pallium Ermenberto Bituricenſi Epiſcopo concedit. 152. 8. Stannum & trabes a Carolo poſtulat. 153. 9. Taſſilonem cum Carolo reconciliare ſtudet. 170. 23. Ejus epiſt. ad Carolum M. 174. 28. Altera pro obtinendo Ducatu Beneventano. 174. 29. Altera ad Bertericum Viennen. Epiſcopum. 175. 30. Et de Arigiſi, & Aldagiſi conatibus. 176. 1. Conqueritur de legatis. 177. 2. Gratias agit de acceptis

ceptis beneficiis. 179. 3. De electione Epiſcopi Ravennatis. 190. 5. Conſtantinum, & Paulum falſo accuſatos fuiſſe ait. 192. 6. Offæ Anglorum Regis Legatos benigne ſuſcipit. 192. 7. Pro extirpandis abuſibus a Carolo opem poſtulat. 197. 6. Ut prohibeat illicitas monachorum nuptias, rogat. 198. 7. Altera ejus epiſt. ad Carolum. 199. 8. Epiſcoporum ordinationes prævio examine agendæ. 199. 9. Ejus ſollicitudo in ſublevandis pauperibus. 203. 4. Ad Carolum ſcribit. 204. 5. eidem Sacramentarium S. Gregorii mittit. *ibid.* ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcribit. 216. 3. Quid de imaginum cultu Carolum docuerit. 224. 11. Ejus obitus, & elogium. 236. 1. Ejus Epitaphium. 237. 3. effuſa ejus in Eccleſiis liberalitas. 241. 9. Res ab eo geſtæ in Cultu S. Petri. 242. 10.

Hæretici, & præſertim milites Taraſii inaugurationi reſiſtunt. 118. 3.

Heriſtallenſis conventus reliqua capita. 85. 5.

Hildegardis Caroli uxoris, & Berthæ matris obitus. 111. 1.

De Honore Epiſcopis præſtando. 356. 3.

Hunni a Carolo victi. 186. 12. Hunnicam victoriam Theodulphus celebrat. 268. 14.

I

De Imaginum cultu error Epiſcoporum Galliæ. 226. 13.

Imperatores Synodo ſubſcribunt. 164. 14.

Imperatorum Græcorum querelæ adverſus Carolum. 314. 7.

Joannes Protoſpatarius ad Eccleſiam confugit. 196. 4.

Joannes Gradenſis Patriarcha a Venetis interfectus. 330. 4. Ei ſuccedit Fortunatus. 330 5.

Joannis Nepeſini Epiſcopi obitus. 30. 11.

Joannicius excubitor Iconoclaſta hæreſim abjurat. 97. 2.

De Joannis Seglizæ, ſeu Curopalatis hiſtoria. 420. 9.

Joſeph Presbyter Leonis Imp. benedicit nuptias. 246. 17.

Irenes Leonis Imp. uxor ſecreto imagines veneratur. 91. 10. Cum Conſtantino filio imperat. 92. 12. Siciliæ rebellionem comprimit. 93. 1. Pacem cum Saracenis firmat. 93. 2. Ejus legatio ad Carolum M. 282. 1. Deponitur, & in exilium mittitur, & ejus obitus. 329. 2.

K

Kenulphi Merciorum Regis epiſt. ad Leonem tertium. 276. 6.

L

Laidradi & ſociorum iter alterum in Hiſpanias. 302. 13.
Lamberti Cantuarien. Epiſcopi obitus, cui Etheraldus ſuccedit. 203. 3.
De Legatione Venetorum ad Hadrianum Papam. 44. 13.
Legatorum zelus, & labor laudatur. 140. 10.
Legationes variæ ad Carolum M.. 275. 4.
Legatio Græcorum ad Carolum. 305. 16.
Leonis Imp. cum Irene nuptiæ. 21. 9. Patri ſuccedit. 63. 2. Imaginum cultores perſequitur. 91. 9. Ejus obitus. 92. 11.
Leo tertius Pontifex ordinatur. 243. 12. Ejus legatio & munera ad Carolum M. 256. 1. Ejus litteræ ad Kenulphum Regem. 277. 7. Eccleſias Romæ exornat. 280. 9. Triclinium lateran. ædificat. 280. 10. A Seditioſis vexatus. 290. 1. Ab impiorum manibus eruitur. 292. 2. Ad Carolum M. pergit. 292. 2. Benigne exceptus, & dimiſſus. 293. 4. Romam rediens cum gaudio excipitur. 296. 7. Ejus inſidiatores exilio relegantur. 297. 8. Ejus cauſa diſcutitur. 312. 5. De Ejus & Caroli victoria apud Anſedoniam. 322. 2. Iter in Germaniam, & qua Cauſa. 350. 1. Munera eccleſiis oblata. 357. 4. Largitio, & ſollicitudo in monaſteriis reficiendis. 358. 5. ad Carolum M. ſcribit. 359. 1. Alia epiſtola ad eundem. 370. 1. Et 371. 2. Alia de Pippini adventu Romam. 375. 1. Et 376. 2. Ejus ſollicitudo pro reſtitutione Eardulphi Regis Angliæ. 377. 3. Ejus cura in componendis diſſidiis inter Cænulphum Regem, & Canebaldum Archiepiſcopum. 377. 4. Ejus tertia epiſt. ad Carolum. 379. 3. Alia ad eumdem. 388. 1. & 391. 5. Fidei ſymbolum ad Carolum mittit. 392. 6. Importunitatem Legatorum reprimit. 395. 9. Licentiam dat cantandi particulam Filioque. 397. 10. Suadet ut cantandi uſus intermittatur. 397. 11.
Lulli Mogontini Epiſcopi obitus. 173. 27.
Luitgardis Caroli M. uxoris obitus. 311. 2.

Lu.

Digitized by Google

Luitgerus primus Epiſcopus Monaſterienſis. 340. 17. Ejus epiſt. 351. 3. Ejus obitus. 399. 14. Preces prius explet, deinde Carolum adiit. 399. 15.

M

MAhades Seracenorum Calipha obiit, & Muſa ſuccedit. 137. 8.
Mauregato Hiſpan. Regi, Alfonſus ſuccedit. 201. 11.
Mantua Sedes epiſcopalis a Leone III. efficitur. 351. 2.
Martyres in Saxonia. 99. 4.
Michael ejicitur, & Leo Ravenn. Epiſcopus ordinatur. 30. 10.
Michaelis Imp. elogium, pacem Eccleſiæ reddit, exules revocat. 418. 5. Ejus legatio ad Carolum. 419. 8.
Miſſorum Dominicorum poteſtas, & officium. 336. 13.
Monachi Lauræ S. Sabæ in Paleſtina a Seracenis occiſi. 271. 17.

N

NIcephorus CP. Eiſcopus ordinatur. 366. 11. Ejus elogium & vitæ ſeries. 367. 13. Joannem Presbyterum in communionem recipit. 368. 14.
Nicephorus Imperium occupat. 330. 3. Stauracium filium Imperatorem coronat. 343. 2. Ejus infelix expeditio adverſus Arabes. 354. 8. Pacem ab Seracenorum Calipha tributo redimit. 358. 6. De electione Epiſc. CP. Theodorum & Platonem conſulit. 365. 10. Monachos aggreditur, ſed fruſtra. 403. 21. Ejus tyrannides in milites & ſubditos. 406. 26. Manicheis favet, & ejus ſcelera. 412. 8. In Deum impius, Epiſcopos Clericoſque militibus ſubjicit. 412. 9. Nova tributa ab Eccleſiis & monaſteriis exigit. 415. 1. Oblatam pacem rogatus recuſat. 415. 2. Obtruncatur, ejuſque exercitus deletur. 416. 3.
Nicetæ CP. Epiſcopi obitus cui Paulus ſuccedit. 91. 8.

O

OCcidentale Imperium in Carolo renovatum. 318. 14.
Offa Merciorum Rex S. Albani monaſterium ædificat, & ditat. 234. 21. Ejus Rom. peregrinatio, & geſta. 235. 22. Ejus oblatio ad S. Petrum. 235. 23.
Orientalium epiſtola ad Taraſium,

ſium. 139. 9.
Orientalis Imperii calamitates. 195. 3.

P

Pariſienſis univerſitas an a Carolo M. fundata. 106. 10.
De Patriciatus nomine & dignitate. 200. 10.
Paulinus adoptianorum hæreſim condemnat. 264. 9. De ejus geſtis. 265. 10. Felicianam hæreſim confutat. 266. 11. Libros tres contra Felicem ſcribit. 267. 12. Obitus. 333. 8. Opera. 333. 9.
Paulus Aſiarta & cubicularius in cuſtodiam conjicitur. 37. 4.
Paulus diaconus captivus in Galliam ducitur. 60. 12. De ejus genere, & Studiis. *ibid.*
Paulus CP. Epiſcopus ante obitum Iconocl. hæreſi renunciat. 115. 1.
Pax inter utrumque Imperium firmatur. 344.4. Et inter Pippinum Regem, & Venetos. 373. 5.
Perſecutio in monachos recrudeſcit. 34. 5.
De Philareti ſanctitate & pietate 185. 10.
Philippus Rom. Pontifex electus dejicitur. 5. 5.
Pippinus Aquitanicum bellum abſolvit, & legatos Abderamni recipit. 9. 5. Ejus obitus. 10. 6. Ejus elogium. 10. 7.
Pippini Italiæ Regis conjuratio in Carolum. 206. 5. Ejus expeditio in Venetos, & Græcos. 407. 1. Ejus obitus & ſepultura. 408. 2.
S. Plato propugnator cultus S. Imaginum 149. 3. A Taraſii communione abſtinet. 244. 14. Ejus diſſidia cum Taraſio. 247. 18. E carceribus liberatur cum Thedoro. 273. 2. Ejus vitæ aſperitas. 286. 5. De eligendo Patriarcha Ejus ſententia. 366. 11.
Portenta pro Imaginum cultu confirmando edita. 141. 11.
Principes Epiſcoporum ſunt adjutores & commonitores. 338. 15.
De Proceſſione S. Spiritus Paulini ſententia. 263. 8.

Q

Qua ratione Stephanus Papa cum Anaſtaſio conciliari poſſit. 20. 8.
Qua ratione Theodorus & Socii excuſentur apud Combeſiſium. 383. 10.
Qua ratione Taraſius, & Nicephorus Patriarchæ excuſentur. 384. 11.
Qua ratione Theodorus, Plato,

to, aliique cum Patriarcha reconciliati fuerint. 148. 6.
Quæſtiones de religione in Galliis agitatæ. 308. 3.
Quæſtio de proceſſione Spiritus S. ex Patre Filioque agitatur. 389. 2. Quæſtionis ſtatus exponitur. 389. 3.
Qua reverentia Conſtantinus Imp. litteras Hadriani acceperit. 130. 4. Et Hadrianum Papam rogaverit. 136. 7.
Quid indicent Claves, & vexillum a Leone ad Carolum miſſæ. 260. 5.
Quo ſenſu S. Imagines adoratione dignæ dicantur. 162. 11.

R

Relatio geſtorum a Legatis Caroli cum Leone Papa. 394. 8.
Reliquiæ in Templis collocandæ. 162. 12.
S. Remigii Rothomagen. Epiſcopi obitus. 34. 3.
Rotrudis Caroli filia a Conſtantino in conjugem poſtulatur. 94. 4. Ejus obitus. 409. 3.
Rumoldus martyr occubuit. 69. 9.

S

S. Salvius Epiſcopus Engoliſinenſis, & Martyr. 327. 7.
Saxonum irruptiones in Gallias. 49. 5. Ad fidem convertuntur. 142. 12. Ad Idololatriam reverſi. 206. 4. Per Franciam, & Germaniam diſperſi. 352. 4.
Saxonia S. Petro oblata. 143. 15. & 352. 5.
Seracenorum in Chriſtianos perſecutio. 90. 7. Eorum excurſiones CPolim uſque. 382. 2. A Carolo victi. 373. 4. S. Nicolai reliquias violantes dant pænam. 374. 8. Corſicam depredantur. 409. 4.
Sergius Secundicerius Rom. Eccleſiæ occiditur. 36. 2.
Sergius Inſtaurator hæreſis Manichæorum, ejuſque geſta. 413. 10. Ejus nefanda opera 413. 11.
Silo Rex in Hiſpania moritur, Alphonſus ei ſuccedit, deinde Maregutus. 113. 4.
Status Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis, & Imperii. 307. 1. Occidentalis Imperii imminutio. 307. 2.
Stauracii illicitæ nuptiæ. 374. 9. De Imperio contendit cum Michaele. 416. 4.
Stephanus tertius, ſeu quartus Rom. Pontifex eligitur. 6. 5. Ejus

5. Ejus legatio ad Pippinum Regem. 8. 7. Epiſt. ad Bertradam, & ejus filios. 16. 4. Altera ad Carolum, & Carolomannum. 17. 5. De reintegrata concordia inter filios Bertradæ gratulatur. 22. 2. Carolomanni filium e ſacro fonte ſuſcipere cupit. 23. 3. Epiſt. ad Carolum, & Carolomannum. 25. 5. Ab illicito conjugio eos deterrere ſatagit 25. 6. In Reges Francorum excommunicationem minatur. 27. 7. Ejus obitus. 35. 1.

Sturmii Abbatis Fuldenſis obitus, & vitæ ſeries. 85. 6.

Synodales epiſtolæ ad Imperatores, ad Hadrianum, & Clerum CPolitanum. 164. 15.

Synodi Francofordienſis epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. 218. 5. Ejus Canones. 222. 9. Ejus canonum nulla auctoritas. 225. 12.

De Synodo ſive conventu Vormatienſi. 42. 9.

De Synodo œcumenica celebranda. 134. 6.

De Synodo Narbonenſi an legitima. 183. 7.

De Synodo Forojulienſi a Paulino celebrata. 262. 7. Ejus Canones. 264. 9.

Synodus CPolitana indicta ſolvitur. 147. 1.

Synodus CP. Theodorum, Platonem, aliosque condemnat. 400. 17.

Synodus ſeptima generalis Niceæ celebratur. 154. 1. De Epiſcoporum numero, & Canonibus Apoſtolicis. 155. 2. & ſeqq. De ejus actibus & ſeſſionibus. 157. 4. & ſeqq. Ejuſdem Canones viginti duo. 161. 12. An in Synodo Francofordienſi fuerit condemnati. 223. 10.

Synodus Aquiſgranæ celebratur, & Canones vulgati. 187. 2. In eadem quæſtio de proceſſione Spiritus S. ex Filio pertractatur. 392. 7.

Synodus Ratiſponenſis Felicis hæreſim damnat. 207. 6.

Synodus Romana Elipandi, & Felicis hæreſim damnat. 295. 9.

Synodus Salisburgenſis celebratur. 374. 7.

T

TAſſilo Bavariæ Dux Carolo ſe ſubmittit. 171. 24. Fit Monachus. 186. 11.

Telerus Bulgariæ Princeps ad Chriſti fidem convertitur, & CPolim tranſit. 78. 4.

Tharaſius CP. Patriarcha eligitur, & ordinatur. 116. 2. Ejus genus & vitæ inſtitutio. 118. 2. Ejus litteræ ad Hadrianum. 133. 5. Altera ad eumdem. 165. 16. Impe-

Digitized by Google

peratori reſiſtit. 245. 15. Ejus conſilium commendatur. 246. 16. Ejus diffidia cum Platone. 247. 18. Ejus obitus. 365. 9.
Theodorus, ejuſque ſocii ab Imperatore vexati. 248. 19. Voce & ſcriptis alios ad ſui imitationem excitat. 249. 20. Epiſt. ad Stephanum. 249. 21. Et ad Nicephorum Præfectum. 250. 22. Et ad Platonem, 253. 23. In ſuum monaſterium rediit. 274. 3. Cum Monachis CPolim migrat. 283. 3. Ejus ſcripta. 284. 4. Nicephori concilium reſpuit. 368. 15. Ejus epiſt. ad Nicephorum Patriarcham 369. 16. Errorem ſuum corrigit. 384. 12. Ejus epiſt. 28. Ad Baſilium S. Sabæ Romæ Abbatem. 386. 13. Ejus querelæ adverſus Leonem Papam, & Baſilium. 386. 14. Alia ejus epiſt. 401. 19. Quæ paſſus ſit. 402. 20. Aliæ ejus epiſt. ad Leonem Papam. 403. 22. Altera ad eumdem. 404. 23. Ad Baſilium S. Sabæ Abbatem ſcribit. 405. 24. Et ad Antonium Abbatem. 418. 7.
Theophanis certamen cum Leone Imp., ejuſdem genus, & mores. 78. 5.
Theophili Claſſis Præfecti martyrium. 196. 3.
Tiberis inundatio. 203. 4.

V

Veneti negotiatores Ravenna, & Pentapoli ejiciuntur. 147. 19.
Villebaldus evangelium in Friſia prædicat. 44. 12. Et 89. 5. Saxonum perſecutionem fugit, Romam, deinde in Gallias pergit. 99. 4. In Saxonia prædicat. 143. 14. Epiſcopus Bremenſis ordinatur. 171. 25. Ejus obitus. 193. 7.
Virgilii Salisburgenſis Epiſcopi obitus. 144. 16.
Vvillelmus Comes monaſticam vitam amplectitur. 364. 8.
Vormatienſis conventus celebratur. 31. 1.

MAG 2021624

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google